










19-63

FD 258

✠

PICTOR CHRISTIANUS ERUDITUS:

SIVE

DE ERRORIBUS, QUI PASSIM ADMITTUNTUR circa pingendas, atque effingendas Sacras Imagines.

LIBRI OCTO CUM APPENDICE.

OPUS SACRÆ SCRIPTURÆ, ATQUE ECCLESIASTICÆ Historiæ studiosis non inutile.


AUTHORE

R. P. M. FR. IOANNE INTERIAN DE AYALA, Sacri, Regii, ac Militaris Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, Salmanticensis Academiæ Doctore Theologo, atque ibidem Sanctæ Theologiæ cum sacrarum Linguarum interpretatione professore jam pridem emerito.






Anno D. 1730.



MATRITI: Ex Typographia Conventûs præfati Ordinis.





POTENTISSIMÆ,

EIDEMQUE PIENTISSIMÆ DEI,

HOMINUMQUE PARENTI MARIÆ SACRATISSIMÆ DE LA MERCED,

AUT (SI ITA POTIUS LOQUI LICET) DE LAS Mercedes, nostri, immò sui, Regii ac Militaris Ordinis Redemptionis Captivorum Fundatrici optimæ, Erectrici maximæ suus semper devinctissimus atque humillimus Servus

FR. JOSEPHUS CAMPUZANO DE LA VEGA, ejusdem Ordinis Generalis Magister, Dominus Baroniarum de Algar & Escalès, Opusculum hoc supplex sistit, ac reverens sacrat.



Rodit jam, O MATER AUGUSTISSIMA, sicut elaboratum, excultumque quantum potuit auxilio tuo; sic, auspice Te, perfectum Opus. Neque vero ego Nomini tuo Augustissimo dicare id ratione ullâ auderem: quandoquidem illud ipsum nativâ erga Ma-

jestatem Tuam reverentiâ sponte fertur, imò advolat: ut propterea nil opus sit, ut ad Tuas Aras manuducatur, dirigaturvè, quas solas tutelæ ac patrocinii causâ, quam maximo conatu potest, advolet atque confugiat, & supplex tua numina poscat. Tu interim, MATER AUGUSTISSIMA, quæ tepidos etiam atque trepidos allicere non desinis, invitare, imò trahere non dedignaberis hoc levidensæ munusculum: cum Tuæ MAJESTATIS clientes censeri atque servulos, non tam sua, quàm illorum intersit.

CEN-

CENSURA R. P. M. FR. JOACHIMI DE MUñatones, Sacri, Regii, ac Militaris Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum; atque in Complutensi Academia Sacræ Theologiæ Doctoris, & Vespertinæ Cathedræ moderatoris, &c.

QUod bonum, faustumque Reipublicæ Sapientum, prodit in lucem *Pictor Christianus* eruditissimi pectoris eruditissimus fœtus, obstetricante N. RR. P. M. Fr. Josepho Campuzano de la Vega; quæ sua est adversus eruditionem, & eruditos benivolentia; de ipso tamen Opere, quę est ejusdem RR. P. integritas anquirens, iudicium meum operitur. Cùm tamen Author sapientissimus, R. A. P. M. Fr. Ioannes Interian de Ayala, vt est humanissimus, huius operis, dùm sub incude formaretur, copiam mihi nonnullies fecisset, ab ipsis fasciis mirabar duo; quæ singulariter in illo intermicant: dictionis nimirùm gravitas, & judicium opinionum, gravitatem inquam argumenti dignitati accommodatissimam; neque enim decebat stilus affectatæ rethorices, phalerisve, aut pigmentis lasciviens, nec repens humo, aut rustica dictio. Quod verò caput rei est, iudicium, seu crisim quid opus est ut verbis ego commendatum eam? Extremum vtrumque scitè declinat: nec enim sententias illas, quas solùm A. A. numerus, seu indoctorum credulitas in scriptis vulgarunt, sine dilectu amplexatur, videat licèt illos pro suis sulphuratis ramentis veluti pro aris, & focis pugnare; sed errores suos errare sinit, nec publicum saporem moratur. Illas verò exoticas, & peregrinas declinat etiam opiniones, quæ eo solum nomine plerisque amantur, quòd singulares sint, & paucissimis probentur. Sunt enim nonnulli, qui criticorum grande nomen inde sibi parare; vel etiam comparare arbitrantur, quòd communes opiniones quasi ex alto despiciant, & A. A. raritate illecti; sola opinionum monstra sectantur; id verò genus homines meritiores sunt, qui Doctorum sibilis excipiantur, quam illi alii nimis creduli: adeò non solum vitiis, sed remediis ipsis interdùm laboratur. Atque ego quidem gregarius licèt, & quocum benè agitur, si in eruditorum phalange Lixa audiat, germanam crisim totis vlnis exceperim, historiæ (quin & veritatis) oculum, lucem, animam. Quis verò sine sthomaco legat hipercriticos illos qui portenta quædam sententiarum veluti è cortina profantur, doctissimos quosque opiliones, vel etiam fungos appellantes, & tribunitia quadam, vel, si Diis placet, dictatoria potestate in tribunal trahentes, quia acceptissimas sententias, & antiquitate, & A. A. dignitate spectabiles debitè reverentur? Quæ cùm ita sint tàm abest ut Opus hoc auro contra non carum tenebris, aut oblivione sepeliendum existimem, vt potiùs N. RR. P. gratiam debitissimam habeamus, quod *Pictorem Christianum* luce publica, suaque protectione dignetur, cuius in absolutissima tabula nedùm Authoris eruditio exquisitissima, sed vnà etiam nostri Præsulis zelus depingatur lineamentis supra æs, & marmor perennaturis. Sic sentio, salvo, &c. In hoc Redemptricis Verbiparæ Complutensi Collegio, pridiè Calendas Februarias, ipsa die Parenti Nolasco Sacra. Anno Christiano 1730.

Fr. Joachimus de Muñatones.

FACUL-

FACULTAS ORDINIS.

QUa visa Censura Reverendissimus Pater Noster Fr. Josephus Campuzano totius prędicti Ordinis Magister Generalis, decrevit ut hoc Opus in lucem publicam ederetur: ut latius patet ex literis authenticis manu propria subscriptis, & per illius Secretarium revisis atque referendatis die 4. Februarii. Anni 1730.


CEN-

CENSURA REVERENDISSIMI P.M.Fr. PETRI Manso, præclari Ordinis Magni Parentis Augustini, in Academia Salmanticensi Doctoris Theologi, atque ibidem in Sacra Theologia publici professoris, &c.

EX commissione Domini D. Michaelis Gomez de Escovar, huius Regiæ Curię Matritensis dignissimi Vicarii Ecclesiastici; quâ potui diligentiâ introspexi librum; cui titulus *Pictor Christianus eruditus*, sive *de erroribus, qui passim admittuntur circa pingendas, aut effingendas sacras Imagines*: Authore RR. P. Mag. Fr. Ioanne Interian de Ayala, Sacri, ac Regii Militaris Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Magistro; ac eiusdem in Castella Provinciali, Regio Concionatore, & in regali Consessu Conceptionis Deiparæ Theologo; Salmanticensis Academiæ Doctore laureato, ibidem Philosophiæ primùm, deindè Sacrarum linguarum Primariæ Cathedræ Antecessore Emerito, aliisque non inferioris notæ titulis ubique notissimo.

Opus sanè, ut præmonetur in fronte, Sacræ Scripturæ, atque Ecclesiasticæ Historiæ studiosis non inutile: imò dixerim utilissimum, cum multa ex Sacrorum Bibliorum thesauro, ex Sanctis Patribus, & antiquitate etiam sæculari hinc inde collecta, & suis locis subjuncta cernantur, ad operis utiliorem usum concinnata. Scriptionis scopus, ut præsefert inscriptio, unicus videtur, detegere Pictorum errores, corrigere, emendare, ac in posterum præcavére: at altior, nobiliorque finis Scriptoris subodoratur, ne Doctor sapientissimus sumet, aut tritæ oblitus Philosophiæ censeatur; media seligens nobiliora fine. Quorsum enim tot sententiæ Biblicæ, & vocum in eis occurrentium acceptiones observandæ, tam eruditè, ac prolixè explicatæ? Ad quid tot veterum Theologorum sententiæ, ac tanta ex Philosophis, atque Historicis præsertim veteribus decerpta, dictis argutis, eximiis exemplis, adagiis, Hieroglyphicis, Mythologiis, poeticisque flosculis ornata? Numquid unicè, ut Pictorum errores detegantur, ne indies propagentur? Absit concipere Scriptorem nostrum tantæ prodigum eruditionis, ut solos Pictores, aut Sculptores instruat, & erudiat: Sub picturæ enim eruditæ, aut erudiendæ umbris, altiores latent fines, quos levi calamo detegere spero, ne Censoris limites videar præterire. Sit primus tantæ eruditionis scopus, ut studiosi quilibet, huic scripto dociles præbentes oculos, sive in Ecclesia, sive in Curia, sive in privatis colloquiis, solitariis meditationibus, epistolis ad familiares, aliisve scriptionibus, sibi, aliisque multum prodesse possint. Pascit oculos jucunda telluris facies verno tempore; mentes autem instaurat litterarum bonarum grata varietas, ut cæteris prodesse valeat, nec tantum sibi, ut Sancta rusticitas; quod jam pridem notavit Doctorum Maximus.

Sit alter scriptionis finis, præsentem futuris sæculis reddere imaginem scriptoris. Pictorem Christianum eruditum modesta Libri pręsefert inscriptio: at intus invenient cordati Lectores Scriptorem omnigena eruditione delineatum. De Parrhasio ferunt, cum suscepisset pingendum Mercurium, suam in tabula expressisse imaginem, hodieque spectatores scripturę inscriptione fallantur; existimant enim, à Parrhasio Deum honoris causa hoc munere affectum esse, à Pictore longius aberrantes, qui quidem, ut arrogantiæ crimen effugeret, alieno nominè ad sui picturam usus est. Fallit (ni fallor) eruditissimæ huius operæ inscriptio, si solis adscribitur Pictoribus erudiendis: alieno enim nominè cautus æquè, ac modestus Scriptor usus est, ut longiùs ablegatâ arrogantiâ, suam in ævum perennaret imaginem. Liceat de Scriptore nostro, quod olim Hilasius de Virgilio.


Subduxit morti vivax pictura Maronem,
Sed. quem parca tulit, reddit imago virum.

Miræ

Mirabitur nonnemo forsan; tam magnum virum, & ad maiora natum, post maturatam insignis Sapientiæ messem, occupatum, ac plenè deditum detegendis Pictorum erroribus, demonstrandæque, ac convincendę quamplurium stultitię. Is verò, quicumque sit, audiat omniscium Salomonem de seipso testantem: *Dedi cor meum* (inquit) *ut scirem prudentiam, atque doctrinam, erroresque, & stultitiam.* Vera etenim Sapientia, omnia ut Sol splendens illustrat; doctrinam, ut approbet; errores, ut reprobet; stultitiamque coerceat, & reprehendat. Nec despiciendum, aut parvi censendum momenti malum, quod in picturis ex artificum incuria, aut ignorantia, serpit: quas si vel difformes veritati, aut sicut non rarò deprehenditur, dissonas rationi, vocentur in iudicium, ut interdum evenit; falsos adducimus testes, & quandoque irrationales. E contra, si Pictor, aut Sculptor, leges non tantum artis, sed veritatis, & rationis observet; clarissimum ad illustrandam antiquitatem, & irrefragabile adfert testimonium.

Ecclef. 1.

Historiam pictura refert, quæ tradita libris;
Veram vetusti temporis monstrat fidem.

Prudent. de Passione Cassiani.

Ut ergo Censoris muneri satisfaciam, nihil in hoc scripto invenire potui, quod Sacrę Scripturę, aut Doctrinę Ecclesię adversetur, nihil quod benè institutis moribus consonum non sit: sed cuncta luce publica dignissima. Sic Censeo (salvo semper &c.) in hoc Collegio Sacræ Incarnationi dicato, ordinis S. P. N. Augustini Matritensi, vulgo D. Maria de Aragon, die 20. Januarii ann. 1730.

Fr. Petrus Manso.

FACULTAS ORDINARII.

QUA Censura inspecta, Perillustris Dominus Dominus Michael Gomez de Escobar, Vicarius Generalis huius Curiæ Matritensis eiusque ditionis, facultatem fecit huius Operis edendi, uti latius patet ex eiusdem literis datis Matriti die 13. Januarii Anni Domini 1730.

CEN-

CENSURA D. JOANNIS DE FERRERAS, in Sacra Theologia Doctoris, Ecclesiæ S. Andreæ Curionis, Regiæque Bibliothecæ Primarii Præfecti, &c.

REgij Senatus præscripto, omnimoda attentione percensui Opus inscriptum: *Pictor Christianus eruditus, sive de erroribus, qui passim admittuntur, circa pingendas, atque effingendas sacras Imagines.* Authore Rmo. P. M. Fr. Joanne Interian de Ayala, Sacri Regii, ac Militaris Ordinis B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum atque in Salmanticensi Academia cum sacrarum Linguarum interpretatione Doctore Theologo, &c. Opus arduum, nam corrigere, res est magis ardua, quanto major Aristarcho, magnus Homerus erat, ac præsertim errores vulgi, tenaci opinione subfixos, suffultosque avorum credulitate, profundisque radicibus consistentes, quibus evellendis, nec Herculis viros; tentanda tamen via erat, ne latius serpant, ut rudiora ingenia, per probos, & doctos Magistros detecta veritate tetras depellant tenebras, falsisque liberentur præjudicijs.

Cum enim ingeniosissima pingendi ars aptis coloribus in tabulis effingat corpora, sine corpore, cælum, mare, terram, quæque eis continentur, ac præsertim, vetustam ac ad nostram hucusque temporis historiam; pictores, historicæ veritatis ignari, quibus secuti Poetis quodlibet audendi semper fuit æqua facultas, Sacram Veteris, ac Novi Testamenti, pręcipueque Ecclesiasticam Sanctorum historiam, pluribus erroribus, ac fabulis inspersere, cumque pictura rudibus, atque ignorantibus, ut dodocuit Sancta VII. Synodus, sic oculis intuentium silens magisterium, ac segnius irritent animos demissa per auras, quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus, difficillimum semper fuit animo avertere, quæ quotidiano usu cadunt sub conspectu. Non tamen semper pictoribus adscribendus error; nam cum plerumque Symbolis incorporalia depingere tentarent, iners ignorantia vulgi Symbolum pro veritate accepit, turpiterque verum convertit in errorem.

Defluxit deinde malum, uti sępe contingit, in Scriptores incautos, qui libros his fabulis ac nugis implevere; adeoque facta est insanabilis plaga, ut plerique furijs exagitati, medicos eorum insaniam curare valentes, probris, injuriis, blasphemiis onerandos, aqua, & igne interdicendos, condemnent; hinc malo, maiores vires, quia plures timore perculsi errori palam contraire non audent; non defuere tamen in Ecclesia aliquot pii, doctique viri, qui non deterriti populari ignorantia, nec operis difficultate, & magnitudine, cæperint errori indicere bellum, nemini tamen datum ultimum referre triumphum.

Nunc novus in lucem noster procedit Alcides Reverendissimus P. M. Ayala, huius hydriæ præcipua subcidens capita, opus arduum immensæ molis, propter diversitatem, multitudinemque argumentorum, ad quæ evincenda, solus par, propter exactam Criticen Sacro-prophanam, linguarum peritiam, gentium mores, artium notitiam, humanarum literarum eruditionem, ad summum excultam, Sacrę, & profanæ historiæ, studium decoctum, magnis Philosophis suppar, magnis Oratoribus æqualis, ac Theologus nulli secundus inter primos Salmantini Lycæi Subsellij alumnos, cui propter tam improbum, utilemque laborem gratias referre debet quisque Catholicus, qui pura, ac pia animi sinceritate, cupit mentis aciem intendere in *Historiæ* Sanctę veritatem. Ea de caussa censeo opus luce dignissimum, præsertimque, cum nihil eo invenire liceat

contrarium Orthodoxæ fidei, Christianis moribus; nec regalibus decretis. Matriti ex Regia Bibliotheca 20 Februar. Anno Dñi 1730.

D. Joannes de Ferreras.

FACULTAS SUPREMI SENATUS CASTELLÆ.

QUA visâ Censura Regius Senatus censuit concedendam Authori facultatem huius operis excudendi: ut patet ex authographis literis datis Matriti die 22. Martii. Anni 1730.

ERRATA

ERRATA	CORRIGE.	ERRATA	CORRIGE.
Pag.26.col.1.eadem	eamdem	262.col.1.autum	autem
29.col.1.Plantina	Plautina	263.col.2.Imagi-facti	Imaginibus facti
37.col.2.sine	sive	265.co.1.D.Hieronymo	D.Hieronymus
Ibid. quid	qui	266.col.1.iis quod	iis qui.
63.col.2. Pauli	Pauli corpus	268.col.2.dominare	denominare.
121.col.2. permisse	permisisse	273.col.1.adhunc	adhuc.
123. col. 1. deliola	doliola	276.col.1.ad Pontificatus	ad Pontificatum
130.col. 1. convivas suas	convivas suos	277.col.2.Urbicum	Urbium.
Ibid. col.2. sint minus	sin minus	284.col.1.de sancti	de sancto.
131.col.1. stranstulit	transtulit	285.col.2. aurea plane verbo	aurea plane verba.
138.col.2.spactat	spectat	287.col.1.Anachoræ	Anacoretę.
141.col 1.atque eas	atque eæ	288.col.2. *vacares ac prsci bus*	*vacaret ac preci bus.*
156.col.2.in dicitur	qui dicitur	291.col.2.metet	metes.
Ibid. drorum	deorum	292.col.1. *cerneis*	*carneis.*
163.col.1.valentori	valentiori	326.col.1.eximia	eximiæ
176.col.2.ventu est	ventum est	328.col.1.secus aut	secus autem
213.col. 2. coligatumque	caligatumque.	340.col.2.res fuit	rex fuit.
227.col.2.apparat	apparet.	343. col. 2. immane facimus	immane facinus
232.co.1.subtiliori operæ	subtiliori opere	345.col.1.pingerent	pungerent.
235. col. 1. *frucibus*	*faucibus.*	350. col.2. partem	parte
Ibid.col.2.probo	probro	352. εκτυπυο	εκτυπον
238. col. 2. Evangelium	Evangeliorum	353.col.1.cogitata	agitata
239.col.2.obsservari	observavi.	457.col. 1. Interemeratæ	Intemeratæ.
241.co.2.sic commẽtatus	sit commentatus.		
242.col 2.ranç	rarę		
246. col. 1. quemquam	quamquam		
254.col. 2. erroris notæ	erroris nota		

He visto este Libro, intitulado: *Pictor Christianus eruditus*: y con estas erratas corresponde con su original. Madrid, y Mayo à 18. de 1730.

Lic. D. Manuel Garcia Alesson.
Corrector General por su Mag.

SUMA DE LA TASSA.

DOn Miguèl Fernandez Munilla, Secretario del Rey nuestro señor, su Escrivano de Camara mas antiguo, y de Govierno del Consejo: Certifico, que por los Señores de èl se ha tasiado vn Libro intitulado: *Pictor Christianus eruditus*, su Autor el R. P. M. Fr. Juan Interian de Ayala, del Real, y Militar Orden de Nuestra Señora de la Merced, à seis maravedis cada pliego, como consta de su original.

INDEX CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

LIBER SECUNDUS.

DE PICTURIS DEI, ET ANGELORUM, ET QUI errores in iis depingendis occurrant.

pué

LIBER TERTIUS.

DE PICTURIS ATQUE IMAGINIBUS CHRISTI Domini, Mysteriorumque eiusdem Vitæ ac Passionis sanctissimæ.

LIBER

LIBER QUARTUS.

DE IMAGINIBUS SACRÆ ATQUE Intemeratæ Deiparæ: & quid in his summopere tenendum, cavendumque sit.

LIBER

LIBER QUINTUS.

DE PICTURIS ATQUE IMAGINIBUS SANctorum, quorum festivitates incidunt intra primum Anni spatium trimestre.

¶¶¶ de

LIBER SEXTUS.

DE PICTURIS ET IMAGINIBUS SANctorum quorum festivitates occurrunt intra secundum Anni spatium trimestre.

Caput

DE PICTURIS ET IMAGINIBUS SANCTORUM, quorum festivitates occurrunt intra tertium Anni spatium trimestre.

LIBER

PICTURÆ ATQUE IMAGINES SANCTORUM, quos Ecclesia colit in postremo Anni trimestri spatio.

Ca-

APPENDIX,

CONTINENS NOTATIONES IN RERUM SACRArum Imagines attinentes ad vetus Teſtamentum.

AUTHO-

AUTHORIS AD LECTOREM PROLOGUS.

VIx electus erat ingenti Religionis plausu in Generalem Magistrum Ordinis Reverendissimus P. N. Magister Fr. Josephus Campuzano de la Vega, cum ad illius pervenit aures existere hic, aut omnino absolutum, aut facili negotio absolvendum Librum, quem haud modico labore composuit is, cujus in fronte nomen occurrit, atque ut est talis tantusque Præsul Ordinis zelo flagrans, jussit ilico, ut ad se quantocyus afferretur. Actum est ut jusserat, & quantum ampli regiminis occupationes permissere, summatim, aut per prima capita evolvit ac legit. Intentum atque Scopum Libri atque Operis probavit benigno semper promptoque animo: sed non hic res substitit; quin, ut ejusdem zelus magis ac magis innotesceret, decrevit insuper, ut luci publicæ traderetur impensis Ordinis, quæ nunquam utilius fructuosiusvè fiunt, quàm si mundo orbique literario per hæc constet esse in eo, qui præter consuetas vivendi regulas viros in literis dent neque ignaviter operam. Decrevit igitur laudatus & nunquam satis laudandus Præsul, ut Opus hoc, quàm promptius posset, prodiret in publicum; ratus lucem, splendoremque non omnino modicum allaturum. Estque non aliud, quam hoc quod tibi, benigne atque Christiane Lector, exhibemus: sperantes fore, ut tibi vel omnino probetur, vel saltem nullo modo displiceat. Neque verò me latet, fuisse non paucos, non solum in Italia, sed etiam in nostra Hispania, qui eamdem spartam sibi percolendam assumpserint: sed, quod ego sciam, nullus, non solum in Hispania, sed etiam in reliquis Europæ provinciis inventus hucusque est, qui rem totam absolveret: ut proinde fateri ultrò citroque liceat eruditis campum hunc, quantumlibèt feracem esse adhuc non omnino demessum. De quo, ut de aliis rebus hujusmodi liberum erit tibi, Lector optime, ferre judicium & sententiam. Quare restat hoc solum: ut quò maturius exactiusque feratur; labori accingamur & operi.

PICTOR



PICTOR CHRISTIANUS ERUDITUS. SIVE DE ERRORIBUS, QUI PASSIM ADMITTUNtur circa pingendas atque effingendas Sacras Imagines.

LIBRI OCTO CUM APPENDICE.

OPUS SACRÆ SCRIPTURÆ ATQUE ECCLESIASticę Historiæ ſtudioſis non inutile.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

QUID NOMINE SACRARUM IMAGINUM, ET quid errorum nomine, qui in iis pingendis admittuntur, intelligamus.



1 ERRORES, qui ſanè permulti in pingendis, effingendiſque Sacris Imaginibus irrepŭt, toto hoc Opere tractaturis, duo nobis in primis neceſſariò duximus præmittenda: Quid Sacrarum Imaginum nomine, quidvè errorum, qui in ipſis pingendis effingendiſque perſæpè admittuntur, intelligamus. His enim præjactis, ad reliqua quæ ſe offerent pertractanda patebit via latior atque facilior. Atque ita ſanè expoſcit tractationis diſputationiſque bene inſtituta methodus: *Omnis enim quę ad rationem ſuſcipitur de aliqua ratione inſtitutio, debet à definitione proficiſci; ut intelligatur, quid ſit de quo diſputetur.* Quod præclarè, ut certè cuncta, annotavit Cicero.

Lib. 1. de Offic. ipſ. oper. inir. poſt proœ.

2 Igitur Sacrarum Imaginum nomine, tametſi eæ præſertim intelligantur, quæ quoquomodo Deum, Angelos, Chriſtum Dominum, Sacratiſsimam ejus Deiparam, Prophetas, Apoſtolos, Martyres, aliòſque univerſim Divos atque Sanctos, ocu-

lis

lis subjiciunt ac repræsentant: nos tamen plures alias comprehendimus, sive rerum & personarum, sive quę vel ipsas picturas atque sculpturas Sacrarum Imaginum comitantur; vel ipsis, ut ornatus gratia postulat, adjũgũtur. Imò & quascumque imagines personarum, quæ minime sunt sacræ; sed tamen ad veram rectamque intelligentiam sacrarum rerum atque historiarum (quales essent Latronis illius nequam, qui Servatorem nostrum in Cruce pendentem convitiis afficiebat: aut ipsius Inferni descriptio) nomine Sacrarum Imaginum intelligimus.

3 Iam verò errorum nomine, qui in pingendis effingendisque Sacris Imaginibus passim admittuntur, nec satis videntur ab iis, qui minus eruditis oculis, aut potius cognitione prorsus inerudita, easdem imagines adspiciunt; non eos hic dicimus aut comprehendimus, quos pessima pingendi aut effingendi Artis institutio frequentissimè committit, quosque optima Picturæ atque Sculpturæ prçcepta traducunt & exagitant. Erit etiam hic de his quidem, præsertim magis enormibus, & in quos imperitorum etiam oculi, nec sine molestia graviter impingunt, nonnullus admonendi, ac differendi locus. Sed tamen non hos prçcipuè repellendos suscepimus, qui hanc spartam peritis atque eruditis Pictoribus Sculptoribusque ornandam relinquimus: sed eos vel potissimum adnotare, castigareque nobis est cordi, qui vel ab ipsis Pictoribus atque Sculptoribus, quamquam alioqui suæ Artis doctis atque peritis, haud rarò committuntur. Tales omninò sunt, qui ex ignoratione rerum gestarum, ex imperitia Historiæ, morum, rituum, aliisque id genus causis uberrimè proveniunt: atque secus quam par est ex cæca imitatione propagantur. Quod equidem cùm operæpretium sit, ut bene quis animadvertat, amplius elucidandum, clariusque proponendum censeo. Nam longè aliud est in Sacra, imo & in quavis alia pictura, error, quem Pictor admisit ex imperitia præceptorum Artis; sive is proveniat ex non congruo linearum ductu, sive ex prava admitixone colorum, sive ex non observata ratione Optices, sive alia quacumque simili tamen causa: & aliud error, qui tantùm provenit ex ignoratione ipsa rerum, & qui proinde referri debet ad Pictorem, Sculptoremvè, non quatenus talem; sed ad ipsum, uti rerum ipsarum quas pingit aut sculpit, minus gnarum atque eruditum. Qua quidem ratione contingit, ut rei sacræ alicuius historia à pictore alioqui præstante, multis, iisque crasis erroribus scatens videatur: cùm tamen eadem iisdem erroribus libera, quamquam non ita admodum eleganter, proponatur, depingaturque ab authore mediocri. Neque nobis huius rei exempla luculenta deficiunt. Vidi egomet sæpius Circumcisionem Domini Servatoris, non ab uno quidem, sed à multis, atque iis præstantibus artificibus, vario modo depictam; sed ita semper, ut res in Templo geri videatur, ingentibus pulcerrimisque columnis suffulto: ubi sacerdos, & Summi quidem ornamenta gerens, rem sacram hanc peragit. Hunc stipant alii ministri, assistunt genuflexi cum cereis luminaribus accensis juvenes tunicati: aliaque eiusdem farinæ, aut verius furfuris, admiscentur, quæ facilè commovere possint spectatorem vel mediocriter eruditum. Et vidi tamen ipsemet eamdem sacram historiam ab artifice non nisi mediocri descriptam, sed ab iis planè immunem erroribus: quandoquidem res ipsa gesta proponitur, non in Templo, sed in tugurio ipso Bethlehemitico; ubi non sacerdos (quod proponere summæ dementiæ atque imperitię est) neque quivis alius sacrorum administer, rem ipsam peragit; sed Sacra ipsa Deipara: quam quidem veram, longeque probabiliorem esse rei huius pingendę rationem, multis suo loco, Deo favente, suadere conabimur.

4 Vidimus item à non vulgari pictore, neque vulgaris in pingendo famæ, Abrahamum depictum, filium jamjam immolantem, sed plane parvulum, & qui, ut picturæ ratio præ se ferebat, vix annum decimum aut duodecimum attingeret: cùm contrà vulgari, aut non ita excellenti manu eamdem rem depictam viderimus, ubi Isaacus, non quidem puer (quæ certè nominis appellatio in sacra Scriptura huic attributa, pictoribus errandi ansam præbuit, quod suo loco demonstrabimus) sed planè juvenis & robustus depictus erat: quam

quam veram rationem esse hujus historiæ depingendæ, ubi res exposcat, clarius atque evidentius exponemus.

5 Interim tamen, quò magis & evidentius res patefiat, aliud eiusdem rei exemplum, idque celebre, summatim indigitare placuit. Quis enim ferat non modo clari, sed eximii prorsus nominis Pictorem, qualis certè est omnium iudicio is, cuius nomen honoris & reverentiæ causa tantum adnotatur in margine, * depinxisse miraculum illud, quo primùm Evangelii veritas constabilita est in ipsa urbe Ierosolyma, tam absonè tamquam deformiter ad rem gestam, ut nihil supra? Res gesta miraculumque illud est, quo Petrus Ioanne sociatus ad ipsam portam templi Ierosolymitani stupendæ sanitati & integritati restituit debilem illum, aut claudum utroque crure, qui ita fuerat natus; atque ob id ut vitam utcumque erogatis eleemosynis toleraret, sedebat ad portam templi, quæ dicebatur speciosa. Sed res est digna quæ non aliis coloribus proponatur, quam iis quibus utitur Sacra Historia, quæ sic habet. *Petrus autem & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris suæ, bajulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur speciosa, ut peteret eleemosynam ab introëuntibus in templum. Is cùm vidisset Petrum & Ioannem incipientes introire in templum, rogabat ut eleemosynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne, dixit: Respice in nos. At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit: Argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do; in nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula. Et apprehensa manu eius dextera, allevavit eum, & protinus consolidatæ sunt bases eius & plantę. Ex exiliens stetit, & ambulabat: & intravit cum illis in templum ambulans & exiliens, & laudans Deum.* Hucusque, quod ad rem nostram spectat, Divinus Historiographus.

* Raph. Urbinas.

Actor. 3.

6 Sed hoc ipsum factum laudatus & nunquam satis laudandus Pictor non tam depingit, oculisque repræsentat, quàm deturpat, &, ut liberè dicam id quod censeo, miris modis dilacerat. Taceo enim Templi structuram; quæ nihil minus habet quàm illius Salomonici, eo etiam tempore quo durabat instauratum tempore illo quo gesta sunt hæc. Templum enim oculis objicitur omnino simillimum nostris, ingenti testudine obtectum, magnis altisque columnis suffultum, statuis etiam atque imaginibus (quod prorsus intolerandum est) perornatum. Taceo, inquam, hæc aliaque minoris momenti; venioque ad id, quod præcipuum debuisset esse in Pictura & Imagine huiusmodi historiæ. Claudus enim ille, seu potius debilis & exsuccis tibiis, in quo miraculum illud patratum est, pictor ut describeret, toto (quod aiunt) cœlo aberravit, aliumque prorsus nobis obtrusit, cui nihil cum eo, de quo sermo est in narratione rei gestę commune sit. Pinxit enim hominem musculosum & robustum, altera tibia crureque integro, altera verò penitus abcisá paulo infra genu, iuxtaque eumdem, pedem aut tibiam vulgarem illam ligneam, quæ defectum supplent cruris aut tibiæ pauperes illi de vulgo, queis tale aliquando malum accidit, ut tibia illis abscinderetur. Hæc summatim est Picturæ ratio, quæ, canonica narratione supposita, nihil deformius aut absurdius depingi potuit. Vir enim ille claudus ex utero matris suę, qui baiulabatur ut peteret eleemosynam ab introëuntibus in templum, non ex illis erat, cui tibia altera aliquando fuisset excisa; sed utroque pede, utráque etiam tibia debilis, aridus, & omnino claudus, quod satis evidenter signant illa verba: *Et protinus consolidatæ sunt bases eius, & plantæ: & exiliens stetit, & ambulabat.* Quo expresius & evidentius dici nihil potuit: Ut Pictor, quantumlibet magnus, non sibi confingeret altero tantum pede claudum, & cui nimirum abscisa truncataque fuerit tibia. Ut vel hinc discant non ita magni nihil suæ fidere phantasiæ; præsertim cum res sacras, & quæ Fidem Divinam tangunt, sunt depicturi: manifestus enim hic, & qui in ipsos oculos incurrit deprehenditur circa historiæ fidem admissus error.

7 Neque vero aliquis nimium excellentium hominum studiosus nobis hic succenseat & penè stomachabundus objiciat; tune audes Mi-

chaelis Angeli, Raphaelis Urbinatis, Jacobi Tintoreti, Petri Pauli Rubenii, aliorumque similium, aut æqualium, si forte sunt, picturas erroris arguere? Nam huic, quisquis erit, pacatè ego, quamquam & possem subiratus, respondebo facillimo negotio: Non ego is sum qui tantorum virorum admirandam prorsus peritiam atque artificium ausim carpere vel primoribus, quod dicunt, labris. Id constanter assero, excultissimè, & penè ad miraculum depictas esse res, sed falsas, & nullo modo congruentes: vellem equidem (quod de Seneca dixit Quintilianus) illos pinxisse suo ipsorum ingenio, alieno iudicio. Alieno, inquam, id est doctiorum virorum, & qui in Divinis Literis sacrisque historiis (nam de his tantum dissero) fuissent versati: à quibus saltem & doceri possent quæ pingi deberent, quæ non item. Nunc verò quando suo indulserunt nimium ingenio, in absonas res ac peregrinas, non sine ipsarum sacrarum rerum iniuria, sunt prolapsi. Atque ut semel ingenuè quod sentio proferam, quodque me ad scribendum impulit patefaciam, Pictores, & quidem maiores atque eximii, ut felicissimi fuerunt in pingendo ac proponendo eo, quod sibi ipsis imaginati sunt, ita in imaginandis rebus ipsis, quæ depingendæ erant, fuerunt sæpenumero infelicissimi: quibus proinde, & eorum unicuique illud laudati Authoris aptari merito potest; *Digna profectò natura, quæ meliora vellet, quæ quod voluit, effecit.* Atque hęc quidem exempla sufficient: pluribus enim immorari, instituti nostri non est: præsertim cum tota hæc nostra tractatio futura sit huiusmodi exemplorum abundans.

Quintil. Instit. Or. lib. 10. c. 1 prop. fin.

Quintil. ibid.

CAPUT II.

RUDES ATQUE INEPTOS TYRONES; ITEM pessimos quosdam Artifices submovendos arcendosque jure videri à Pictura Sculpturaque sacrarum Imaginum.

1 Ictura Sculpturaque arctissimo, quod ad rem attinet, nexu conjungũtur. Utraque enim imitationi vacat, & rerum gestarum ob oculos expositioni. Cæterùm, ne duo hęc nomina passim repetere cogamur in Operis decursu, Picturam tantùm consultò nominabimus: Quidquid enim de hac dictum sit, de Sculptura etiam intelligenda videbuntur: & quicumque errores in Sacrarum Imaginum Pictura admittuntur reprehenduntur que, iidem profectò in earumdem Sculptura consequens est ut reprehendantur. Atque ita quidem procedemus, nisi res aliquid peculiarius exposcat.

2 Pictura igitur, quæ, ut nuper diximus, in imitatione versatur, jure merito comparatur Orationi, atque Poësi. Sicut enim Oratio Poësisque rem ob oculos designat; ita Pictura rem eamdem adspectui subjicit ac repræsentat. Multum igitur inter utramque rem convenit, ac, penè dixerim, omninò conveniunt; nisi quod Oratio Poësisque verbis agunt; Pictura coloribus. Quod adeò verum est, ut, teste Plutarcho, (a) non ineleganter Simonides dixerit, *Picturam esse Poësim tacentem; Poësim verò Picturam loquentem.* Plurima in hoc argumentum referenda facile essent, si res exposceret. Videat, qui his delectetur, Hermogenem, (b) Philostratum, (c) Dionem Chrysostomum, (d) & alios. Sed videat qui plura cupit, eruditum opus F. Iunii de Pictura veterum *lib.* 1. *cap.* 4. aliorum enim studiis implere paginas, & aliena prorsus scrinia compilare, nostri neque moris, neque pudoris est. Temperare verò mihi non possum, quin hic adscribam elegantissima verba duorum pręstantissimorum luminum, quorum prior est, non quidem Dio, sed Ioannes Antiochenus, potiori jure ac titulo Chrysostomus. (e) *Pictores* (inquit) *imitantur arte naturam: & coloribus colores permiscentes, visibiles corporum depingunt ima-*

(a) Bellonè an pace claruerint Athenienses.
(b) Lib. 1. de Ideis, c. 10.
(c) In prooemio de Imagin.
(d) Oratione 12. quę est de cognitione Dei.
(e) In Ps. 50.

imagines, & faciunt homines, & animalia, & arbores, & campos variis floribus adornatos, & omnia quæ videntur, per artem imitantes, mirabilem historiam videntibus præstant. Posterior verò Basilius Magnus, (f) loquens ad hunc modum: *Magnifica in bellis gesta & Oratores sępenumerò & Pictores pulcherrimè demonstrant: hi oratione, illi tabulis: ambo plures ad fortitudinem imitandam inducentes.*

(f) Homilia in 40. Martyres

3 Hoc solùm hìc addam; iustissima scilicet ratione dixisse Patres Octavę Synodi, quæ fuit Nicæna secunda, *habita ann.* 781. *Imagines Sacras esse iis, qui libros sacros legere nequeunt, rudibus scilicet atque imperitis, quod doctioribus atque eruditioribus libri sunt.* (g) Qua eadem ratione Tharasius Patriarcha CP. eamdem rem eleganter exposuerat: (h) *Quidquid enim* (inquit) *Sanctum Evangelium per lectionem nobis demonstrat, hoc idem Imagines per inspectionem. Quidquid item libri de passionibus Martyrum narrant, hoc ipsum etiam Imagines signant.* Neque mirum ita loquutos venerabiles Patres: hæc enim ipsa ratio naturalis dictat; quà propterea usi sunt, quanvis per scelus & abusum detorquentes ad cultum idololatricum, Cicero, (i) & Porphyrius. (j) Sed eadem piè, & ut oportet, usus fuerat jam pridem Gregorius Magnus (k) illis verbis: *Quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat Pictura cernentibus: quia in ipsa ignorantes vident quid sequi debeant.*

(g) Cōcil. Nicęn. 2. Action. 8. (h) Thar. Patriarc. CP. in Ep. quę prædict Act. 4.

(i) Lib. 2. de Legib. (j) Apud Euſ. lib. 3 de Pręparat. Evág. (K) Lib. 7 epist. 109. vide eumdem lib. 9 epist. 9.

4 Hæc cum ita sint, quis jam non videt, quantùm conveniat, ut Picturis atque Imaginibus sacris sua dignitas constet, tyrones quosdam nimium ineptos, rudesque, & imperitissimos nonnullos artifices arceri submoverique à sacris Imaginibus depingendis? Et sunt sanè plurimi, præsertim apud nos; quin & esse fortasse alios apud alias Nationes, nullus dubito, qui omnes publico judicio ad alias quascumque Artes potius, quàm ad Pictoriam revocari, pietatis ac religionis multùm intererat. Pingant ii per me licet, quantumlibet pessimè; sed tonstrinas, cauponas, pepones, olera, cucumeres etiam, atque cucurbitas: denique quidvis pingant, dum tantùm non sacras Imagines, quæ ad pietatem informandam cùm inventæ sint, pessimo ipsorum artificio, contemptui habeantur & risui. Certè in una nostrarum urbium, eaque satis celebri, & in qua alii præstantes artifices creantur, commoratur satis frequens id genus hominum: adeo ut vicum, eumque bene notum præfatæ urbis affatim compleant horum pessimorum pictorum officinæ; dictum idiomate nostro, *la Calle de Santiago.* Atque in his quidem Christi Domini nostri, Sacratæ Deiparæ, Divorum Divarumque omnium pinguntur Imagines, ea ubertim copia, ut per integra plaustra his cumulatissimè onusta, in multas regionis nostræ provincias deportentur. Sed Divi Divæque omnes, vestram fidem! quàm non solum vulgares, sed absurdę! quàm passim, quod ad Picturam attinet, dignæ contemptu, planèque ridiculæ! Videas profectò in memoratis præclarorum artificum officinis, Sanctorum, Beatæ Virginis, ipsiusque adeò Christi Domini Imagines perpaucas, quæ vel tantillum pietatis ac devotionis affectum inspirent: quæ verò vel ab homine admodum serio risum & cachinnos excutiant, perplurimas. Denique ut opportunè Horatius, (l)

Spectatum admissi risum teneatis amici?

(l) In Arte sub init.

scitum omnino est, atque ab ipsis veteribus traditum, primos Pictorię Artis opifices, cùm ipsa adhuc versaretur in cunis & fasciis, adeò rudi penicillo res adumbrasse; ut necesse habuerint rebus pictis nomina subscribere, nempe *hoc homo est*; *hoc canis*; *hoc felis*; *illud arbor.* Ita refert Aelianus; (m) in quam rem videri etiam possunt Aristoteles, (n) Cicero, (o) Philostratus, (p) Quintilianus, (q) Demetrius Phalereus, (r) Athenagoras, (s) Arnobius, (t) aliique passim. Hoc verò, ut & ipsi exsequerentur, seriò erant monendi præclari, de quibus loquimur, Artifices, & meritò: persepè enim cernuntur in ipsorum tabulis imagines rerum, quas nihil minus oculis repræsentant. Et Divum quidem Martinum ibi videas insidentem equo, qui possit haberi pro asino: quodque turpius est, Christum Dominum depictum sub figura agni, qui canis putari possit ab intuentibus.

(m) Lib. 10. var. histor. c. 10. (n) Probl. c. 10. (o) De claris Oratoribus. (p) De vita Apollonii. (q) Insti tut. Orat. lib. 9. c. 4. (r) de eloqutione §. 14. (s) In Legat. (t) Lib. 2. adversus Gentes.

5 Verùm quod attinet ad Sacras Effigies, risum potiùs quàm pietatem excitantes, quamquam ab externa profanaque Philosophia depromptum; lepidum, & non inopportunum

est quod narrat Athenæus, (u) cujus hæc sunt verba: *Parmeniscus Metapontinus, ut Semus inquit lib.5. Deliadis, & genere & opibus primarius, cùm in antrum Trophronii descendisset, reversus postea, ridere numquam potuit; oraculum autem sciscitanti in hunc modum Pythia respondit;*

(u) Lib. 4. Dipnosophist. non longè à princ.

De risu me clarè rogas nunc hospes: at ipsum
Culta domi mater reddet, cum videris illam.

Igitur sperans post reditum in patria risum, cùm nihil minus contigisset, putavit se esse deceptum ab oraculo. In Delum autem cùm aliquando venisset, atque omnia quæ in insula erant, magnopere esset admiratus, ingressus est Latonæ fanum: atque Apollinis matrem insignem aliquam statuam se conspicaturum existimans, cùm ligneam, rudem, ac planè deformem conspexisset, in risum effusus est. Ac tum demum oraculum mente revolvens, eo morbo liberatus, deam exinde impensius coluit. Hucusque Athenæus. Cæterùm (quod prætereundum hic non erat) sat notum est; priscis Gentilibus deorum suorum simulacra inculta, deformia, rudia, ac penè informes truncos extitisse: quod referunt & observant Clemens Alexandrinus, (x) & Arnobius.(y) Cui rei etiam allusit eleganter Lucanus illis versibus,

(x) Pœdagog. lib. cap. 2.
(y) Lib. adversus Gentes
(z) Lib. Pharsal. v. 412.

——————Simulacraque mœsta deorum
Arte carent; cæsisque extant informia truncis.

Postmodum autem promotis atque excultis Artibus, Pictoria atque Statuaria inanes deos elegantissimè pinxerunt, sculpseruntque: ne, quod venerationi & cultui proponebatur, in contemptum verteretur, aut risum.

6 Ad rem igitur de qua agebamus, & à qua nonnihil, quamquam non inopportunè sumus digresi, propiùs accedentes; quis ferat rudes tyrones, & pictores illos plusquam ineptos, quos nuper commemoravimus, versari impunè in sacris Imaginibus depingendis? Non ea saltem fuit mens hominum, qui falsorum deorum imagines in templis locabant atque fanis. Sed hi, postquam emicuere Artes, non solùm utcumque probatos artifices, sed præstantissimos quosque quærebant, signabantque ad simulacra Deorum effingenda. De quo, ne in re nimis nota divagemur, unius Plinii (a) lectio suffecerit vel minus eruditis. Verùm quid de simulacris deorum loquimur? *Alexander ille Magnus, cujus nemo jure posit vel sperare virtutem, vel optare fortunam,* ut inquit Apulejus, (b) adeo sui, & meritò, æstimator extitit; ut à nemine se pingi, nisi ab Apelle, & in ære fingi, nisi à Lysippo, non tantum voluerit, sed & jusserit: quod eleganter annotavit Horatius(c) illis verbis;

(a) Lib. Hist. Naturalis.
(b) Florid. lib.
(c) Epist. lib. 2. ep.

Edicto vetuit, ne quis se, præter Apellem
Pingeret, aut alius Lysippo duceret æra
Fortis Alexandri vultum simulantia.——

Non autem Apellis aut Lysippi gratiæ hoc datum esse, sed sibi, honorique suo credendum est. Quod prudenter sciteque scripsit Cicero: (d) *Neque enim,* inquit, *Alexander ille gratiæ causa, ab Apelle potissimum pingi, & à Lysippo fingi volebat: sed quod illorum artem, cùm ipsis, tum etiam sibi gloriæ fore putabat.* Quod idem non uno loco expresit postmodum Plutarchus: (e) quin & hanc etiam sui ipsorum, imo & Artium ipsarum æstimationem æmulati sunt alii Principes, quos hic referre supersedeo. Unum tamen eorum quin memorem, temperare mihi non possum. Is fuit Philippus Quartus Hispaniarum Rex cognomento Magnus, cujus etsi in vulgus promanarint imagines plurimæ ab aliis Archetypis profectæ; ipse tamen ex suo ipsius vultu, atque, ut sic loquamur, originaliter à nemine pingi passus est, nisi à Didaco Velazquez: usque adeò, ut absente hoc (bis enim ab Hispania abfuit in Italia commoratus) nemini omnino permiserit se præbere pingendum, quanvis præstantes alioqui suppeterent artifices. Hac enim laude repræsentandi, effigiandique ad vivum, quod His-

(d) Epist. ad Q. fil. lib. 5.
(e) In vita Alexãdri, & lib. de fortuna, & virtute ejusd.

Hispanicè dicimus *Retratar*, florebat præcipuè Velasquius. Cujus rei memoriam acceptam lubens fero Pictori præstanti atque erudito, amicoque cum primis nostro D. Antonio Palomino: à quo præter Opus, quod jam non sine eruditorum plausu typis dedit, (f) & in quo laudati Velasquii cum laude atque condigno honore meminit; (g) aliud tandem volumen egregium (h) habemus, in quo Pictorum Hispanorum vitæ posteritati commendatæ cernuntur.

(f) De Theoria Picturæ, editū Matriti an. 1715.
(g) Lib. 2. c. 9. p. 154
(h) *Practica de la Pintura.*

7 Si igitur terreni Reges dignum existimarunt, neque id injuriâ, ut vel à præstantissimis artificibus depingerentur, aut saltem non à pessimis; potiori esset jure cavendum, ne Sacræ Imagines ab imperitis homuncionibus exprimerentur, exponerenturque ridendæ potius, quàm venerandæ. Quis enim picturas illas, aut lituras potius, quas paulo ante commemoravimus; quis alias plures rudibus ac plane barbaris temporibus sculptas e materia imagines Divorum, imò Christi etiam ipsius, ac Sacratæ Deiparæ æquo animo ferat? Sed bene habet, quod cùm postremum Ecclesiæ Universalis Concilium, Tridentinum nempe, prudenter ac persanctè jusserit, abusum omnem tollendum esse in cultu atque expositione Sacrarum Imaginum, (i) sapientum quorumcumque Præsulum, imò & prudentum etiam Parochorum zelo ac judicio huic malo magnam partem occursum est, & imagines non paucæ insigniter deformes à templis saltem ac locis sacris amotæ sunt, aliquibus etiam sub terra defosis.

(i) De Reform. sess. 25.

CAPUT III.

SACRARUM IMAGINUM NOMINE AUT obtentu, pingendas non esse eas historias, quæ lubricis oculis lenocinentur, aut incautos ad malum pelliciant.

1 APud Ægyptios, Platone teste, (a) quamvis rerum sacrarum Picturę symbolis ac hyeroglyphicis deditissimos, pictorum licētia legibus coërcebatur, & meritò: *Oportere enim sapientes censuerunt, quòd in bene instituta Civitate juvenes bonis atque honestis figuris, & bonis cantibus assuescerent.* Quod idem, veluti rem per se conspicuam, observatam voluit in sua Civitate atque republ. Aristoteles, (b) dum ait: *Sit igitur cura magistratibus, nullam neque picturam, neque statuam talium rerum* (hoc est impudicarum) *imitatricem existere.* Ita est profectò. At non ita videtur esse aliquibus, qui sacris rebus & historiis (nam profanas tabulasque nihil hic moror; aliis enim hanc ornandam spartam lubens linquo) depingendis repręsentandisque, eas potissimum res atque historias depingendas eligunt, quæ ad nequitiam, pernitiosamque voluptatem incautorum hominum, præsertim juvenum, oculos turpiter impellunt. Nec vana hîc commemoramus aut commentitia. Fuere proximè elapso seculo duo artifices, ambo summi; quisque in suo genere, quos hoc loci nominare supersedebo, quia laudare non est cordi. Eorum igitur alter in Italia, non penicillo quidem, sed calamo, rhetoricisque coloribus sacras aliquot sibi depingendas selegit historias: adeo verò graphicæ, & malè feriatæ eloquentiæ pigmentis expressas; ut res non scriptæ narratævè in charta, sed planè in tabula depictę viderentur. Usque adeò verum est, quòd veteres utramque pingendi atque scribendi facultatem, eamdem penè esse statuerunt, utramque eodem ipso verbo significantes. Nam apud Græcos quidem τὸ γράφειν, æquè pingere atque scribere signat; Latini verò non absimiliter utrumque confundunt. Hinc enim illud Statii. (c)

(a) Lib. 34 sive Dial. 2. de Legib. non longe à princip.
(b) Lib. 7. Politic. c. 18.
(c) Sylv. 1. de equo Domitiani v. 102.

Api-

Apelleæ cuperent te scribere ceræ:

Imò ipsam picturam oculis lustrare atque intueri, *perlegere* dixit Virgilius, (d)

(d) Æne. 5. v. 33.

——Quin protinus omnia
Perlegerent oculis.——

ubi Servius; *Perlegerent: perspectarent scilicet picturam, non incongruè dictum legerent*: nam γράφειν *scribere significat, & pingere.* Sed hæc per transennam. At verò quas & quales historias ex sacris codicibus scriptas aut depictas dedit bonus ille rhetor, aut pictor? Nempe non alias, nisi quę plenę videbantur libidinum incitamentis, ac titillationum stimulis. Tales siquidem sunt filiarum Loth, & nudarum quidem, pudore omni remoto, senem patrem ut incestuosè concumberet, plenis poculis inebriantum; Ægyptiæ Iosephum ad ad adulterium provocantis; Bethsabee regiæ cupidini sese prostituentis; Susannę se lavantis historiæ, aliæque huius generis: quas easdem Hispanus artifex non ignobilis (qui eorum alter est, quos nuper, tametsi innominatos, commemoravimus) penicillo eleganti, quamquam malè collocato, præ aliis pudicis atque honestis depingere maluit: & (quod mirandum, aut dolendum potius magis est) si alia idem fortasse pingebat, non ęqualis in his artis atque elegantiæ apparebat industria.

2 Sed quàm absurdè, atque contra ipsas honestatis regulas in his deligendis argumentis, in quibus ingenium & artem ostentaret, se gesserit uterque, multis hîc probare atque ostendere promtum erat. Quod verò propius ad rem nostram attinet, selectiora libabimus; hoc interim monere contenti, eos scilicet qui hoc modo artibus præclaris ac nobilissimis Rhetorices atque Picturæ utuntur, aut potius abutuntur; non veras artes, sed alias quasdam adulterinas introducere, ac pro veris & propriis subrogare. Sicut enim *qui aliter utitur arte Rhetorica, quàm ut cives meliores efficiat, is Rhetorica non vera utitur, sed adulatorio quodam artificio*, ut præclarè ac sapienter scripsit Plato: (e) ita qui Picturæ artem ad impudica quæque traducit, & ad ea, quæ Nisenus (f) *infamia spectacula*, Tatianus verò (g) *vitiorum monimenta* nuncupat; is profectò non pictoria utitur arte, sed planè lenocinali ac meretricia. Certè Propertius (ut vel ii etiam castos oculos doceant, qui alioqui licentiæ sectatores & amatores audiunt) satis eleganter hanc coërcuit pingendi licentiam. Sic enim habet. (h)

(e) In G[orgia].
(f) In vi[ta] Mosis.
(g) Or[at.] contra Græcos.
(h) Lib[.] Eleg. [...] prope [fi]nem.

Quæ manus obscænas depinxit prima tabellas,
Et posuit casta turpia visa domo;
Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos,
Nequitiæque suæ noluit esse rudes.
Non istis olim variabant tecta figuris,
Cùm paries nullo crimine pictus erat.

Hinc, quâ solet severitate atque elegantiâ, Plinius (i) invectus in sui seculi mores atque luxuriam, mentionem facit calicum & scyphorum, qui adulteriis, & id genus figuris cælati erant; *Tamquam*, inquit, *per se parum doceat libidines temulentia. Ita vina ex libidine hauriuntur, atque etiam premio invitatur ebrietas.* Hinc etiam Sidonius Apollinaris prædium suum elegantissimè describens, inter alias modestiæ regulas apprime ibi observatas, hoc ipsum reponit: quod scilicet careret picturis inhonestis. *Non hic*, ait, *per nudam pictorum corporum pulcritudinem turpis prostat historia, quæ, sicut ornat artem, ita devenustat artificem.* (j) Hinc denique elegantissimus Chrysologus (K) pictores hujusmodi picturis deditos vehementer & scitè reprehendit, illis usus verbis: *Formant adulteria in simulacris, fornicationes imaginibus mandant, titulant incesta picturis.*

(i) Histor. Nat. lib. 14. c. 22.
(j) Lib. [...] Epist. [...]
(K) Ser[m.] 155.

3 Quantum verò hujusmodi rerum simulacra incautis spectatoribus noceant, quamtumlibet ex sacris desumantur historiis; ipsorum Ethnicorum doctrina argumento, & quidem luculentissimo, esse potest. Gentiles etenim, qui deos fures colebant

& adulteros, præclara hæc gesta monimentaque religionis proponebant in tabulis: sed quibus interdum consequiis, eleganter docet juvenis ille Terentianus; qui curiosius inspectans tabulam, in qua depictus erat Iupiter, qui sese in aurũ vertens, perque tectũ pluviæ instar influens; in Danaes gremium involitabat; virgini stuprum committere statuit imperterritus. Sed audiamus (castè enim fas est) ipsius poëtæ verba, rem mirificè proponentis. (l)

(l) Terent. in Eunuc. act. 3. Scen. 5.

—— Dum apparatur virgo in conclavi sedet
Suspectans tabulam quamdam pictam, ubi inerat pictura hæc; Iovem
Quo pacto Danaæ *misisse ajunt quondam in gremium imbrem aureum.*
Egomet quoque id spectare cæpi: & quia consimilem luserat
Iam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi,
Deum sese in hominem convertisse, atque in alienas tegulas
Venisse clanculum per impluvium, fucum factum mulieri.
At quem Deum? qui templa cæli summa sonitu concutit.

Hucusque adspectus tabulæ, hucusque incitamenta nequitiæ, hucusque tamdem præclari exempli invitamentum. Vide jam quid illo provocatus admisserit, aut verò quo pacto semet ad flagitium admittendum incitet. Subjungit enim:

Ego homuncio hæc non facerem? ego illud verò ita feci, ac lubens.
Dum hæc mecum reputo, &c. ——

Prudenter hic adnotavit Donatus, poëtam non jam Comicè, sed Philosophicè demonstravisse, quam cladẽ moribus hominum, & civitatibus figmenta depicta poetarũ, subministrent cum exempla scelerum afferant peccaturis. Imò & addit: inventionem miram extitisse in eo, quod pictura hæc domui tribuitur meretriciæ adversus omnium pudicitiam amorum, contra parsimoniam, contra probitatem, contra pudicitiam. Quod ipsum jam acriter in Poetica (quæ loquens, ut sæpè diximus, pictura est) comica præsertim, reprehenderat Cicero, (m) eo præcipuè nomine illam incusans, quòd cùm magistra atque institutrix humanæ vitæ deberet esse, imò & talem se ipsa prędicaret; hæc tamen flagitia spectantium oculis exhiberet: &, *O pręclaram* (inquit) *emendatricem vitæ poeticam! quæ amorem, flagitii ac levitatis authorem, in concilio deorum collocandum putet. De Comœdia loquor: quę si hæc flagitia non improbaremus, nulla esset omnino.* Meminit ejusdem supra memorati exempli Augustinus Parens non uno in loco, (n) cujus proferre verba supersedeo. Ea enim omnia, ut & exemplum ipsum, satis ostendunt, quantum noceant bonis ac probis moribus historię depictæ, quæ minus honesta memorent, etsi desumptæ ex magnis exemplis, vel ex sacris codicibus videantur.

(m) Tusculan. q. 4.

(n) Confess. l. 1. c. 16. De civit. Dei lib. 7. c. 2. & Epist. 202. &c.

4. Quare quod ad rem attinet, ne hujusmodi historię, aut iisdem similes, depingantur sacrarum imaginum obtentu; cautum est, tum decreto Patrum congregatorum in Trulio, (o) tum citato jam atque laudato decreto Tridentini, tum denique Urbani Octavi P. M. authoritate, illis verbis: *In Ecclesiis quibuslibet, & quomodolibet qualificatis, atque earum frontispiciis & atriis ne exponantur imagines profanæ, vel aliàs indecentiam & inhonestatem præferentes.* (p)

(o) Can. 100.

(p) Const. Sacros. edita 15. Martii 1642.



CAPUT IV.

NON SOLUM TURPIUM ATQUE IMPUDICArum rerum picturas evitandas esse: sed etiam indecentiam omnem, ac nuditatem, quantum fieri possit, à Sacris Imaginibus removendam.

1 Lubrici sunt atque in malũ proclives majori ex parte mortalium oculi. Quod quidem multis hinc & inde desumtis, aut veterum sapientũ sententiis, aut sacrę etiam paginæ testimoniis munire ac confirmare, hominis, ut mihi videtur, suo ipsius tempore, atque aliorum otio abutentis est. Sat, nisi nimium fallimur, aut falli etiam cupimus, unumquemque docuit experientia, in quot incurrerit lapsus aut pericula ex adspectu rerum inverecundarum non satis cauto ac circunspecto. Quare consultius fecerit, me judice, qui non solùm turpia, atque inhonesta gesta, quamquam ex sacris literis desumta, non pinxerit: sed etiam in pingendis, effingendisque sacris Imaginibus, honestatem atque decorem sectatus fuerit; ut saltem omnis nuditas amoveatur, quæ commodè vitari possit.

2 Certè Christiani Græci, qui olim semper, atque etiam num, sacras Imagines pręcipua colunt religione, & maximè suspiciunt; (a) non tantùm eas depingunt probè atque honestissimè vestitas; sed, quod prodidit Guillielmus Durantus, (b) post eumque alii, majori ex parte eas depingunt non amplius quàm pectore tenùs: ut per hoc cujusvis imprudentis aut stultæ cogitationis tollatur penitus occasio. A nudis verò imaginibus penitus abhorrent: adeo ut Moscovitæ, qui quamquam Græcanico schismati obstinatissimè adhęreant, rituum tamen, quos à majoribus accepere, sunt tenacissimi: nudas divorum imagines omninò respuunt: præsertim si nuditas vel ex parte solùm inferiores corporis partes quoquomodo contingat. Neque id mirum; *sunt enim Moscovitę* (teste Antonio Possevino, (c) qui certè eorum mores sat exploratos habuit) *in his rebus adeò circunspecti, ac penè morosi; ut ægerrimè ferant, si crucem pendentem è cingulo videant; fereque ad lumbos pertingentem: quòd nimium indecens hoc reputent, alienumque à veneratione, quæ imagini Crucis Sanctissimæ pręstari atque exhiberi debet. Quin & iidem* (ut magis appareat, quàm potiori titulo nudas imagines exhorreant) *magnoperè offenduntur*, inquit laudatus Possevinus, *Italicis, Gallicis, Hispanicis, Germanicis vestibus brevioribus; quod eas partes aspectui exponant, quæ magis tegi debuissent.* (d)

3 Hæc cùm ita sint, imò & cùm hæc vera probitatis atque honestatis ratio confirmet: nihilominus non tam strictam ac nimis anxiam pingendi rationem in sacris Imaginibus figurandis ab artificibus exposco. Velim tamen, & seriò, adhiberi modum improbiori pingendi licentiæ. Cui enim, rogo, bono usui esse possint imagines, non tantùm divorum divarumque, sed etiam ipsius Deiparæ, quas passim cernimus, neque solùm in domibus, sed in templis: in quibus pluscula convelanda erant, atque emendanda, si, quæ par est, puritatis ac sanctitatis ratio haberetur? Rectissime Ambrosius Catherinus. (e) *Quod verò*, inquit, *omnium est teterrimum hac tempestate, in excelsis templis sacellisque offendas picturas tantæ lasciviæ; ut quidquid natura occuluit turpe nostrum, ibi liceat contemplari, ad excitandam non devotionem, sed cujusvis demortuæ carnis libidinem.* Videntur atque spectantur persæpè in picturis pueri jam grandiusculi undequaque nudi; qui Angelos ex pingentium intentione & voluntate signant: sed tamen ex immodesto artificii abusu, procaces atque improbos cupidines referunt. Cernas, neque raro, icones Sacratissimæ Deiparæ, illius nempe, quæ totius est castimoniæ ac puritatis archetypus,

(a) Vid. Iacobum. Goar in notis ad Rituale Græcor.

(b) In Rationa. l. 1. cap. 3.

(c) In sua Moscovia edit. Antuerp. 1587. pag 80.

(d) Ibid. pag. 79.

(e) De cultu imag.

Lib. 2. de Virginib.

pus, quæque omninò *talis fuit* (quod piè atque eleganter scripsit Ambrosius) *ut ejus unius vita omnium sit disciplina.* Videas, inquam, illius sacratas imagines, non quidem simpliciter nudas (neque enim eousque processit Catholicorum artificum audacia) sed quę tamen promissa flava cæsarie, nudatis collo atque humeris, imo & purissimis atque castissimis uberibus: interdum etiam pedibus nudis. Non exemplar illud Virginum, virgineique pudoris prototypum absolutissimum; sed Gentilium aliquam deam, imò & Venerem Gnydiam ostentent. Rectè ac sapienter Catholicus eruditusque scriptor. (f) *Imagines*, inquit, *Christi meminerimus completæ honestatis ac religionis, non perditi luxus exemplaria esse. Quare omni pudore ac verecundia aspersas esse magnopere convenit. Quid commune Virgini sanctissimę, pudicitię numeris omnibus perfectæ atque expletæ, cum ornatu illo penè dixerim meretricio? Quid sanctis Martyribus, Christique Confessoribus, cum plusquam profano apparatu?* Sed quid opus pluribus? Ipsum infantem Iesum jam bimum, trimumvè, nudum omnino depingi atque sculpi notius est, quàm ut hîc allatis testimoniis confirmari opus sit. Quid verò in hac nuditate pietatis atque ædificationis insit, præclari viderint artifices: ego quidem pietatis devotionisque nihil video; imò sat probè scio ex hujusmodi pingendi aut sculpendi modo, infirmis ac parvulis parari sæpius offendiculum.

(f) Franc. Horat. in locis Cathol. lib. 2 c. 27.

4 Iam vero quid memorem imagines Sanctorum Martyrum atque Virginum? Plura certe in iis, quantum ad rem de qua agimus spectat, coërcenda ac corrigenda quis esse non viderit? Pinxit Martyres duos, dum ad supplicium capitale ducerentur, insignis artifex: cuius pictura extat atque spectatur in celebri loco (neque enim falsa confingimus) inter alias plurimas atque excellentes, justę ac naturalis staturæ; sed omninò nudos à capite, quod ajunt, ad calcem. Recte quidem ex Artis regulis, recte ex veterum Romanorum moribus, atque institutis: sed quod ad Christianam circunspectionem ac modestiam attinet, minus rectè. Haud rarò enim feminæ prædictas imagines inspiciunt: quibus an aliquod suboriatur scandalum, aliorum esto judicium. Certè in una, eaque percelebri, urbium Italiæ ab illustri artifice (nullum in toto hoc opere nominabo, quem laudari nolim) depictus est Martyr Sebastianus, an omninò nudus, non satis scio; sed adeò vivis & carnem nudam reddentibus coloribus, adeo exporrecta fronte, ridente penè vultu, concinnoque adspectu; ut cùm compertum esset, ex hujusmodi effigie non paucarum feminarum sæpius oculos irretiri; superiorum authoritate cautum est, ut ab Ecclesia imago hęc amoveretur. (g) Sed fidem penè superat quod mihi ipsi narravit integerrimę fidei ac probitatis vir, magnæque ac prorsus excellentissimæ authoritatis: à cujus ore accepi, quod in præclara Hispaniæ nostræ urbe depictam viderit in celebri templo Virginem tutelarem, divamque Martyrem affixam Cruci, ejus formæ (quod magis est) quam describit Lipsius, (h) & quæ communiter Sancto Apostolo Martyrique Andreæ tribuitur, lignis in modum X literæ decussatis. Sed quo habitu? honos sit oculis atque auribus; omnino ac penitus nudam: *Quasi* (inquit non Italus, Hispanusve, sed Septemtrionalis Historicus i) *interior caro non sufficeret sibi in dejiciendo homine in mille tentationes, fragilitate tandem sua collapsuro, nisi & externæ augerentur provocationes.* Et hoc non in profanis Principum aulis, sed in ipsis Sacris ædibus & in templis! Utinam omnino vigeat Tridentinæ Synodi decreti vis atque institutio, qua jam pridem laudato loco (j) cavetur, ut in sacris Imaginibus *omnis lascivia vitetur; ita ut procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur.*

(g) Vide Borghini l. 3. p. 380.

(h) Lib. 1. de Cruce cap. 7.

(i) Olaus Magnus.

(j) Sess. 25 de Reformat.



CAPUT V.

NUDITAS CORPORUM IN SACRIS Imaginibus, quæ, & quatenus absque piorum offensione permittenda.

1 SSE semper adhibendum modum in rebus, qui non noverit, profectò sapit ille, novitque nihil. Vix aut ne vix quidem regula statui potest, cui non ulla justa subjiciatur exceptio. Nam plura sunt, dicet statim aliquis, quę cùm Sacræ Imagines depinguntur, nuditatem in iis non tantùm permittant, sed exposcant. Primos Parentes nudos semper pinxit antiquitas, atque etiam num pingunt cordati & bene morati pictores. Neque id reprehendisse sapientes, ac gravissimos Theologos, atque in Academia Salmanticensi Sacræ Tueologiæ professores primarios Illustrisimos Fr. Angelum Manriquium, & Fr. Josephum de la Cerda super hac re seriò consultos, authorem habeo satis idoneum. (a) Martyres rursus, nisi in tormentis nudi pingantur, quas pro Christo tulerint pœnas non satis ostenditur. Imo & utriuslibet sexus in eremo agentium, & pœnitentium imagines, sicut & maciem & pallorem, nuditatem exposcunt.

(a) Anonym. scriptor. de hac re, tractatu Italico edito Florentiæ 1652. c. 2 pag. 38.

2 Hæc & similia pro Sacrarum Imaginum nuditate, neque omninò incongruenter, objici possunt: quæ ut certa ab incertis separemus, clarius ac dilucidius examinare operæ pretium est: inde enim constabit, quæ nuditas, & quatenus sit in Sacris Imaginibus toleranda, aut certè permittenda. Et quidem quod ad primos Parentes attinet; fatemur tolerabilę esse, ut omnino nudi pingantur: tùm quòd id vetus consuetudo pręscripserit: tùm quòd non alia fortè ratione status ille felicissimus, à quo exciderunt, repræsentari posse videatur; in quo, ut sacra Scriptura loquitur, erat uterque nudus, *Adam scilicet & uxor ejus; & non erubescebant*: (b) non quòd in hoc inverecundè agerent, aut impudenter se gererent; esset enim conjungi res maximè dissitas, hoc est innocentiam atque impudentiam, ut graviter atque eleganter disputat Magnus Parens Augustinus; (c) sed quòd in illo statu beatitudinis, in quo tam subditi, perfectèque submissi erant rationi, fomes atque concupiscentia, cùm nihil in seipsis agnoscernet, quod non esset ex integro opus Dei, atque adeo bonum: aut se esse nudos planè ignorabant, quod satis disertè indicat Sacer Textus; (d) aut nihil occurrebat illis in se ipsis, de quo jure deberent erubescere. Tolerabile igitur fuerit eos nudos depingi; sed tamen honesto atque pudico pictorum ingenio, laborandum est; ut quantum rationes Artis permittant, absit turpitudo ab illorum imaginibus. Quod sobriè ac dignè fiet, si, aut gestu corporis, aut interjectu alicujus alterius rei, ut est truncus arboris, aut ramusculus, partes quæ pręcipuè celari debent, commodùm obtegantur. Et hęc quidem observanda sunt, cùm primi Parentes depinguntur in statu innocentiæ. Etenim quando jam in peccatum lapsi depinguntur; ut est pręsertim quando eosdem Deus coarguit, aut quando eos Angelus è paradiso ejecit extorres: tunc nefas fuerit eos nudos omnino proponere, & non potius, aut cum perizomatibus, quæ sibi ipsis consuerant, (e) aut cum illis pelliceis vestibus, quibus Deus eosdem induit, (f) atque à paradiso jussit exsulare.

(b) Gen. 2 v. 25.

(c) Lib. cont. Julianú Pelagianum cap. 1.

(d) Gen. v. 11.

(e) Ibid. v. 7.

(f) Ibid. v. 21.

3 Iam quod ad Passiones Martyrum spectat, omnino nudos effigiari, non tantum sacras Virgines, atque feminas, sed & juvenes aut viros, probare aut admittere ratione nulla possumus: sed semper, cùm in ipsa tormentorum perpesione repræsentantur, sive quando pinguntur cùm ducebantur ad supplicium; proponantur ut minimùm cum pannis aut subligaculis circa partes illas, quas præcipuè velare studet natura

&

& pudor. Idque non quòd ignoremus, Gentiles, atque in iis

Romanos rerum dominos gentemque togatam, (g)

(g) Æneid. 1. v. 286.

apud quos certè omnimodæ nuditatis vix aut ne vix quidem ratio ulla habebatur; quandoquidem vel in ipsis sacris apud ipsos videre erat

—*Exultantes Salios nudosque Lupercos:* (h)

(h) Ibid. 8 v. 663.

ut alia interim taceam de eorumdem balneis, de ludis gladiatoriis, atque gymnasticis, imo & de aliis plurimis iis longe fœdioribus: quamquam non ignoremus, ea ipsa etiam exercitamenta gymnastica non admodum probavisse eandem ob causam cordatiores ac sapientiores viros: inter quos, aut præ quibus omnibus Cicero (i) de turpibus & flagitiosis amoribus sermonem instituens: *Mihi quidem*, inquit, *hæc in Græcorum gymnasiis nata consuetudo videtur: in quibus isti liberi & concessi sunt amores: Bene igitur Ennius;*

(i) Tuscul. quæst. lib. 4. prope fin.

Flagitii principium est nudare inter cives corpora.

qui ut sint, sicut fieri posse video, pudici, soliciti tamen & anxii sunt: eoque magis quod se ipsi continent & coërcent. Non, inquam, quod ignoremus, Gentiles Romanos, Græcosque, etiam antiquiores, solitos esse reos aut torquere, aut extremo supplicio afficere, omninò vestibus nudatos, nulla prorsus habita ratione decori atque honesti. Ita enim ex veterum monumentis latè probat eruditus oppidò Antonius Gallonius, (j) ubi rem disertè probatam concludit illis verbis: *Ex his igitur jam dilucidè apparet; cæsos fuisse reos à lictoribus vestibus prorsus denudatos.* (k) Et quidem quod ad Sanctos Martyres spectat, quæ instituti nostri proprior est ratio, nuditatis ignominiam passos fuisse, non tantùm sub Gentilibus persecutoribus, sed sub persecutoribus Arianis, disertè constat ex Eusebio, (l) ex Athanasio (m) aliisque passim Ecclesiasticis Scriptoribus: inter quos Hilarius (n) gravissimè rem depingit illis verbis: *Sacerdotes carceribus continentur, plebs in custodiam catenati ordinis constricta disponitur, virgines nudantur ad pœnam: Sacrata Deo corpora publico exposita conspectui, ad fructum spectaculi, & quæstionis aptantur.* Petrus item Alexandrinus (o) eleganti descriptione, ubi post pluscula; *Vestes*, inquit, *Sanctarum Christi Virginum, quarum pius vitæ cultus exemplar vivendi Sanctorum expressit, dilacerare, easque nudas, uti in lucem editæ erant, per urbem triumphi loco ducere, & pro sua libidine petulanter & obscœne irridere cœperunt.* Verùm, quod est observatione, atque etiam admiratione dignissimum, interdum accidit, ut vestes sanctis mulieribus à pedibus suspensis immotæ manserint, neque in earum defluxerint faciem; Deo per miraculum earumdem honestati atque pudicitiæ consulente: quod nuper laudatus Hilarius (p) scripsit his verbis: *Sanctus ubique beatorum martyrum sanguis exceptus est: Dum in his dæmones mugiunt, dum ægritudines depellunt, dum admirationum opera cernuntur, elevari sine laqueis corpora, & suspensis pede feminis, vestes non defluere in faciem.* Ergo, quod superius dicebamus, non quòd hæc iisque similia nos lateant, edicimus, Sanctos Martyres in cruciatibus suis pingendos non esse penitus atque omnino nudos; sed quòd hæc pingendi ratio gravitati atque dignitati Christianæ non congruat. Neque negamus, eosdem Sanctos Martyres in hac ipsa nuditate plurimum pertulisse pro Christo; sed tamen quod illis pati meriti plenum, gloriosum, ac triumphale fuit, nostrum non est, qui affectibus impuris subjacemus, eodem prorsus modo pingere atque intueri. Sed de hoc, cùm de nuditate Christi Servatoris in sua sacrosancta Passione sermo fiat, iterum erit dicendi locus.

(j) De Cruciatibus Martyr. c. 4. pag. 112.
(k) Ibid. pag. 113.
(l) Histor. lib. 8. c. 9.
(m) De Fuga sua, & in Epist. ad Solit.
(n) Epist. ad Constantium.
(o) Apud Theodoretū lib. 4 hist. c. 2.
(p) Ibid.

4 Cæterùm, ne quid ad rem penitus pertractandam spectans intactum relinquamus, aliud hìc notandum occurrit. Plura scilicet Sanctos Martyres passos esse, quæ pingere non decet, nec convenit. Quæ tamen ea sint, paucis accipe. Principiò: quando in eorum actis aut gestis legitur, jussos esse aut plumbatis, aut scorpionibus, aut faculis ardentibus, aut aliis diabolicis machinamentis toto corpore lacerari; certum est hæc non hoc pacto debere depingi: cùm sine illa omnimoda ac totali nuditate, quam paullo ante dicebamus, quamque à sacris Imaginibus arcemus,

mus, fieri omnino non possit. Deinde ex gravissimo scriptore (q) constat, quòd interdum impiis persecutoribus agentibus: *Mulieres uno pede alligatę, sublimes in aërem, capite deorsum statuto, quibusdam machinamentis attractæ, nudis omnino ac detectis corporibus, spectaculum fœdissimum, crudelissimum omnium & ab omni humanitate alienissimum intuentium oculis exhibuerunt.* Quis vero hoc citra omnem honestatis injuriam oculis, rudiorum maximè, proponat ac depingat? Ad hæc, aliquos ex Sanctis Martyribus, præsertim pueros, puerorum in schola modo cæsos ac castigatos esse jubentibus tyrannis, nulli non est pervium. Hoc enim significari per illa ipsius Romani Martyrologii verba, (r) *Catomis*, vel *Catomo cædi*; hoc est, in alterius alicujus humeris altius sublatos, à media deorsum versus corporis parte flagris aut virgis vapulare; annotarunt jam, planumque fecerunt viri quique doctissimi, (s) evidenti præcipuè ducti testimonio Prudentii (t) quo de Barula Christiano puero, quem Asclepiades præses confessioni Christi subjecerat, ita inquit: ob verborum enim elegantiam integrum testimonium nil gravabor exscribere.

(q) Eus. lib. 8. hist. c. 9.

(r) 18. Junii in Elogio S. Viti mart.

(s) Card. Baron. in not. ad Mart. citat. proxim dic. Gallo. de Cruciat. Mart. c. pag. 114 Ioan. Stephan. Menoch. in suis Storeis G. Sagittarius opusc. de Cruciatib. martyr. c. 5. n. 11.

(t) Lib. Peristeph. in Hymno S. Romani Mart.

Vix hæc prefatus, pusionem precipit,
Sublime tollant, & manu pulsent nates;
Mox & remota veste virgis verberent,
Tenerumque ductis ictibus tergum secent;
Plus unde lactis, quàm cruoris defluat.
Quæ cautis illud perpeti spectaculum
Quis ferre possit æris aut ferri rigor?
Impacta quotiens corpus attigerat salex;
Tenui rubebant sanguine vda vimina,
Quem plaga flerat roscidis livoribus.

Imò etiam (nam neque hoc prætermittendum est) non solum pueros, sed & senes gravissimos ac venerabiles, matronasque item honestissimas majoris ignominiæ causa id genus supplicii perpessos, Ecclesiasticæ produnt Historiæ.

5 Quod ad primum attinet, de Thoma Episcopo sic habet Victor Uticensis: (u) *Quia tacendum semper non est de impietatibus hæreticorum, nec verecundum poterit esse quod ad laudem proficit patientis. Ordinator quondam memorati Sacerdotis, nomine Thomas, dum variis insidiis ab eis artaretur, quodam tempore venerabilem senem in publica facie* Catomis *cæciderunt.* Quod ad secundum verò spectat, Acta S. Afræ martyris, (x) ubi judex illam alloquutus, *Catonis*, inquit, *nudam te cędi jubebo*; hoc est, prædicto, eoque contumelioso, atque ignominioso genere concìdi flagris. Sed audiantur eadem Acta, quæ inter alia selectiora collegit vir satis eruditus, (y) ita enim habent: *Iudex Gaius dixit; Sacrifica, ne in conspectu amatorum tuorum, qui tecum turpiter vixerunt, catomis te cædi jubeam. Afra respondit: Confusio mihi nulla est, nisi de peccatis meis.* Quasi diceret: probrosum & ignominiosum id quidem; sed non tanti mihi erit, ut ob id contumeliæ probrum discesserim à Fide & Religione Christi; utpote quæ confusionem & verecundiam nullam majorem duco, quàm eam quæ mihimetipsi peccata mea ingerunt: quod amplius ipsa declarat. Cùm enim instaret judex ut sacrificaret, alioquin variè tortam, eam tamdem postmodum ipsum igne crematurum, respondit: *Corpus, in quo peccavi, accipiat diversa tormenta; nam animam meam sacrificiis dœmonum non coinquinabo.* Simile quippiam (nam & hoc etiam placuit adjicere, quòd non vulgaris lectionis existat) legere est in Actis ac certamine Sancti Eliæ junioris, quæ ex veteri manuscripto Græcè ac Latinè edidit (z) doctus atque eruditus vir P. Fr. Franciscus Combefis, Sacri Ordinis Prædicatorum haud vulgare ornamentum. Ibi enim hæc exstant, quæ integra Græcè mallem exscribere, nisi vererer aut characterum inopiam, aut typographorum imperitiam. Sic enim habent se res nostræ. *Iubet ergo* (nempe judex Saracenicus Mahumetanus Damasci in Syria præfectus) *rursum nervis bubulis vapulare, viris robustis cædentibus; moxque verberum illa tunsione, quod caro putruerat, suppurare, multamque dif-*

(u) De Persecution. Uvándalica, libr. 1.

(x) Vide Martyrolog. Romanum 5 Augusti.

(y) Theodor. Ruinart pag. 455.

(z) Parisiis apud Leonard. 1666.

diffluere saniem, unà etiam decidentibus vermibus, ac fœtore procul exhalante. Tunc judex, tantæ labis aspectum non ferens, humi in faciem projectum sanctum, à lumbis ad pedes usque ex utroque latere fustibus contundi jubet. Quod hodie torquendi genus Mahumetanis Turcis in usu est; nisi quod, ut ab ipsis expertis didici, non omnino super nudam carnem hujusmodi verbera infliguntur, sed super levem ac tenuiorem aliquam vestem: ea tamèn truculentia; ut quandoque cæsis curationis causa, integrę ferè libræ contusæ carnis abscidi ac dissecari necesse sit.

6 Tandem notum est ex Ecclesiasticis Historiis, persecutores aliquot, ut truculenti erant æquè atque obscœni, Sanctissimos Christi Confessores trucibus aliquoties, atque aliquomodo impudentibus suppliciis per summam injuriam ac turpitudinem cruciavisse. Tale est quod refert Martyrologium Romanum(*) de beato Ischirione martyre, *Qui* (in urbe Alexandria) *cùm ad sacrificandum convitiis & injuriis cogeretur, atque contemneret, prçacutâ sude per media viscera transverberatus, neci traditur.* Quod supplicii genus non aliud est, quàm id quod hodie Turcæ in famosiores reos, atque etiam aliquando in Christianos usurpant: & vulgò vocatur à nostris Hispanis *Empalar:* & quòd præter cruciatum vehementissimum, non sine insigni obscœnitate peragitur. Infigunt enim carnifices per infimam hominis sedem prçacutum palum, quem postea solo infigentes, ut per os ipsum patientis, vel per humerum emergat, ipsa mole corporis consequuntur. Vetus jam, & quidem sævus cruciandi modus, quem graphicè atque eleganter describit Lipsius, (a) confirmatque veterum testimoniis, præcipuè Senecæ, (b) verbis illis: *Video istic cruces nec unius generis, sed aliter ab aliis fabricatas. Alii capite converso in terram suspendère, alii per obscœna stipitem egèrunt.* Hoc autem, etsi jam factum honeste pingi & repræsentari posit, & aliquãdo observaverimus Athletam Christi hoc modo & quidem honestisime depictum: tamen cùm res agitur indignisima, ne depingatur ratio ipsa suadet, atque honestas. Illud verò depingi nullo modo poterit, quod de beato Benjamine fortisimo Chrysti martyre narrat Theodoretus, (c) ubi de Isdegerde Persarum rege sermonem habens, *Ubi autem,* inquit, *videt eum hunc cruciatum habere pro ludo, aliam rursus arundinem in genitale membrum intrudi mandat, quę sæpius extracta, insertaque, dolores illi incuteret inexplicabiles.* A quo mutuatus idem videtur Casiodorus, (d) qui de eodem Benjamine Diacono Persico loquutus, *secundò captus,* ait, *martyrium pertulit infixione calamorum in ungues viginti digitorum, & in femur unde humana origo descendit.*

7 Monuimus igitur hæc omnia, ne à Christiano Pictore coloribus & picturis exprimerentur: non, quod sæpè dicimus; quia gloriosissimum non fuerit talia pro Christo Sanctos Martyres pertulisse; sed quia nos ipsos hæc proposita spectare non deceat. Uno verbo. Tali ac tanta in Sanctis ipsis depingendis uti nos circumspectione cautelaque, quod alio proposito dixit Doctor pius ac sapientissimus, (e) *nostra interest, non ipsorum.*

8 Tandem quod ad Anachoretas atque Eremitas attinet utriuslibet sexus; vidimus senes sæpius depictos nudis scapulis atque pectore, nudis etiam partim femoribus, atque cruribus. Non hoc, ut mea fert opinio, cum magno aut notabili pietatis honestatisque detrimento: sed an conformiter ad id quod naturâ contingit, peritorum esto judicium. Describuntur enim vegetis ac firmis artubus, alba, aut albente glabra, atque (ut pictura loqui amat) morbida carne: cùm tamen satis constet, homines, præsertim eos qui aliquando vestibus sunt usi, si multo tempore nudi agant, soli expositi, & sub dio degentes; non solùm reddi fuscos admodum ac penè nigros, aspera prorsus atque horrente cute; sed etiam pilis majorem in modum toto ferè corpore succrescẽtibus operiri. Quod certe evenisse pluribus, multorum testimoniis accepimus: & evenisse satis cõstat naufrago illi celebrato Ioanni Serrano, qui parvæ insulæ nomen fecit in Oceano Meridionali. Hic enim, ut refert probatæ fidei & authoritatis scriptor, (f) cùm ad prędictam insulam penè nudus naufragio ereptus appulisset, mansissetque ibi per aliquot, ut opinor, annos omni hu-

(*) XI. Kalend. Ian.

(a) Lib. 1. de Cruce c. 6.

(b) De Consolatione ad Martiam. cap. 20.

(c) Lib. 5. Hist. c. 23

(d) Lib. 10. Hist. Tripartit. cap. 33.

(e) D. Bernardus.

(f) Garcilasus Inca Hist. Peruan. t. 1.

humano prorsus destitutus auxilio, remotusque ab omni hominum ferarumque penè commertio, vitam duxit, felicem nè, an magis miserabilem, haud satis affirmare ausim. Sed quod ad rem attinet, ipse atque alius, qui simili naufragii casu ad eamdem ejectus est insulam; adeo, vestibus omnino consumtis, deformati sunt, adeoque pilis toto corpore prominentibus induerunt ferarum penè formam: ut post multa tandem, quæ referre hujus instituti non est, à præter navigantibus exceptos, statuerit illius tractus Prorex ad Imperatorem Regemque Carolum Quintum, miraculi instar, transmittendos. Quod hìc obiter subnotasse placuit; ut appareat naturę ipsi rerum non admodum esse conforme nudos diu homines depingi candida ferme carne, pelleque, non pilis paßim perhorrente.

9 Quare omissa auditate hac, quam Pictores ostentandæ artis gratià sæpius affectant; consultius erit si depingantur Anachoretæ sagis, saccis vè, aut similibus indumentis amicti: præsertim cùm illud constet ex Vita Pauli, qui primus fuit ejusdem Instituti Author & Magister, tunicam contexuisse sibi ex palmæ foliis, quam post ejus obitum sibi vendicavit Antonius. Sed audiendus venit hìc sacratißimus senex, (g) qui rem eleganter de more describens, *Postquam autem*, inquit, *alia dies illuxit, ne quid pius hares ex intestati bonis non possideret, tunicam ejus sibi vindicavit, quam in sportarum modum de palmæ foliis ipse sibi contexuerat.... diebusque solemnibus Paschæ & Pentecostes semper Pauli tunica vestitus est.* Hoc autem si in senibus viris observare fas est, multo magis observari decet in feminis. Quod si Pictores, ut par est, servavissent, non Pelagias aliquas, Marias Ægyptiacas, non Magdalenas, aliasque denique Anachoreticas feminas cerneremus in tabulis, magnam partem nudas, aut saltem non decenter amictas, & quarum imagines, cùm tamen ita proponantur obtentu eremi ac pœnitentiæ, eos interim motus in spectatoribus excitent, eosque affectus ingenerent, qui nimis interdum noceant; nisi tandem suspiriis abluantur ac pœnitentia.

(g) D. Hieron. tom. 1. Operũ, in vita Pauli Eremitæ sub fin.

10 Non abs re autem esse puto, si aliqua Sanctorum gesta, quæ vel in eremo ipsa, vel in secessu intimo egerunt, quatenus depingi queant, non tam fusè exequar, quàm breviter indigitem. Notum illud est Sanctißimi Parentis Benedicti, cui, ut fusius enarrat ejus vitæ Sanctißimus item scriptor; (h) cum quodam die ab humani generis hoste ardentißimæ ad libidinem faces subjicerentur, ille inter horrentes præacutis spinis vepres se nudus conjecit: neque prius inter spinas volutari desiit; quàm dilacerata cute, sangnineque largiter profluente, dolore nimio, carnisque afflictatione voluptatis sensus remaneret extinctus. Egregium prorsus facinus, & Christiana pietate dignißimum; quod Benedictinus Monachus R. P. F. N. Riccius, Domini Francisci Riccii pictoris eximii germanus frater (utrumque autem honoris & laudis causa nomino) non uno in loco eleganti penicillo depinxit ea dexteritate atque solertia; ut cùm purißimus juvenis omnino nudus inter spinas figuretur, nihil tamen indecens spectatoris subjiciat aspectui. Hoc autem castimoniæ exemplum prorsus insigne aliquando nos Epigrammate descripsimus, quod, nisi molestum lectori est, legendum hìc cum sua epigraphe subjicimus.

(h) D. Greg. Dialog. lib. c. 2.

Ad S. Benedictum spinis se volutantem.

Quid te spinetis, juvenis sanctißime, volvis,
Atque latus tenerum sentis acerbus arat?
Iam scio: perstrinxit purum mala flamma cruorem;
Hoc nisi quàm fuso perdere posse negas.
Vicisti, extincta est flamma hęc, quo canduit igne,
Seque videns victam, protinus erubuit.
Quàm bene! nam mollis spinas dea Cypris abhorret,
Et fugit armatos cautior illa rubos.

Similia ferè leguntur de aliis, præcipue de Sancto Bernardo atque Francisco; quorum prior adhuc juvenis, ut narrat ejus vitę pius ac gravis scriptor, (i) *Cùm aliquando curiosius aspiciendo defixos in quamdam oculos aliquan-*

(i) Guill. Abbas in vita S. Bernardi c.

quandiu tenuisset, continuò ad se reversus, & de semetipso erubescens apud semetipsum, in se ipsum ultor severissimus exarsit. Stagno quippe gelidarum aquarum, quod in proximo erat, collo tenus insiliens, tandiu inibi permansit, donec penè exsanguis effectus, per virtutem gratiæ cooperantis etiam à calore carnalis concupiscentiæ totus refriguit. Posterior verò urgente ac reluctante carne tentationis æstu, nudus sese in nivibus immersit; atque globos ex nive compactos strictissimè amplexus, noxium ardorem victor à se depulit, ut refert Vitæ ejus & Historiæ sanctissimus Author. (j)

(j) S. Bonavetura.

11 Statutum esse atque usitatum viris sanctis multis abhinc seculis, ut quo magis Christi passiones imitentur, & pro vel suis, vel etiam pro aliorum peccatis Deo satisfaciant, flagro in se ipsos, neque infrequenter, sæviant, quis ignorat? Qua de re elegantes visuntur picturæ S. Patris Dominici, de quo non postrema laude id referunt Historici: (K) in quibus beatissimus Pater ante Christi Crucifixi effigiem genuflexus depingitur medio corpore ad ima pectoris nudatus, altera quidem manu tenens Virgineam coronam, quam vulgò *Rosarium* appellant, dextera verò armatus catena ferrea, qua tergum miris atque admirandis modis lacerat atque cruentat. Quæ sanè imago hac ipsa sua purissima nuditate, nil nisi pium horrorem spectatori ac peccatori ingerit. Ignoscet autem pius atque eruditus lector, si hîc quoque Epigramma subjiciam, quod de re hac haud paucis ab hinc annis lusimus. Est autem hujusmodi.

(K) Vide Suriũ t. 4. Antoninũ 3. p. tit. 23 cap. 1. & seq. aliosque plurim.

Ad Sanctum Dominicum flagro in se sævientem, alteraque manu gestantem sertum Virgineum, quod vocant Rosarium.

Quid placet heu! flagro, pater ò sanctissime, terga
Scindere, & innocuo sanguine terra madens?
Ut placeam Domino cura est. Hinc noveris ipse,
Quàm mihi displiceam judicis ante pedes.
Insuper atque tuas hoc sanguine perluo noxas,
Quò magis incipiant displicuisse tibi.
Fundo preces, numeroque simul cum verbere verba:
Convenit haud aliter promere verba reos.
Et Divæ tandem pertexo florida serta,
Quasque lego pariter pingo cruore rosas.

Hæc & similia, præsertim si virorum imagines pingantur, rectissimè atque honestissimè describuntur. Semper autem utendum est circumspecto judicio. Pleraque enim sunt, ut supra annotavimus, quæ sancti cum gloria, atque eximia apud Deum laude perpessi sunt. Addo hîc. Plura sunt, quæ etiam egère pro Christo, quæ tamen nihil attinet exhiberi oculis.



CAPUT VI.

QUÆCUMQUE TANDEM LEVITATEM, NEQUItiam, figmentaque ridicula redolent, à Sacris Imaginibus submoveantur.



Oterat instituto nostro, quantum ad hoc attinet, videri satisfactum, nisi quædam adhuc superessent, quæ, quamquam rarò vel ferè nusquam depicta supersint apud viros Catholicos; de illis tamen commodum monendus est pius atque eruditus Pictor, ne sicubi ea viderit miretur; imò ea execretur, atque fugiat angue pejus & cane. Apud viros, inquam, Catholicos: neque enim immorare nobis est cordi in perditissimorum Infidelium Hæreticorumque sceleribus refellendis, qui per summam impudentiam, animique pravitatem, Christiana mysteria, & Catholicæ Religionis dogmata traducenda exsibilandaque conati sunt flagitiosis picturis. Nota sunt illa Tertulliani, quibus Ethnici atque impii supra quam dici potest Pictoris malevolentiam describit, ex Pictura quadam, quæ Romæ visa fuerat. Audiantur autem vehementis atque exculti scriptoris verba. (a) *Sed nova*, inquit, *jam Dei nostri in ista civitate proximè editio publicata est, ex quo quidam in frustrandis bestiis mercenarius noxius picturam proposuit cum ejusmodi inscriptione*, Deus Christianorum Ononychites. *Is erat auribus asininis, altero pede ungulatus, librum gestans, & togatus. Risimus & nomen & formam, &c.* Retorquet statim in ipsos Ethnicos gravis & acerrimus Scriptor infamis picturæ commentum, ut longè magis dignum repræsentandis eorum numinibus. Sed discitur tamen hinc Gentilium in Christianos odium, & impietas in Christum. Nota etiam sunt, nec sine dolore, recentiorum Hęreticorum execrandæ picturæ atque imagines, ad irridenda Catholicæ Religionis sacra: asinina capita, ornata sacris infulis, bruta quęque fędissima altaribus admota; aliaque id genus, quæ vel cursim commemorare horrorem ingerit. Ejusdem etiam sunt farinæ, aut verius furfuris, Picturę ab Hęreticis in vulgus sparsę, in quibus repræsentabatur summus Ecclesiæ Pastor & Pontifex, gestu, facie, aliisque signis in modum feminæ. Cui rei ansam præbuit abominanda fabula, qua confictum, creditumque est vel ab ipsis Ecclesiæ hostibus, vel ab aliis etiam nimium simplicibus, ne dicam stultis hominibus, fuisse tempus, in quo, loco Romani Pontificis, intrusa est femina quædam Anglica in Petri Cathedram, assumpto sibi nomine Ioannis, quæ proinde appellata fuerit *Ioanna Papissa*. Cui rei persuadendę congerere ausi sunt ingentem mendaciorum absurdorumque struem. Sed bene est, quod impuram atque exsecrabilem fabulam argumentis luce meridiana evidentioribus refutarunt, & falsitatis atque imposturæ convicerunt, non solùm Catholici viri dignitate præstantes, (b) nec solùm ex Latinis, sed ex Græcis quoque monumentis; (c) sed etiam Hetherodoxi melioris notę atque judicii, bona quantum ad hoc fide, respuerunt atque exsibilarunt, veluti inane & nullius ponderis commentum. Cæterùm hæc iisque similia præterimus atque relinquimus castiganda atque punienda majore supplicio. Neque enim Tractatus hic noster ex munere invehitur adversus nebulonum flagitia & scelera; qui tantùm susceptus est ad amoliendam Catholicorum atque piorum Artificum non satis accuratam diligentiam, aut rerum exactam peritiam. Quare ad institutum hoc nostrum libenter regredimur. Atque in primis occurrit pictura illa, qua, ut refert Nicephorus, (d) depictus erat Christus Dominus noster habitu Iovis tonantis, cum telo tricuspide, cæterisque impuri numinis insignibus; quam certè nemo hodie piorum imitabitur; idque meritò. Dedit enim pictor meritas lascivię atque im-

(a) Tert. in Apol. c. 16. pr. fin. Vide quæ ibi annotat. erudit. comment. Ioa. Ludov. la Cerda.

(b) Card. Bar. Annal. t. [illegible] ad ann. Chr. 85[illegible] Card. Bellarm. t. [illegible] Controv. cótr. 3. l. [illegible] c. 24. aliique mult. (c) Leo Allat. libello de hac re ed. Coloniæ ann. 1645.

(d) Lib. [illegible] c. 23. Sigisbert. Chronic. ann. 64[illegible]

impudentiæ suæ pœnas, arefacta ipsius manu statim ac picturam absolvit. Quem tamen postea erroris sui pœnitentem sanavit Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus, ut prẹter allegatum Nicephorum refert Theodorus Lector. (e) *Summa itaque cura ac diligentia* (subjungit harum rerum præcipuus Scriptor, (f) cujus vestigiis insistimus, veriti semper illud Plinii, Ingenui scilicet pudoris esse fateri per quos profeceris.) *Summa*, inquit ille, *diligentia adlaborandum est ab iis qui populo prẹsunt, ne ea figura, habitu, atque ornatu imagines oculis ingerantur, ut non ad pietatem homines informent, sed potius ad libidinem, superbiam, curiositatem, aliaque vitia nos provocent.* Pinxerunt aliqui, hodieque pingunt, postremam Christi Domini cum Discipulis cœnam: quæ licet parata & celebrata sit in cœnaculo grandi strato, ut habet Divinus Textus: (g) atque adeò in domo alicuius prænobilis & divitis Christi discipuli, ut conjectat, aut conjectare nos sinit gravis atque exacti judicii vir Ioannes Maldonatus, (h) ut propterea nihil dubitem, quin fuerit hæc Cœna Dominica cum majori aliquo nitore atque paratu, quàm consuetus erat ipsi Christo Domino; idque ob reverentiam dignitatemque mysterii celebrandi: tamen eam pictores, dum id augere student, satis deformant. Pingunt enim aulam templi, & quidem magnifico, aut regali palatio simillimam, plurimis lucernis instructam, multis etiam hinc atque inde aureis & argenteis lancibus repositis, multis denique cantharis atque amphoris vini. Ne pluribus. Cẹnam pingunt, quæ, ut oculis exhibetur, non multum differat à profano symposio: quod juremerito reprehendit Catholicus & pius scriptor. (i)

(e) Lib. 1.
(f) Ioannes Molanus de Imaginibus l. 2. c. 37.
(g) Marc. 14. v. 15.
(h) Ad c. 26. Mat. n. 18. col. mihi 558.
(i) Quinctinus Heduus ad Can. 20. Synodi Gangrensis.

2 Quid (si tamen verum est) quòd, cùm Pictores aliqui convivium depingerent, in quo Christus Dominus repræsentatur exceptus per Martham & Mariam, finxerunt, dum Dominus cum Maria loqueretur, Ioannem adolescentem clam atque in angulo fabulantem cum Martha: atque in convivio ipso, Martham assistentem à tergo Ioanni, alterâ manu injecta humeris: aliaque ejusdem furfuris, relatu etiam indigna? Certè hæc aliquibus non adeò mala, aliis speciosa, imò & faceta viderentur; mihi verò & cuicumque cordato, absurdissima prorsus, ac penè blasphema videbuntur. Ad memoriam verò mihi revocant illud quod mihi hùc breviter conferre placet: præsertim cùm etiam possit ad institutum pingendarum imaginum quandoque deservire. Moris est, & quidem inveterati, atque deterrimi, nostratibus Poëtis Comicis Sanctorum vitas atque historias ad Comœdię qualis qualis est, formam in theatrum inducere, ineptis spectatoribus mirè plaudentibus. Inter prẹdictos verò Sanctos magna ex parte proponuntur Religiosorum Ordinum viri Sanctissimi. Hucusque non admodum turpiter, imò foret utcumque tolerabile. Nam quod Sanctorum gesta in his Comœdiis cum aliorum pessimis gestis, duellis, homicidiis, profanisque amoribus admixta, & vinculo quasi colligata confingantur; nil prudens hic moror. Quod ad rem attinet, affingunt semper viro Sanctissimo lepidi poëtæ socium unum laicum, quem Fratris Morteri, aut Golondri, aliovè Jocoso planè nomine insigniunt; & qui in tota Comœdia partes sustinet, personamque agit morionis & scurræ. Quem verò & qualem? bonè Deus! helluonem, ebriosum, impudicum, hypocritam, aut certè cuncta simul. Et, quod in Poesi, quæ Pictura loquens est, ob res male collocatas, contingit; idem aliquando in Pictura, quæ Poesis est tacens, nos ipsi vel inviti spectamus. Haud rarò enim ego vidi virum sanctissimum, atque omni prorsus encomio maiorem, macie confectum, & penè extaticum depingi, qui interim spectatur à Socio, non ridente tantùm, sed etiam pinguedine atque obesitate corporis renidente. Quæ omnia vel in Theatro acta, vel in tabulis expressa, non tam in Dei sanctorumque laudem, quàm in rerum religiosarum atque sacrarum derisum, atque dedecus convertuntur.

3 Sed utrique, Pictores nempe atque Poëte, quorum in auribus insonare videtur decantatum illud; (j)

(j) Horat. in Arte.

— Pictoribus atque poëtis
Quidlibet audendi semper fuit æqua
potestas;

nimium & fortasse plus justo sæpius audent: &, ut rem agamus nostram, inventus est pictor, qui, ut commodè atque energicè, ut sibi videbatur, exprimeret illud Evangelii: *Quæ cùm audisset, turbata est in sermone ejus;* (K) cùm Gabrielem Archangelum effigiasset, ut decet, in forma speciosi juvenis; ipsa Deipara aversata colloquentis aspectum, faciem ipsam ad contrariam cubiculi partem, quasi horrore percita declinaret. Res profectò virtute tanta ac virginali modestiâ indignissima. Contra verò alius, ut omnem pavoris atque horroris hujuscemodi occasionem præcideret; senem Angelum, & prolixa incanaque barba depinxit. Cujus rei testem habeo satis idoneum. (l) Adeò verum atque compertum est Horatianum illud. (m)

(K) Luc. 1. v. 29.

(l) Ioannes Andræas Gillius Fabrianus, Dialogo Italico de Abusibus Pictor.

(m) In Arte Poetic.

Stulti dum vitant vitia, in contraria currunt.

Sed de hoc suo loco commodior erit disserendi atque statuendi locus.

4 Hæc planè absurda cuivis intuenti, alia verò non adeò: sed tamen quod à majestate, decore, ac dignitate eorum quæ pinguntur aberrent, intuentium oculos offendunt. Hujusmodi autem annotari hic possent quamplurima, quæ fortassis suis locis commodiùs describentur. E multis tamen hæc pauca sufficiant. Pictor maximi nominis, & quem vel nominasse tantùm, laudare est; ille nempe toti orbi notissimus Michael Angelus, inter alia plurima, depinxit Conversionem Pauli: in quâ sanè pictura Christus cernitur, non quidem nubi insidens, aut alio congruenti modo; sed quasi de cœlo volatu celerrimo descendens, aut sese jactans veluti præcipitem; agilitatem, credo, gloriosi corporis exprimere tentans. Sed nihilominus displicuit hæc pingendi ratio nonnullorum judicioso examini. Neque enim, inquit gravis author, (n) hic modus congruit cum maiestate & summa dignitate Christi: Neque fas est, ut propter ostentationem artis, piis & reverentibus oculis aliqua minoris reverentię & frigescentis devotionis tribuatur occasio. Quam vulgare sit ac frequens, puerum *Iesum* depingere infantium modo cum passere filo innexo ludentem, quis nesciat? Quod tamen jure displicuit maioris gravitatis viris, (o) & meritò. Si enim de viro sancto, referente sacro eloquio, dictum est, quòd *cùm junior esset, nihil puerile gessit in opere* (p) quanto id potiori jure putandum est de Christo Domino, qui à primo suæ conceptionis instanti perfecto rationis usu pollens, nil cogitavit, inque nihil aliud incubuit, nisi ut paternam voluntatem perficeret; addictus semper ingenti atque gravissimo redemtionis humanæ negotio? Sanè qui numquam vel leviter risisse memoratur, ut Patres unanimiter observant; (q) credibilenè est pollentem (ut dicebamus nuper) usu rationis perfectissimo in pueritia aut infantia, puerorum aut infantium more lusitasse? Apagesis importunas indecorasque ineptias. Nam de eo quod eumdem Dominum cum Baptista item puero colludentem depingunt, suus erit etiam dicendi locus. * Longe ergo prudentius pictores alii, qui Christum Dominum vel in ipsa infantia depingunt contemplantem Crucem, aut symbolico sensu ferentem humeris Crucis atque Passionis instrumenta. Ex quibus jam nil mirum erit videre, quòd pictores aliquos otio atque ingenio suo abutentes, suus non Angelis decor atque dignitas constet. Pinxit artifex, alioqui non incelebris, comestionem ac refectionem Christi Domini post jejunium; in qua, ut satis constat, *Accesserunt Angeli, & ministrabant ei.* (r) Sed inter alios, Angelos duos etiam depinxit, puerorum instar, multis lacrymis acerbè deplorantes, quòd fictilem imprudentes confregissent paropsidem. Dequo, ne id è cerebro nostro confictum videatur alicui, ipsa in margine testem producimus idoneum. (s)

(n) Idem Ioann. Fabrianus ibid. f. 89. pag. 1.

(o) C[illegible] Paleot[illegible] 2.

(p) To[illegible] v. 4.

(q) V[illegible] præ o[illegible] ousChr[illegible] homil.[illegible] in Ep[illegible] ad He[illegible]

* Infr[illegible] 3. c. 6.[illegible]

(r) Mat[illegible] 4. v. 1[illegible]

5 Sed jam tandem hac ipsa in re proponendum est, ut omnino vitetur, aliquid gravius & ponderosius. Certè quidem, referente Plinio, (t) *Fuit* Arelius Romæ celeber (pingendi nempe artifex) *paulo ante D. Augustum, nisi flagitio insigni corrupisset artem, semper alicuius feminæ amore flagrans, & ob id pingens, sed dilectarum imagine.* Hoc tamen stante Ethnici, & quod dolendum est, impii, ut videtur, atque Athei hominis judicio, quis crederet commissum esse, imo & committi adhuc non

(s) An[illegible] nym. P[illegible] ter So[illegible] tatis t[illegible] tat. It[illegible] co del[illegible] tura Sculpt[illegible] edito F[illegible] rent. [illegible] 1 5 [illegible] 243.

(t) [illegible] 35. H[illegible] c. 10.

rarò

rarò flagitium idem à Christianis pictoribus? Ita verò & contigisse olim & adhuc aliquotiens contingere, dubitare me non sinunt prudentium hominum testimonia; quorum vivos adhuc & superstites nominare possem aliquos, si res exposceret. Sed audiamus mortuos. *Visę quandoque sunt* (inquit gravis scriptor ex alio non satis mihi noto (u) *in locis ubi non decuit, Divorum imagines viventium adhuc hominum ora, vultusque referre, ut hoc umbratico velamento, illorum quos amabant effigie pascerent oculos.* Improbandus verò eliminandusque est piorum quorumcumque judicio perstifer hic simulandi fucus, qui nil aliud est, quám lubricæ atque illecebrosæ cogitationis irritamentum. Nempe hic abusus est intolerandus, quem ipsis Gentilibus initio nascentis Ecclesiæ objecere atque exprobravere Christiani. Clemens Alexandrinus, (x) inter antiquiores unus, isque satis nobilis, *Praxiteles autem,* inquit, *ut declarat Posidippus in libro de Cnidio, Veneris Cnidiæ construens imaginem, fecit eam formæ similem Cratinę, quam amabat, ut adorarent miseri amicam Praxitelis. Cùm floreret autem Phryne meretrix Thespiaca, pictores omnes imitabantur Veneris imagines; ad Phrynes pulcritudinem: sicut rursus lapicidæ quoque Mercurios effingebant Athenis ad Alcibiadem. Restat nunc tuum adhibere judicium, an velis etiam adorare meretrices.* Hucusque antiquus & præclarus magister. Videat qui volet, quę ad hunc locum annotat doctus interpres Gentianus Hervetus.

(u) Molanus de Imaginibus l. 2. c. 37.

(x) Oratio Parænetica ad Gentes.

6 Arnobius, Lactantii magister, qui circa annum salutis humanæ trecentesimum floruit, idem argumentum exequitur. (y) *Sed quid,* inquit, *ego diis datas falces, & fuscinas rideo? quid cornua, malleos, & galeros, cùm simulacra quędam sciam certorum esse hominum formas, & infamium liniamenta meretricum?* Subdit verò Arnobius eadem ferè exempla, quibus usus est Clemens Alexandrinus. Sed quia deformius quiddam narrat elegantibus verbis, ea hic transcribere alienum ab instituto non fuit. Ita enim inquit. „ Inter significes ille „ memmoratus Phidias est primus: „ cùm Olympii formam Iovis moli„ mine operis extulisset immensi, su„ per dei digito Pantarces inscripsit „ pulcher. Nomen autem fuerat ama„ ti abs se pueri, atque obscœna cu„ piditate dilecti; neque ullo metu „ est, aut religione commotus, deum „ nomine prostibuli nuncupare. Qui„ nimo exoleto, Iovis simulacrum„ que sacrare. Vsque adeò ludus „ est, & puerilis affectio sigillaria ista „ formare, adorare pro diis, & san„ ctitatibus accumulare divinis: cùm „ ipsos videamus artifices in effingen„ dis his ludere, & libidinum propria„ rum monumenta sancire. Hactenus Arnobius. Ex quibus, aliisque quę huc congeri possent, satis constat, quám minus religiose faciant, qui Sanctorum, vel Sanctarum imagines ut sibi depingantur curantes, pictores monent, ut vel ipsius, vel cujusvis alterius ipsis imaginibus probè effigiatum caput affingant; quamque turpiter ac plane sacrilegè, qui alicuius ab se turpiter amati, vel amatæ vultum sacræ aptaret imagini. Quod hodie fieri nisi à raro aliquo perditę mentis homine vix adducor ut credam. Sed cavendum ac reprehendum est, quòd, etsi raró, aliquando tamen possit evenire.

(y) Lib. 6. adversus Gentes, p. mihi 249.

7 Sed quoniam rebus per se indifferentibus benè & prudenter uti quilibet potest, semper ac modus & delectus adsit, hoc ipsum quod sub signatis terminis reprehendimus, sub aliis, & remoto pravæ intentionis abusu atque scandalo, fieri decenter quandoque posse, nullus dubito. Insignis certè artifex, me adhuc juvene spectante, effigiavit in cera D. Petrum, usus prototypo venerandi senis rugosi, atque anteriore parte capitis calvi, prominentibus nervis atq; musculis, denigrata cute, aut sole recocta: adeò bene atque exactè, ut nihil supra. Alius santissimi juvenis atque inter Divos relati, venerandam effigiem aliò terrarum transmittendam composuit, ad similitudinem probi, modestissimi, ac religiosi adolescentis, à quo ut id permitteret, iteratis precibus extorsit. Quis hæc repræhendat? nullus, opinor, nisi qui plus justo scrupulosior videri velit fastidiosæ cuiusdam atque insolitæ severitatis argumento. Atque hæc ferme sunt, quæ in sacris imaginibus depingendis vitari oportet, spectatis argumentis, ut ita loquar, per magis communia principia.

CA-

CAPUT VII.

IMAGINES SACRAS, QUÆ RUDIBUS PERICULOSI ERRORIS ANSAM ATQUE OCCASIONEM PRÆBENT, TOLLENDAS OMNINO ATQUE ABOLENDAS, SI CORRIGI COMMODÈ NON POSSINT.

1 AM sæpius diximus, certum esse, naturaque ipsa comparatum, ut Imagines respectu rudium, instar librorum sint; quemadmodum libri, in quibus res sedulo atque accuratè describuntur, doctis atque eruditioribus in eodem ferè sunt usu, atque imagines. Ad hunc ergo fermè modum, sicut in libris non solùm ii jure merito prohibentur, qui manifestum errorem continent; sed illi etiam, qui hominibus, præsertim rudibus, periculosi erroris ansam atque occasionem præbent: hoc quoque optimo jure atque ratione servandum esse dicimus quoad imagines. Neque aliud magis novum hîc proponimus, quàm quod jam olim sancitum sit à Tridentina Synodo, cujus ea sunt verba: (a) *In has sanctas & salutares observationes siqui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri sancta Synodus vehementer cupit: ita ut nullæ falsi dogmatis Imagines, & rudibus periculosi erroris occasionem præbentes, statuantur.* Quales autem, & quæ Imagines hujusmodi censeri debeant, multis hic promtum erat observare atque ostendere. Sed quòd aliæ, quæ sint aut esse possint, latissimè patet, nec satis constet cogitanti: & quòd aliæ suis quibusque locis subnotabuntur, hic præcipuas tantùm aliquot exempli gratia subjiciemus.

(a) Sess. 25. de Reformat.

2 Ac primum quidem, quòd aliqui Pictores pingunt Sanctissimæ ac beatissimæ Trinitatis vultum uno veluti fasce complexum: ita ut tres nares, tria menta, tres quoque frontes, subjectis tantum quinque oculis repræsententur; quam pingendi rationem nec sine indignatione ac fastidio sæpius ipse conspexi: monstrum intolerandum atque absurdum est, ab eruditis piisque jam pridem damnatum, & de quo suo loco paulo fusius dicemus* Cuiusdam autem alterius picturæ ejusdem pene furfuris pius atque eruditus Author Joannes Gersonus Parisiensis Cancellarius, (b) nec sine indignatione meminit, illis verbis: *Cavendum est*, inquit, *ne aliqua falsa pingatur historia. Hoc autem dico, partim propter quamdam imaginem, quę est in Carmelitis, & similes, quæ in ventribus earum* (scilicet Beatę Virginis imaginum) *unam habent Trinitatem; veluti si tota Trinitas in Virgine Maria carnem assumpsisset humanam. Mea sententia, nulla est in eis devotio: sed possunt esse causa erroris & indevotionis.* Hucusque Gersonus. Unam autem supradictarum Imaginum testis oculatus refert vidisse in Carthusia Distensi præclarus Author, (c) ubi allata dicebatur ex Francia ingruentium bellorum tempore. Sed non magna admodum jactura fuisset, si inter alias pias & magis eruditas imagines incendio esset absumpta; cùm patentem & manifestam occasionem præbeat in re gravissima aberrandi. Quod enim tota Trinitas assumpserit carnem in intemeratæ Virginis utero, error est, atque is pernitiosissimus, eorum præsertim qui realem personarum distinctionem non admittebant, quales fuerunt Noetus, Sabellius, Praxeas, aliique, & qui cum iis asserebant, Patrem æternum crucifixum fuisse: dicti propterea *Patripassiani*. Qua de re videri possunt Tertullianus, toto lib. contra Praxeam, Optatus Milevitanus, Cyprianus, Augustinus, Theodoretus, (d) aliique, cùm ex veteribus, tùm ex minus antiquis.

* Infra 2. c. 3. n. (b) Serm. de Nat. Dom. f. 47.

(c) Mol. l. 2. c. 4.

(d) Opt. Milev. ... vers. Pa... men. Cy... epist. ... ad Iu... num. A... l. Adq... vult. ... &c. Th... od. Her... Fabul... 7. Phil... De Here... c. 53.

3 Quod verò in historia Annuntiationis Deiparæ, atque Dominicæ Incarnationis aliquando conspicitur, & me annotasse memini depictum in aliquo ex libris, quos vulgò *Breviaria* nuncupamus; error est aut pictura

ra saltem exitiosi ac perniciosi erroris occasionem ministrans. Pingitur enim inter lucis radios è cœlo descendentes, & ad terram usque, atque ad ipsam pertingentes Deiparam, corpusculum quoddam bene compactum, quamvis breviusculum, descendens ad Sacratissimum uterum Virginis. Quia verò vel mediocriter doctus, non intelligat, picturam hanc, aut continere hęreticum errorem Valentini, aut saltem quòd ejusmodi erroris manifestam ansam atque occasionem subministret? Valentinus enim perpetuò ut hæreticus ab Ecclesia damnatus, in eo fuit errore, ut docuerit, Christum Dominum de cælo effinxisse, atque attulisse sibi ipsi corpus, & non de Virginis formatum esse substantia: sed per eamdem, veluti per tubulum, aut fistulam, in modum leniter labentis aquæ transivisse. Quod quidem pro more hæreticis insito, probare nitebatur ex Scriptura, illis delusus Apostoli verbis: (e) *Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de cœlo cœlestis.* Quare jure merito picturam hanc damnat atque reprehendit Sanctus Antoninus, (f) veluti hæretici erroris occasionem satis amplam subministrantem.

(e) 1. ad Corinth. 15. v. 47.

(f) 3. part. tit. 8. c. 4. §. 11.

14 De illo autem quod aliqui puerperium sacratissimæ atque Immaculatæ Deiparæ vulgari prorsus modo, & legibus humanæ imbecillitatis consuetò depingunt, aut depinxerunt potiùs (ego enim ingenuè fateor, me nullibi prædictam vidisse picturam, quamquam aliqua alicubi fortasse supersit) parum distare censent viri docti (g) à periculosi erroris imaginibus. Ego vero distare nihil constanter sentio. Pictura quippe talis aut manifestum contra Fidem errorem continet, aut illi planam viam parat atque sternit. Talis enim pictura est. Decumbit ægra in lecto, palletque doloribus virgo: sorbitiunculam eidem adstantes exhibent obstetrices: aliaque hujusmodi Catholicis nullatenus toleranda. Fide etenim sanctum est, sacratissimam Virginem, ut sine voluptate carnali atque corporea genuit; ita absque dolore ullo peperisse. Perpulcrè Cyprianus Martyr: (h) *Sacra virgo*, inquit, *genitrix est & obstetrix & devotam dilectæ soboli exhibet clientelam: attrectat, amplectitur, jungit oscula, porrigit mammam, totum negotium plenum gaudio. Nullus dolor, nulla naturę contumelia in puerperio. Pedissequas substantia familiaris non patitur; mancipiorum obsequia sumtus tenuis, & inops mensa excludit. Nullum domus arta diversorium occultabat, nec secreti recessus erat illius casulę; incrustaturam tectum, & soli parietes per circuitum vestiebant. Nec locus ibi erat lavacris, quæ solent puerperis pręparari, quippe nec aliqua naturæ injuria Matrem Domini læserat; quoniam sine tormento peperit, quæ in conceptione caruit voluptate. Et tamen consuetudinem sequens, ut legi satisfaceret, quasi cum aliis mulieribus esset ei in hoc opere ratio similis, diebus designatis recubuit, & depositi oneris lassitudinem professa oblatæ quieti paruit; & in diebus separationis non se à thoro Ioseph, qui eam numquam tetigit, sed ab ingressu templi & cæteris quæ lex prohibebat, continuit.* Huculque Cyprianus. Neque minus eleganter, quanvis brevius, Maximus Doctor (i) hanc sacratissimæ Deiparæ puerperii rationem improbat, illis verbis: *Sed absit, ut hoc de Matre Salvatoris & viro justo sit existimandum. Nulla ibi obstetrix, nulla muliercularum sedulitas intercessit: ipsa pannis involvit infantem, ipsa & Mater & obstetrix fuit: Et collocavit eum, inquit, in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio.* Quare ex his, aliisque, quæ plurima congeri possent hanc picturam jure merito damnant scriptores quique Catholici. (j)

(g) Molan. lib. 1. c. 27

(h) Tom. 3. op. ser. de Nativ. Christ. aut quisquis est ejusdē sermonis antiquus, & Catholicus Author.

(i) Tom. 2. oper. op. adver. Helvidiū, cap. 4.

5 Iam verò quis ferat, quod Pictores aliqui, pietatis velut umbra delusi, pingere quandoque ausi sunt Servatorem nostrum adhuc puerum cum tabella literaria primas literulas, atque scribendi elementa à Matre Sanctissima discentem? Christus enim Dominus nihil prorsus ab homine didicit, neque discere potuit. *Solus eum*, ut ipse loquitur, *docuit Pater.* (K) Quod qua ratione verum sit explicare, non est præsentis instituti, contenti tamen interim simus explicatione Parentis Augustini, qui ita loquitur: (l) *Non eum sic docuit, quasi indoctum genuerit; sed hoc est eum docuisse, quod est scientem genuisse.* Et post pauca. *Ab illo ergo habet ut noverit, à quo habet ut sit: non ut prius ab illo esset, & ab illo postea nosset; sed quemadmodum illi gignendo dedit ut esset,*

(j) Catharinus lib. De Cultu Imaginū. Luitenius de Sanctorum gloria lib. 1. Vide Molan. l. 2. c. 27.

(K) Ioan. 8. v. 29.

(l) Tract. 40. in Ioa. circ. med. tom. 9.

esset, sic gignendo dedit ut nosset, &c. Quare pictura talis omnino rejicienda est veluti errori, impiissimæque hæresi Nestorianæ, quæ duas omnino personas admittebat in Christo, manifestam occasionem præbens.

6 His & aliis, quæ consulto omittimus, accenseri posse picturam illam sentiunt nonnulli, qua mater filiorum Zebedæi depingitur filios suos, non quidem juvenes, sed planè pueros Christo præsentans, ab eoque flagitans, ut iidem in regno suo præcipuis honoribus cumulentur. Ex huiusmodi enim (asserunt) pingendi ratione haud mala, posset desumi argumentatio in hunc ferme modum. Ecce Christus pueros elegit in Apostolos: atque hi duo erant ipsi, contra quos decem indignabantur: pueris igitur quo minus primaria conferantur beneficia nihil prohibet. Sed de hoc aliorum potius esto judicium. Illud interim certum est, Apostolos duos Ioannem atque Iacobum Zebedæi filios, potius Juuenes, quàm pueros, ad Christum accesisse cum matre: neque spiritualia aut Ecclesiastica, ut sic loquamur, beneficia; sed primarios honores regni, quod adhuc temporale existimabant, arbitrantes hac ratione se consequuturos, ut recte interpretantur plerique Patrum, inter quos disertè Chrysostomus. (m)

(m) Hom. 66. in Mat

7 Ad id genus Imaginum, de quibus hic loquimur, referri posse plane videtur pictura illa, in qua Molano teste, (n) depingitur Carolus Martellus à Sancto Ægidio absolutionem reatus sui per manus impositionem accipiens: sive, ut aliqua pictura continet, pingitur Angelus Carolo nuncians remissionem peccati sui, adjecto versiculo,

(n) Lib. 2. c. 23.

Ægidii merito Caroli peccata remitto.

quod ab apocrypha & omnino conficta historia desumptum est, qua narratur, ad S. Ægidii preces, Angelo revelante, dimissum esse Francorum regi (si tamen ipse Carolus Martellus rex Franciæ fuit, & non tantùm regni tutor atque administer) facinus ingens, quod nulli prorsus ausus est confiteri, si tamen deinceps ab illo desisteret: illudque adjicitur erroneum planè, fideique adversum, quod quisquis S. Ægidium pro quolibet admisso crimine patronum invocaret, si ab illo perpetrando abstineret in posterum, dimissum sibi tutò crederet. Sed cùm hæc, sive pictura, sive historia sacræ Scripturę doctrinæque Christi, atque Apostolicæ contraria sit, quæ cuiusque lethalis criminis, ut ritè dimittatur, dum copia atque occasio detur, confessionem sacramentalem, atque absolutionem exposcit, sit omnino contraria; neutra illarum toleranda est: sed utraque prorsus rejicienda, ut quę vel falsum dogma contineant, vel periculosi erroris occasionem exhibeant.

8 Quod etiam apud nonnullos in extremo ipso judicio depingantur Sacra Deipara, Præcursorque Servatoris nostri, aliique præsertim insignioris meriti sancti, orantes pro iis, quos postrema Christi sententia reprobos damnat, à seque abjicit; errorem, & quidem crassum, continet damnatum ab Ecclesiæ doctrina, sanctisque Doctoribus, diserteque ab Augustino Parente (o) seriò atque exprofesso disputante adversus eos, qui non recta pietate commoti, impios homines, imò & infideles quosque extremo damnatos judicio, per sanctorum intercessiones orationesque ab ęternis pænis quandoque liberandos. Quod reprobavit etiam Hieronymus (p) illis verbis relatis in Decreto à Gratiano: (q) *In præsenti seculo scimus orationibus invicem nos posse juvari: cùm autem ante tribunal Christi venerimus, nec Job, nec Daniel, neque Noe rogare posse pro quoquam.* Cui certe errori, quem inter alios, quos permultos gignit Schisma & ignorantia, amplectuntur etiam num moderni Græci, ut luculenter testatur vir clarissimus atque eruditissimus, de his rebus, siquis alius affatim edoctus; (r) quod recentiorum Græcorum allatis testimoniis confirmat. Cui, inquam, errori non utile fert patrocinium nonnullorum ea sententia de liberatione ab ęternis ignibus & pœnis animæ Trajani Cæsaris per merita enixasque preces S. Gregorii Magni: quam novissimè tuetur vir doctissimus amicusque noster in paucis Magister Fr. Emmanuel Navarro, Benedictinus (s) Salmanticensis Primarius Theologiæ professor emeritus. Ut enim vera sit illa sententia (quam ego falsam, fluxæque

(o) De ... vit. D... c. 23.

(p) In E... ad Gal... c. 6.

(q) Di... 3. q. 3.

(r) Le... Allatius Epist. D... quorum dam Græcorum opinationibus c. 1...

(s) Trac... de Fi... disp. ... dub. ... §. 1. à ... 25. p... tot.

que ac subleste fidei existimavi semper, imò existimo) casus ille miraculosus à suis etiam propugnatoribus asseritur contigisse modo aliquo valde extraordinario, & spectata, ut Theologi loquuntur, Dei potentia absoluta, non ordinaria: qui proinde non est trahendus in exemplum.

9 Atque aliæ quidem sese hic offerebant, occasionem exhibentes periculosi erroris Imagines; quas tamen omittimus, quòd eç suis quæque locis, Deo dante, pertractabuntur. Hæ igitur, & si quæ sunt aliæ, tales sunt, quas neque haberi, neque depingi viris piis atque cordatis convenit: imò aboleri omnes, si quæ pictæ aut sculptæ inveniantur, præsertim accedente doctiorum & piorum hominum consultatione, atque sententia: & quandoque (si res id postulet) prælati aut superioris judicio. Quod secus intelligendum esse in aliis imaginibus sacris, quæ erroris quidem, sed neutiquam periculosi, occasionem exhibent, patebit ex iis quę statim subjungimus.

CAPUT VIII.

IMAGINES SACRAS, QUÆ ERROREM QUANtumlibet etiam manifestum, non tamen Fidei Orthodoxæ, bonisve moribus adversum, hominibusque perniciosum, in posterum non depingi consultius & prudentius est: tolerari tamen utcumque posse factas atque depictas.



ET sapienter atque prudenter Rerumpublicarum legislatores plura quidem facienda vetant, nisi sub aliquibus solemnitatibus; facta tamen pro ratis habent, atque vel approbant, vel tolerant: ad eumdem modum (ut ego censeo) statuendum est in sacris Imaginibus. Neque aliter, meâ quidem sententiâ, Tridentina Synodus, statuit sæpè jam allegatis & productis verbis: docet enim, ut si qui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri vehementer cupiat: & quod ad Imagines attinet, nullæ falsum dogma proponentes, aut rudibus periculosi erroris occasionem præbentes, statuantur. Quibus in verbis eas tantùm damnare videtur, quæ vel dogma falsum edoceant, vel rudibus periculosi erroris occasionem exhibeant. Circa alias verò superiorum ac prælatorum discretioni ac zelo, ut videtur, subjicit.

2 Igitur Sacrarum Imaginum, quę vel errorem continent, vel illum combibendi rudibus occasionem parant, duplex est series. Prior quidem earum, quæ vel falsum dogma demonstrant, vel in illud, erroremve periculosum, incidendi ansam atque occasionem subministrant. Posterior verò, quæ erroris quidem, & sæpe manifesti, convincuntur, vel illum arripiendi occasionem exhibent minus doctis; sed erroris tamen qui perniciosus non sit, neque homines ad pravè sentiendum inducat. De harum prima diximus non nihil in superiori capite, monentes, ut siquæ adhuc huiusmodi imagines reperiantur (quod tamen frequens non esset sat scio) illæ omnino submoveantur, aboleantur, quantumque fieri possit exterminentur; consulto præsertim doctorum hominum, imo & superiorum ad quos attineat, prudente judicio. De postrema verò in hoc capite sermo est; imo totius est nostri laboris atque operis argumentum. Plurima quippe sunt in sacris Imaginibus, quę vel ob hominum incautam pietatem; vel, quod frequentius accidit, propter pictorum imperitiam & ignorantiam, sæpius ab hominibus vel mediocriter etiam doctis, facili ac nullo negotio erroris, & quidem manifestissimi, convincuntur; tametsi error ille non sit, qui pernitiem aut detrimentum san-

ctis dogmatibus Fideique sacrosanctæ afferat. Quos certè potissimum errores (nam de perniciosis, quod monuimus, vix ulli supersunt) ut quam longissimè exulent à Sacris Imaginibus, totius nostri instituti, laboris ratio atque scopus est; & quidem meritò: offendunt enim nimis multum cordatiorum atque doctiorum oculos, & rudioribus occasionem præbent, ut illis largissime imbuantur; imo quandoque ut pro illis tuendis, si forte de ipsis admoneantur, depugnent non secus ac pro aris & focis.

3 Quæ autem huiusmodi Imagines sint, rogabit quispiam: Et nobis quidem id multis ostendere promtum erat. Verùm ne multis fiat, illud prohibet, quod nempe hac via cogeremur eamdem rem bis terve ad satietatem usque recudere, & quod proverbio dicitur, eadem crambem sæpius recoquere. Exempla ergo aliqua, quibus res clarior atque evidentior fiat, non tam hic persequemur, quàm insinuabimus; eadem postmodum suis locis (nam suus cuique illorum erit) magis ex instituto tractaturi, aliaque, & quidem multo plura, relinquentes, ut suo loco fusius demonstrentur: cum hic (ut sæpè cogor dicere) sit seges præcipua instituti à nobis argumenti. Quod igitur, ut ipso fere initio tractationis huius annotavimus, depingatur innocens Isaac Deo per manus pissimi parentis immolandus, non juvenis specie, sed pueri, error est, qui vel solùm ex attenta, aut non oscitante sacræ Scripturæ lectione convincitur. Sed quid? num propterea pictura talis, quæ sanè frequenter occurrit, ab oculis est fidelium, ut perniciosa, removenda? Non ita censeo, neque censebunt, ut opinor, viri doctiores. Quod Christus Dominus in actu ipso suæ Circumcisionis depingatur in templo, rem exequente sacerdote; imo ut ex habitu atque ornatu videre est, summo, adstantibus ministris & pueris etiam cereis funalibus accensis; aliaque id genus in hoc actu sacrosancto repræsententur: error est, non uno nomine castigandus, & quem suo loco, Deo dante, manifestissime demonstrabimus. Sed si ob hoc aut removendæ aut abolendæ essent picturę atque imagines sacræ, quę rē tali modo depingunt ac repræsentant; non hoc, uti credo, fieri posset, aut sine non modica pusillorum turbatione, & scandalo, aut sine ingenti etiam jactura & impensa. Permittatur igitur personis aut locis talem retineri picturam; præsertim cùm errorem perniciosum Fidei non involvat: sed in posterum non hoc eodem prorsus modo depinget, qui pictor haberi velit eruditus.

4 Frequentius nihil est quàm depingi latrones duos, qui hinc & inde crucifixi sunt cum Christo Servatore; qui ut lueret scelera nostra, dignatus est cum istis sceleratis reputari; non clavis confixos, sed funibus adstrictos, aut vinculis. Hoc autem error est, quem ex Ecclesiasticis monumentis, & non levibus conjecturis, satis superque demonstraturi sumus. At cum perniciosius neutiquam sit, ut qui Fidei non adversetur; tolerari & dissimulari potest in Imaginibus factis: emendari autem atque corrigi oporteret in iis quæ in posterum fient, à pictore aut sculptore non ineruditis. Imò & quod Crucem Christi Domini omnino decussatam, quatuorque extremitatibus constantem, latronum autem non item, sed in modum T literæ; ejusdem furfuris error est: de quo tamen idem atque de præcedenti judicium esto. Sacram Deiparam cum aliis piis feminis portantibus aromata ad Corpus Christi Domini perungendum, plerique, neque ignobiles, pictores conjungunt. Error autem hic est, & minus quàm aliqui ex iis quos nuper retulimus, tolerandus. Quippe certum est, mulieres illas, quæ aromatibus coëmptis pergebant, illud pietatis & unctionis officium atque obsequium cadaveri Christi Servatoris exhibituræ; non omnino firmam atque inconcussam fidem habuisse Resurrectionis Christi Domini. Neque id mirum; cùm eam non habuerint ipsi (quod maius est) Apostoli, aut certè illorum plures: ut hic facilè ostendi posset irrefragabilibus argumentis. Sacram autem Deiparam vel tantillum in Fide Resurrectionis Filii sui titubasse, credet piorum atque Orthodoxorum nullus omnino. Tolerari tamen utcumque potest error huiusmodi picturę: præsertim cùm non illâ adeo disertè detur intelligi, ut non eadem referri possit ad piissimum affectum, quo sacra Deipara

Fi-

Filium prosequebatur, & quo vellet pietatis illud officium exhibere Sanctissimo cadaveri.

5 Majús denique quiddam est, aut esse videtur, quod frequentissimè Christus Dominus depingitur resurgens, sive, ut Scholæ more loquamur, actu è sepulcro exiens; non clauso, sed reserato sepulchro; neque immoto planè, sed amoto lapide. Quod tamen quotusquisque Catholicorum est qui ignoret, errorem continere crassum ac manifestum? Christus enim Dominus, sicut ad discipulos ingressus est, *cùm fores essent clausæ*: (a) ita è sepulcro egressus est, non reserato, sed clauso ingenti lapide: imo ita utrobique clausis foribus & sepulcro ingressus, & egressus est: quemadmodum prius in mundum veniens, clauso omnino exivit utero Virginis. Quod quidem & ex ipsa Evangelii serie, & ex Patribus unanimiter id sentientibus, qui plures allegari poterant, omnino constat, estque Fide sanctum: *Nec antequam Calvinus* (verba sunt scriptoris gravissimi b) *hæreticus factus fuisset, cuiquam venerat in mentem, aliter intelligere, Christum, quàm per fores ipsas clausas, ad discipulos ingressum fuisse, quemadmodum & ex matre clauso exiisset utero, & ex sepulcro nondum revoluto exiisset lapide.* Cui rei eleganter alludit Ecclesia, illis verbis:

> *Qui natus olim è Virgine,*
> *Nunc è sepulcro nasceris.*

Egressus igitur Christus Dominus de sepulcro est, sicut & ingressus est ad discipulos janguis illic cubiculo, hic lapide prægrandi obserato sepulcro. Sed tamen tolerari qualitercumque potest vulgatus error, quod scilicet, cum pleraque gesta sint in Christi resurrectione, atque unum horum fuerit, quod descendens Angelus de cœlo ab ipsius ostio monumenti lapidem revolverit, ut disertè docent Evangelistæ; (c) pictores multa uno intuitu oculis subjicere volentes, lapidem revolutum depingunt; non ut detur intelligi, Christum Dominum reserato sepulcro surrexisse; sed revolutum tandem esse lapidem, cùm idem jam antè surrexisset à mortuis.

(a) Ioan. 20. v. 19.

(b) Ioan. Mald. ad locum alleg. Ioannis. n. 3.

(c) Matt. 28. v. 2. Marc. 16. v. 3. & 4. Luc. 24. v. 2. Ioan. 20. v. 2.

CAPUT IX.

IDEM FERENDUM ESSE JUDICIUM CIRCA errores illos, qui in Sacris Imaginibus non rei ipsius substantiam, sed veluti accidentia quædam tangunt; ut sunt anachronismi vestium & armorum, non perspectè cognita peritia, aliaque id genus.



Uod de Oratore preclarè, ut omnia, dixit Cicero, idem ego optimo jure de Pictore atque Sculptore dicerem: cùm, ut superius docuimus, adeo Pictura finitima sit Orationi. Itaque Tullius Oratorem diffiniens, *Neminem esse*, inquit, *in Oratorum numero habendum, qui non sit omnibus iis artibus, quæ sunt libero dignæ, perpolitus.* (a) Quam eamdem rem pressius enarrans, subdit postmodum, quòd ab eo qui pro rei dignitate Orator sit futurus *Legendi etiam sunt poëtæ, cognoscenda historia, omnium bonarum artium scriptores ac doctores & legendi & pervolutandi.* Harum enim rerum cognitione non perfunctoria ut summus adornatur Orator; ita nec absimili modo Pictor. Contrà verò ex illarum omnino ignorantia, aut non satis exquisita peritia; in quos non errores passim incidunt Orator & Pictor? Sed Oratorem quidem doctioribus aliis tradamus erudiendum: nobis, quod ad præsens attinet, cum Pictore res est. Atque hujus certè muneris plerique ignorant planè gestarum rerum seriem, historias nationum, ac Religionum ritus, mores gentium, alia-

(a) Lib. 1. de Oratore, non longè à princip.

que his simillima. Quo fit, ut historias, rerumque magnarum eventus, virorum magnorum imagines, aliaque id genus pingere volentes; non tam pingere, quàm ineptire, ac planè insanire videantur.

2 Infinitus essem, si rem hanc exemplis velim confirmare. Sed prætermissis profanis Imaginibus (qui alius tractandi ac disserendi locus est) instituti nostri ratio postulat, ut nonnulla saltem libemus erga sacras. In bellis sacris antiquissimis depingendis sæpenumero non sine risu, aut potius stomacho, observavimus armatos Abrahami vernaculas, non aliter depictos, ac si essent Julii Cæsaris, aut Antonii milites Romani, loricis obtectos ac clypeis, caligis indutos, nudo genu, atque exsertis brachiis dimicantes: quodque magis est, Abrahamum ipsum purpurâ, Imperialique paludamento, ut de aliis ornamentis taceam, probè contectum, in genua ante Melchisedechum procumbentem: imò, quod fidem superat, sed videtur tamen, Josuam illum magnum ducem cataphractico illo armorum genere, quod Hispani nominamus *Corazas*, à capite ipso ad calcem splendidè munitum, insidentem equo; & hunc non tantùm illo ephippii genere, quod nos *Sellam* vocamus, insigniter stratum; sed etiam illis equitandi adminiculis, quibus Græci Romanique, quia re prorsus caruerunt, nullum fecerunt nomen; quamquam recentiores Latini utcumque nominent *Stapedes*, Hispanique nostrates, *Estrivos*. Quæ omnia, aliaque permulta, quid, rogo, sint, nisi vana imaginantium fingentiumque deliria? Satis enim constat, vetustissimas illas gentes, præsertim Hebræam, non iisdem armorum generibus usas esse, quam longa post secula fuerunt illa, quibus consueverunt bellare Romani: imò ne Romanis quidem ipsis, prę-sertim veteribus, in usu fuerunt aliqua, vel certe pleraque, quæ postmodum non absurdè neque inutiliter fuerunt inventa: ut (ne per multa longius divagemur) constat in illis equitandi adminiculis, quæ magna cum equitantium atque pugnantium utilitate reperta sunt; illis nempe de quibus nuper sermo erat, quæ propter rei usum recentiores Latini nominarunt *Stapedes*. Hæc enim quivis minus quàm mediocriter eruditus, nulla fuisse apud veteres, probè sciet; neque ante reperta fuisse quàm post ruinam Imperii Romani, ut diligenter viderunt, opportuneque annotant viri eruditione longe clarissimi. (b)

3 Hæc igitur omnia, quamquam non singula, quod certè possemus, perstrinximus; errores planè sunt iis similes, quos admisit pictor, alioqui non omnino malus, negligens tamen atque ineruditus: qui cùm acies Gręcorum pinxisset Ilium oppugnantes, affinxit milites taxillis, ut hodie fit, ludentes super tympanum: neque hoc solùm; sed & alios lusoriis illis, quæ hodie in usu sunt, chartulis pictis, quos *Naypes* vocamus Hispani, certatim colludentes: alios denique per longum tubulum fumantes herbam illam Indicam, seu potius Americanam, quàm vulgò Tabacum nominamus. Quod mihi, sicut & paullò supra commemorata, in mentem revocant picturam quamdam, quam sæpè propriis lustravi oculis. In qua quidem cùm Sanctus ille, Regumque piissimus ac fortissimus Ferdinandus III. Castellæ ac Legionis Rex Hispalim oppugnans pingeretur, appinguntur Sclopetarii milites, fistulis illis armati, quæ vi pulveris pyrii globos jaciunt; cùm tamen huius rei inventum ferme sesquiseculo posterius sit obsidione ac deditione ipsa Hispalensi. Hæc enim contigit anno Domini M.CC.XLVIII. quod Historici nostrarum rerum passim affirmant. Videsis P. Ioannem Mariana, (c) amicumque nostrum Doct. Dom. Ioannem de Ferreras, (d) qui res has omnes diligenter persequitur: inventio autem pulveris pyrii, circa annum Domini fere MCCCLXXVIII. ut cōsentiunt eruditi. (e) Hæc, aliaque, quivis non omnino indoctus conspicatus cùm sit, quid aliud dicat, nisi Horatianum illud, quod sæpe usurpare placet & cogimur?

Spectatum admissi risum teneatis amici?

sed pergamus ad alia.

4 Frequentius nihil est, quàm Sanctorum Apostolorum vestes, imò & ipsius Christi Domini, eo modo depingere, ut tunica repræsentetur coloris rubri, pallium autem cærulei, alteriusvè coloris, ut est croceus, aut fuscus; ut nihil hìc dicam de Legisdocto-

(b) Pan[…] rollus […] novis […] pertis, […] 2. tit. […] §. 2. R[…] Valtur[…] re Mil[…] ri lib. […] cap. 2. […] trus V[…] variar. […] ction. […] 37. c. […] Henric[…] Salmu[…] in Co[…] ment. […] pręd. […] cirolli […] cum.

(c) D[…] Reb. Hi[…] lib. 13. c[…] prop. fi[…]

(d) Hi[…] rer. Hi[…] tom. 6. […] 204.

(e) Poly[…] dor. Vir[…] lib. 2. […] Invéton[…] bus rer[…] 11. Steph[…] Forcat[…] lus, lib[…] de Impe[…] rio & phi[…] losof. G[…] llor. G[…] dus Pa[…] ciroll. […] novis […] vétis pa[…] 2. tit. […] & ib. He[…] ric. Salm[…]

doctorum & Pharisæorum vestibus: in quo quisque pictor phantasiæ suæ nimis indulget: adeo ut hos depictos viderim; quò significetur doctiorum senum gravitas & authoritas, cum conspicillis, qui hodie in usu sunt senibus literatis: cùm tamen certum omnino videatur viris doctioribus (quidquid authoritate Plantina moti Pancirollus, (f) atque eius Commentator subdubitent) usum conspicillorum adeò recentem esse; ut merito veniat adscribendus ad annum ferme M.CCC. quo tempore, vel circumcirca Alexander de Spina Ordinis Prędicatorum, conspicillorum humanæ vitę perutile, imo penè necessarium dixerim, inventum, aut restauraverit paullo ante excogitatum, aut omnino primus invenerit. Qua de re legesis eruditissimum Italum Philosophum Franciscum Redi, literis de hoc argumento datis ad perillustrem virum Paulum Falconerium.

(f) De novis repertis p. 2 tit. 15.

5. Itaque, ut dicebamus, vestes Christi Domini, & ipsorum Apostolorum, quas, quibus in genere loquendo constarent partibus, suis locis dicemus commodius & exactius, Pictores nostri frequentius colore rubro, cæruleoque, aliovè simili depingunt. Falsum id, & quantum assequi conjectura possum, ineptum. Etsi enim non penitus sit exploratum, quibus omninò coloribus in suis vestibus Judæi usi fuerunt: tamen illud mihi, ut longè probabilius persuasum est, usos fuisse præcipuè duobus, albo scilicet & fusco, seu pullo. Albo quidem frequenter usos esse, satis probari potest ex illo Ecclesiastæ: (g) *Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.* Ubi sapiens adhortans ad honestum, & modestum usum earum rerum, quas Deus ipse, non tantum ad sublevandam necessitatem, sed ad tuendam etiam commoditatem, & munditiam humanæ vitæ contulit; cujus modi documentorum affatim plenus est ille liber; quamquam eædem aptissimæ & convenientissimæ sint, præsertim in Evangelica Lege, ad spiritualem & planè sublimiorem sensum traducendæ: illud in primis admonet, ut curare debeat homo, quem instituendum suscipit; ut nimirum toto tempore utatur mundis & concinnis vestibus: quę proinde erant albæ; quod innuit illis verbis; *Omni tempore sint vestimenta tua candida.* Illud verò quod addit, *& oleum de capite tuo non deficiat*, morem tangit earum regionum, & apud Israëlitas usu receptissimum, ungendi scilicet capitis: quod à divitibus fiebat unguentis, aromatibusque; à popularibus verò communi oleo, quamquam (ut putari fas est) puro & defœcato: quod in Evangelio ipso satis exprimitur non uno in loco. Ipse enim Christus Dominus conquestus apud Simonem Pharisæum de minus benevola civilique sui ipsius in ejus domum receptione, illud exprobrat, quod illius caput oleo non unxerit, illis verbis: *Intravi in domum tuam:::: oleo caput meum non unxisti.* (h) Imò idem Dominus & præceptor admonens fugiendam hypocrisim; cùm per jejunii dies solerent Pharisæi unctionem capitum omittere, quò scilicet apparerent macilentiores, squallentes, & sordidi: discipulos è contrario admonet, etiam jejunii diebus curare diligenter, ut caput ungant, faciemque lavent. Sic enim ait: *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans.* (i) Ergo satis deducitur ut probabile, ne dixerim perspicuum, Hebræos usos esse vestibus albis; pręsertim cùm ille color in usu etiam frequentissimè fuerit apud Romanos, qui fortè id ab Orientalibus acceperunt, & magis adhuc florente Repub. cum hoc tamen discrimine, quòd divites, elegantioresque toga, quæ magis proprius Romanorum habitus fuit, non tantum albà, sed candida & nivea uterentur: vulgarium autem hominum minus alba, & magis pallente: quod innuit Seneca, cùm inquit: (j) *Mirari quidem non debes corrupta excipi, non tantum à corona sordidiore, sed ab hac quoque cultiore turba. Togis enim inter se isti, non judiciis dissident.* Quod etiam, & magis ad rem nostram facit, usurpatum esse apud Judæos, ex illo probari potest, quòd Jacobus Apostolus, qui illis Epistolam scripsit, scilicet *Duodecim tribubus, qui sunt in dispersione*; nempe ad eos, qui Christi fidem fuerant amplexi, admonens illos, non habendam esse personarum acceptionem ex vanis vestitus, & ornatus signis, illud habet: (K) *Etenim si introierit in conventum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida; introierit autem & pauper in sordido*

(g) Ecclesiast. 9. 8.

(h) Luc. 7. 46.

(i) Matth. 6. 17.

(j) Senec. Epist. 115

(K) 1. Iacobi 2. 2.

dido habitu,&c. id est cùm veste, alba quidem in se, sed pallente, sordida, &, ut ita dixerim, obsoleta. Ecce etiam apud Hebræos Judæosvè utrumque illud, quod de Romanis diximus, usitatum.

6 Cæterum apud Romanos labente, aut collapsa Rep. cœperunt togæ albæ, aut candidæ esse in desuetudine, abiitque populus ad pœnulas, lacernas, aut solas tunicas, easque coloris fusci, sive pulli. Qua de re Suetonius res Augusti referens: (l) *Etiam* (inquit) *habitum, vestitumque pristinum reducere statuit, ac visa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus ac clamitans; En ait,*

Romanos rerum dominos, gentemque togatam.

In cujus rei gratiam *negotium Ædilibus dedit, ne quem posthac paterentur in foro, circovè, nisi positis lacernis, togatum consistere.* Quod sanè sub posterioribus Imperatoribus magis ac magis in usu fuit, præcipuè apud plebeios, ut satis constat ex Spartiano Appianoque; ut, nempe vulgus, abjecta toga, uteretur lacernis, pœnulis, & tunicis: quas sanè fuisse coloris fusci, sive pulli, sive grisei, multis probare promtum erat. De quo tamen argumento videri potest copiosè, ut solet disserens, Lipsius. (m)

(l) Suet. in Aug. c. 40

(m) Lipsius lib. 1. Elect. c. 13.

7 Atque ex his quidem jam non obscurè patet Judæos, Christi ipsius tempore, præsertim nobiliores ac divites, usos esse in vestibus colore albo; pauperiores autem & populares, fusco, pullo, aut, quod idem censeo, lanæ nativo, non cinericio quidem, sed illo (difficile enim est colorum idæas verbis exprimere) quem nos dicimus *pardo.* Ipsum autem Christum Dominum, ut erat in cunctis rebus, etiam non maximis, gravitatis exemplar & modestiæ, hoc ipso colore in vestibus usum esse, mihi sat est probabile: nativus est enim velleris fusci color, atque lanæ nullis imbutæ aut fucatæ tincturis: certè non albo; quod probari potest ex eô quod cùm eumdem Christum Dominum Pilatus Romanorum Præses trāsmisisset propria indutum veste ad Herodem Galilææ Tetrarcham, per illos dies solemnitatis occasione Hierosolymis commorantem; ipse Herodes illum ab se spretum ad Pilatum iterum remisit veste indutum alba. Quod totum habet divinus textus illis verbis: (n) *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo: & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum.* Ergo ipse Christus non ante erat veste alba indutus: alioqui quid egisset, aut agere intendisset, impius rex, Christum veste alba super albam vestem rursum induens? Imò ex hoc loco, meo quidem judicio, confirmatur, etiam Judæorum nobiles vestibus albis usos fuisse; illoque ludibrio regem impium voluisse per jocum denotare Christum D. non ut popularem aliquem seductorem, sed ut nobilem & ex primoribus habendum esse: ad eum ferè modum quo Romani milites eumdem cœli terræque Regem per jocum atque ludibrium Regem Judęorum indutum purpura salutarunt.

(n) Luc. 23. 11.

8 Neque ad sentiendum oppositum, nempe quod Christus Dominus usus fuerit vestibus non fuscis, sed albis, movere quemquam debet id quod in ejusdem transfiguratione dicitur, referente Evangelista Matthæo: (o) *Vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix*: id est, reddita esse omnino candida ex simpliciter albis: ad eum modum quo Romani, cùm Magistratus ambirent, non contenti togarum albedine, illas fullonibus traditas, cretaque òblitas, candidas & splendentes reddere satagebant: dicti propterea *Candidati,* ut norunt hi etiam, qui bonas literas à solo limine salutarunt. Imò hoc dissertius explicare videtur textus D. Marci illis verbis: (p) *Et vestimenta ejus facta sunt splendentia & candida nimis, velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere.* Non, inquam, hoc movere debet utcumque speciosum. Namque illo miraculo, ex lucis copiosa abundantia, quæ maximè saltem candorem atque splendorem inducit, vestes Christi Domini, quæ in se pulli vel fusci coloris erant, adeò splendescerent; ut albæ omnino, imò candidæ & splendentes apparerent oculis intuentium. Quod etiam innuere mihi videtur Lucæ textus, dum ait, (q) *Et facta est, dum oraret, species vultus ejus altera, & vestitus ejus albus & refulgēs.* Quasi diceret; In illa glorię ostēsione vultū Christi visū esse quasi sub altera, id est, sub solis urgentis specie; & vestitum ejus, quamquam in se fuscum, album & pręfulgentem apparuisse. Et hęc, quantum ad colorem attinet, de Christi sacratis vestibus. Apostolorum autem, ut-

(o) Matth. 17. 2.

(p) Marc. 9. 2.

(q) Luc. 9. 29.

utpote humiliorum hominum & planè vulgarium, ut rudiores & grossiores fortasse; fuisse etiam coloris fusci, pullivè, nullus dubito. Facessat ergo illa speciosa colorum varietas in vestibus tam Christi Domini, quàm Apostolorum; ut proinde pullati, & fusco amicti colore, quàm purpurati variegatique depingantur. Alias verò observationes circa vestium eorumdem partes, formam, atque materiam, suis locis, ut monuimus, commodius referemus.

9 Ut verò quod in hac parte vulgarium errorum jure commemorari potest, intactum non sinamus; quid frequentius est, quàm cùm convivia veteris aut novi Testamenti depinguntur, depingi convivas assidentes mensæ in sellis, scamnisvè locatos; cùm tamen certò certius constet, veteres, presertim Orientales, à quibus primitus ad alias orbis nationes mos hic fluxit, conviviis usos, non hoc sedendi, sed recumbendi, aut discumbendi modo, stratis lectulis ac tricliniis impositos? Infinitus essem, si rem hanc ex professo, quod ajunt, & pro dignitate vellem exequi: cui certè aliorum scripta plenis huc conferre manibus non est cordi. Videat eruditus lector, & consulat, quæ ex priscis Authoribus, cùm Græcis, tùm Romanis marmoribus, atque antiquis monumentis Hieronymus Mercurialis, (r) Petrus Ciaconius, (s) Julius Cæsar Bulengerus, (t) aliique passim eruditè disputant & convincunt. Imò hunc morem, qui ab Asianis, ut diximus, ad Græcos, atque ab his postmodum ad Romanos defluxit, meridiana luce clarius indicant Scripturæ sacre insignes loci tam veteris, quàm novi testamenti. Veteris quidem; nam (ne per multa alia & magis obscura divagemur) in Estheris historia, ubi convivii illius celeberrimi apparatus describitur, in quo Assuerus (sive ille fuerit Xerxes, dictus Oxyares, ut reputat Josephus Scaliger, (u) sive potiùs Artaxerxes, dictus Longimanus, ut probabilius alii suspicantur,(x) sive alius quispiam, de quo virum doctum eruditè disputantem adire licet. (y) In quo, inquam convivio Assuerus (quisquis ille fuerit) regni sui proceres, ac dynastas excepit, illud habetur: (z) *Lectuli quoque aurei, & argentei super pavimentum smaragdino & pario stratum lapide, dispositi erant.*

(r) De Arte Gymnast. lib. .c.11. (s) De Triclinio. (t) De cõviviis. (u) De Emendat. temp. lib. 5. (x) Iosephus lib. 11. Antiquit. c. 6. Niceph. Suid. & Zonar. ap. Euseb. in Chron. ad ann. mundi 3590. (y) Antonius à Matre Dei in Præl. Isagogic. 1. dub. 9. §. 3 (z) Esth. 1 6.

Ubi lectulos quidem, non sedes aut sellas convivis paratas, quivis non oscitans lector notare poterit. Sed clarius res exprimitur eodem libro, ubi res eadem absque ullo tergiversationis loco describitur illis verbis: (a) *Qui* (Rex scilicet Assuerus) *cùm reversus esset de horto nemoribus consito, & intrasset convivii locum, reperit Aman super lectulum corruisse, in quo jacebat Esther.* An non hìc, erudite Lector, lectulum, & non sellam, & jacere, & non sedere cernis? Ita planè: ut propterea ineptus hìc commentator videar, si verbum addam in confirmanda re manifesta. Videat tamen qui volet, sacræ hujus historiæ Commentatores & Interpretes.

(a) Ibid. c. 7. 8.

10 Neque minus disserte favent novi fœderis testimonia; in quo consultò sacer historiographus utitur, non sedendi vocabulo, sed discumbendi, aut recumbendi, quod tertio quòque, quod aiunt, verbo apud Evangelia reperies: adeò ut hìc frequentes allegare locos pigeat ac pudeat. Sin minus, dicant ii, quibus ob harum rerum ignorationem nova, atque mira sibi proponi queruntur, quà ratione commodè explicari queant Evangelici textus duo præsertim loci. Prior est, in quo de muliere illa, quæ Domini pedes lacrymis rigavit, capillis tersit, unguentoque unxit, dicitur, quòd *stans retrò secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare.* (b) Nam quo pacto Christi Domini sedentis ad mensam, pedesque, ut naturalis fert ratio, sub ipsa mensa recondentis, potuit commodè, imò ne incommodè quidem, mulier quæ retro sese continebat, retroque accessit, rigare lacrymis, tergere capillis, atque unguento perungere pedes potuit? Hoc ego non video, nec vidère doctiores homines. Factu tamen est facile, si Christum Dominum, ut & cæteros convivas, non mensæ dixeris assedisse, sed toro recumbentem: *Quia qui ad mensam* (verba legis viri eruditissimi atque gravissimi) *antiquo more super toros accumbebant, ita jacebant, ut caput versus mensam, pedes versus exteriorem partem haberent, qua ministri fercula ferentes mensam obibant.*

(b) Luc. 7 38.

Ioann. Mald. ad hunc loc. pag. 999.

11 Posterior est ille, in quo de Joanne Apostolo, quem Salvator precipuè dilexit, dicitur: (c) *Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus*: quod idem

(c) Ioan. 13. 23.

(d) Ibid. 21. v. 20.

idem alibi repetitur (d) illis verbis: *Conversus Petrus, vidit illum discipulum quem diligebat Iesus sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus ejus.* Quo ex loco non obscurè colligitur Christum Dominum in postrema cœna ad mensam, non sedili usum, sed uno eodemque lectulo cum Ioanne sibi admodum charo discubuisse, quidquid sui fortasis oblitus commentetur hoc loco vir eruditissimus, quem supra nominavimus. (e) Hoc enim modo facillimo negotio intelligitur, quomodo discipulus ille recubuerit, aut caput cervicemque reclinaverit super pectus Iesu: imo quod Christus ipse Dominus quodammodo in collo Ioannis caput inclinaverit: quod disertè supponere videtur aut asserere Ambrosius verbis illis elegantissimis: (f) *Nonne*, inquiens, *tibi videtur Christus cecidisse in collum Ioannis, quando erat Ioannes in sinu Iesu cervice recumbens reflexa? & ideo verbum apud Deum vidit, quia erectus est ad superna.* Hoc, inquam, modo res clara efficitur atque patens; alio autem non item, nisi ægrè nimium ac difficulter, quamquam eo vulgariter utantur pictores antiquarum rerum ignari, ut apposite vidit Author supra laudatus. (g) Errores autẽ ac lapsus hi, aliique iis simillimi, non tales sunt, ut ob illos aut rejiciendę picturæ sint sacræ, in quibus reperiuntur, aut nimiùm reprehendendi pictores: quamquam consultius erit, ut magis rerum antiquarum gnari eosdem, quantum fieri poterit, devitent ii, qui bono titulo audire velint pictores docti atque eruditi.

(e) Iaon. Maldonatus.

(f) Ad c. 15. Luc.

(g) Mem. loco supra.

CAPUT X.

IN PICTURIS SACRIS LICERE DEPINGI QUÆdam, quæ ad pietatis excitant studium, quamquam ea neque ex Evangeliis, neque ex sacris apertè desumantur historiis; quemadmodum & alia, quæ non tam historiam continent, quàm ad quamdam piam significationem spectant.



Uemadmodum Orator, aut Historicus pleraque effert, conjectura tantùm, aut topicis rationibus innixus; ita Pictor non opus est, ut semper certa atque evidentia proponat; satis est enim si sectetur probabilia. Quamobrem reprehendendæ non sunt sacrarum rerũ picturę aliquę, quę licèt non manifestis Scripturę locis confirmentur, aut ex Historiis Ecclesiasticis desumantur, nihil tamen adversum continent; imò quodammodo conforme iis quæ nos docent sacræ Scripturæ, aut verò Ecclesiasticę Historię. Multa planè sunt, quæ hic ultro sese ingererent dicenda, nisi brevitati obsequi vellemus, & plurima suis quæque observarentur locis: quare attigisse aliqua nobis satius erit, quàm perlustrasse singula.

2 Quodnam fuerit pomum arboris vetitæ; quo comesto peccavit primus parens hominum, ab eoque statu felicissimo, in quo conditus erat, statim atque comedit, excidit; res, si quæ alia, apud sacros Scriptores ac Theologos incerta est, ac prorsus ambigua; asserentibus aliis fuisse ficum; illo ducti momento, quòd scilicèt primi parentes simul atque cognoverunt se esse nudos, *consuerunt* (inquit sacer textus (a) *sibi folia ficus, & fecerunt sibi perizomata*: aliis verò fuisse malum; quibus illud favet: (b) *Sub arbore malo suscitavi te: ibi corrupta est mater tua; ibi violata est genitrix tua.* Qua de re videat prudens atque eruditus Lector virum impensè doctum, apprimèque pium, dum in vivis ageret, imò etiam num, amicum nostrum D. Gabrielem Albarez de Toledo Equitem Alcantarensem, de illa graviter atque opportunè differentem docto prorsus Opere Historię Ecclesię atque

(a) Gen. 3. 7.

(b) Cant. 8. 5.

que mundi: (c) nobis enim ad alia properantibus satis fuerit dubium indigitasse, simulque cineri sepulto, famæque superstiti hanc honoris glebulam injecisse. Hæc autem omnia cùm ita sint, nihil frequentius est, quàm ut pictores depingant rubens malum in manu feminę, illud Adamo viro suo porrigentis: neque id malè, aut temerè: quandoquidem id fit probabiliter; eò vel maximè, quòd pomum illud arboris vetitæ, quodcumque illud fuerit, à sacro textu describatur; (d) *bonum ad vescendum, & pulcrum oculis, aspectuque delectabile.*

(c) Lib. 2. cap. 3.
(d) Gen. 3

3 Plurima essent (libet enim hoc repetere) quę hic dicenda forent huic exornando & probando argumento. Sed nos angustioribus terminis contineri studentes pauca subjungimus. Atque ut à veteri ac terreno Adamo ad novum atque cœlestem transeamus, in una tantùm Dominicæ Passionis reprę̄sentatione, si non quidem omnia, pauca saltem, eaque notatu digniora huc pertinentia subnotare fas est. Principiò igitur: comprehensionem Christi Servatoris depingentes, ipsum Dominum in terra projectum pingere soliti sunt pictores alioqui non incelebres; imò impietatis ministros, ipsum trudentes calcibus, & fuste minantes, ut surgat. Pium hoc quidem, neque male ex Revelationibus pie credibilibus, sanctorumque contemplationi addictorum meditationibus desumtum. Atque ob id etiam tolerabile, imò etiam fortasse laudabile: cùm tamen alioqui neque ex Evangelici contextus historia, neque ex Ecclesiæ perpetua consensione, nec denique ex aliis gravioribus antiquitatis depromtum monumentis. Quàm gravissimis utique verbis horrendum atque ignominiosum Christi Domini tormentum complexa est dignitas atque majestas Evangelica! flagellationem dico cruentam, quâ Iudææ præses Pontius Pilatus militibus ac lictoribus suis imperata, putavit se posse irritato atque clamoso populo satisfacere: qui enim ex Evangelistis eamdem luculentioribus enuntiavit verbis, hęc tantùm habet: (e) Τότε οὖν ἔλαβεν ὁ Πιλάτος τὸν Ἰησοῦν, καὶ ἐμαστίγωσε: id est: *Tunc igitur apprehendit Pilatus Iesum, & flagellavit.* In hac autem describenda pictores non modicum inter se discrepant, & eorum aliqui, nisi ego fallor, revelationibus ac meditationibus piorum plus justo fortassis indulgent. Describunt enim in primis horrenda ac planè atrocia flagellationis instrumenta; catenas, inquam, acutis passim ac ferreis aculeis obarmatas, & quæ tribulis etiam ferreis, acuminibusque terminatas, senticosas, spinosasque virgas, aliaque id genus, si quæ sunt, atrociora. Deinde Christum ipsum Dominum omnimodò laceratum, ac carne nudatis ossibus flagris penè confectum repræsentant. Ego verò hic; ut quæ mea, (imò non mea tantùm, sed gravissimorum etiam virorum) opinio fert, apertè promam, duo statuo. Primum quidem Dominicæ flagellationis instrumenta fuisse vel lora coriacea; vel, quod fortè probabilius est, fuisse virgas. Lora quidem; nam his servi, vilesque adeò homines apud Romanos cædebantur, (f) quod innumeris priscorum testimoniis probare promtum erat, præsertim Plauti, (g) atque Terentii, (h) Ciceronis etiam, cuius est illud: (i) *Quos Antonius deliciarum causa loris in convivio cædi jubebat à suis publicè.* Hoc verò supplicium illud est, in quo (quod præclarè Bernardus (j) scriptum reliquit) *Christus non tantùm servi formam accepit, ut subesset; sed etiam mali servi, ut vapularet.* Virgis verò, quoniam his Romanos usos esse in verberationibus, & ob id lictores armatos virgis Magistratus pręcedere solitos esse, res est notior, quàm ut hic comprobari testimoniis veterum debeat, etiam somnolentis lectoribus. Vide quæ hic annotat Author gravis sæpè à nobis nec sine laude nominandus. (K)

(e) Ioan. c. 1.

(f) Vide Lipsium De Cruce lib. 2. c. 2.
(g) Plaut. in Pœnulo illis verbis: Ne dehinc varientur virgis, & loris domi.
(h) Ter. in Adelp. Act. 2. sc. 1. usque ad necem operire loris.
(i) Cic. 13 Philipp.
(j) S. Ber.
(K) Ioan. Maldonat. ad c. 27. Mat. v. 26.

4 Deinde illud certum est, flagellationem illam haudquaquam levem fuisse, vel perfunctoriam, sed acerbam planè, atque sanguineam: hoc quod vel maximè probari potest ex eo, quòd, ut suprà notavimus, Pilatus eâ putavit se posse populo satisfacere, quantumlibet in Christum irato atque feroci: quod ipse, ad illam respiciens, satis indicavit, illis verbis: (l) παιδεύσας οὖν αὐτὸν ἀπολύσω. Id est, ut vulgatus noster textus habet: *Corripiam ergo illum, & dimittam.* Quod peropportunè Bernardus (m) adnotatum reliquit, qui dulciter, ut solet, Iesum alloquens, *Si enim,* inquit, *sanguis tuus in flagellatione fuit tam copiosè*

(l) Luc. 23. 23.
(m) Tract. de Passione D. c. 4. non longè à princip.

fusus, ut columna guttis illius respersa adhuc, sicut asseritur rubra servet vestigia; quantum sanguinis credam ipsis flagellis corpus tuũ mitissimũ scindentibus inhæsisse? Imò subdit; *Tam dirè flagellatus est Dominus, ut sanguis ejus sursum in aëra resultaret.* Pingitur ergo recte Christus Dominus dirè cæsus, tumentibus vivicibus, plagisque cruore manantibus. Ad quod satis erant in robustis manibus virgæ, loraque cruda; quanvis alia quæ sæpè memoravimus, non ita conformiter ad facti veritatem repræsententur. Pingi verò Dominum flagris cæsum in ipso pectore, ac ventre, ex quorumdam, piis quidem, sed non admodum probabilibus conjecturis ac meditationibus, quantùm censere possum, ineptum est.

5 In contumeliosa Coronatione, milites palis, atque bacillis spineam coronam infigentes capiti Christi Domini describuntur. Necunde id constat: esse tamen probabile ac vero simile, nullus dubito; præsertim si senticosum illud sertum horrendis spinis armatum undique se monstrabat, ut communiter docent Interpretes: tunc enim, ne manus sibi milites pungentibus spinis lacerarent, credibile est vulgaribus usos instrumentis, qualia certè sunt pali atque bacilli. Quamobrem probabilis est admodum hæc Coronationis Domini pingendi ratio, quanvis ex textibus Evangelicis, aliisvè antiquitatis monumentis non comprobetur.

6 Majus quiddam est, quod in bajulatione Crucis pictores nimium inter se discrepant. Alii enim totam, & solidam crucem, sibi destinatam, Christum Dominum portantem describunt: quod non fit utique sine gravi fundamento. Alii totam Crucem describunt portantem Simonem illum Cyrenęum: neque id male; cùm neque doctorum virorum, imò & sanctorum, quin etiam Evangelica ipsa authoritate careat. Alii denique, & magis communiter, utrumque simul; Christum, inquam, Dominum & Cyrenęum in ferenda aut portanda Cruce depingunt. Atque inter hos etiam differentia est: non desunt enim qui Christum Dominum repræsentent bajulantem extremitatem Crucis, & Cyræneum robur ipsius, & brachia. Contra alii, (quod longè communius est) Christum ferentem brachia crucis, & Cyrenæum ejusdem extremitatem portantem, depingunt. Verùm enim vero tam de hoc, quàm de aliis, quæ ad Passionis Dominicæ mysteria repræsentanda attinent, fusius suis locis, Deo dante, tractaturi sumus. Quare prędicta, exempli tantùm causa, delibasse contenti sumus, plura circa hæc, aliaque, atque uberiora fortassis, alibi dicturi.

7 Restat igitur, ut perstrictim saltem annotemus duo, quam continet Capitis epigraphe. Depictá non semel videtur Imago Christi Domini, vestibus spoliati, cœlum suspectantis, flagris concisi, spinis coronati, expansis hinc & inde manibus, atque hoc gestu sedentis super petram. Hanc Christi Domini pingendi rationem certo atq; explorato in sacris Evangeliis fundamento carere, quis nesciat? Sed tamen piè sic depingi ac repræsentari quis ambigat? Eâ enim solùm intenditur Christum Dominum Passionem suam, Patrique Æterno eximiam obedientiam, atque erga humanum genus charitatem eidem Æterno Patri demissè & ardenter offerre, quò nos ad gratitudinem magis ac magis accendamur. Imò quòd alicunde & piè & probabiliter sit desumta, opportunè adnotat harum rerum gravis scriptor, (n) allegans Henricum Herpium, (o) Scriptorem, ut putare decet, Catholicum, sed quem mihi videre non contigit. Ejusdem fermè argumenti atque instituti est pictura alia, in qua Christus Dominus plagis concisus, spinisque coronatus, supra crucem ipsam genuflexus describitur, mundum totum globo quodam repræsentatum Patri suo æterno offerens. In quo quidem pii cogitatus repræsentatio quærenda atque amplectenda potiùs est, quàm rerum gestarum historia. Neque verò piis hisce cogitationibus fundamentum omninò de est ex sacra Scriptura de promtum: satis enim constat Christum Dominum toto sanctissimæ vitæ suæ tempore, atque in ipsa sacratissima sua Passione pręcipuè, preces suas ac lacrymas obtulisse Patri, dicente Apostolo: (p) *Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui posit illum salvum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Videat lector quę hic annotant doctiores, gravioresque Interpretes.

(n) M... lib. ... 31.
(o) Se... 52.
(p) Heb. 5. 7.

Ma-

8 Majoris offendiculi præbent ansam picturæ aliæ, quæ tamen, etsi piæ, ineptæ forent, imò & erroneæ, si ad literam & (ut ita loquamur) materialiter, & non potius alio significatu cogitatuque exponi deberent: utpote quę in se exhiberent oculis crassum, neque ullo modo ferendum anachronismum. Vidi egomet, cùm adhuc essem juvenis, Optę Picturam Christi Domini, quantùm mihi conjectare licuit, non omninò vulgaris, aut inelegantis penicilli. Itaque describebatur in illa Christi Domini corpus emortuum, in lapide jacens; in quod aliquot, cùm prophetæ, tùm etiam veteres patriarchæ, intendentes oculos, illud unanimiter enuntiabant, ut ex quadam subscriptione patebat, *Perieramus, nisi periissemus.* Quod desumtum, quamquam nonnihil immutatum, ex faceto atque eleganti Themistoclis apophthegmate, quod veteres & recentiores memorant, (q) haud modicam addebat venustatem picturæ. Qua certè motus, si quis sibi in animum induceret veteres Patriarchas Prophetasque Christi extitisse coætaneos (imò ne ipsos quidem inter se) stultus planè esset, dignusque Orbilii ferulis. Hoc verò neque significare pictura volebat, neque pictor; sed tantùm veterum sanctorum Patrum erga Christum Dominum reverentiam, gratique animi testimonium, cujus ut venturi semper innixi sunt meritis: ita & mortuo, præsertim cùm eorum animæ ab inferis ipsius imperio sunt reductæ, reverens atque gratum exhibuere obsequium. Sed ad alia huc spectantia non importuè transeo.

(q) Vide. Thucyd. lib. 2. bello Pelopones. Plutarch. in ejus vita. Erasm. in Apoph. &c.

9 Depictum vidimus aliquando Servatorem Christum recens natum, jacentemque in præsepio, atque circa præsepe ipsum Sanctos Augustinum, Bernardum, Franciscumque, adorantium in morem, genuflexos. Quid ineptius, amabo, hoc pingendi modo, si per illum pictor, aut qui picturam fieri curavit, seriò intendisset rei prout gesta est, enarrare fideliter eventum? Quid? an cogitarunt, cogitarevè potuerunt Sanctos illos memoratos reapse interfuisse adorationi Christi Servatoris, cùm adhuc in præsepio jacens vagiret infans? Apagesis deliramentum omni absurdo majus. Sed tamen res non ita est, aut verò excogitata fuit. Solùm enim hac pingendi ratione intentum est exhibere oculis quodammodo ardentissimum amorem, quo flagrarunt erga mysterium hoc ferventiores animæ, ac præ cæteris eximiè piæ, quales certè fuerunt, cum aliis, Divi Augustinus, Bernardus, & Franciscus. Quod nihilominus ut ita sit, monuerim tamen pictores eruditos, non se facilè adduci, ut prædictam, aut similem pingendi rationem sequantur, imitenturvè. Debitores enim sumus, ut præclarè monuit Apostolus, non sapientibus solùm, sed insipientibus. Hi autem, sive quod idem est, idiotæ, qui, ut supra notatum reliquimus, (r) pro libris ipsis picturas habent, ex hac, quam memoravimus, aliisque similibus, omnino falsa sibi persuadebunt. Addo quod magis est, non defuturos aliquos, imò futuros fortasse perplures (adeo imperitorum numerus grandis est!) qui ex prędicta, exempli causâ, pictura, aliavè simili conjectent, sanctos illos reipsa coram & realiter (ut ita loquamur) pręsentes Christum Dominum recens natum adoravisse; aut saltem qui minus indocti esse videantur, existiment illos inter se synchronos extitisse, sive coætaneos; quamquam id, non sentire tantùm, sed vel cogitare, summa alioqui ignorantia, imò & dementia sit. Neque quod simile quippiam contingere possit, ineptus ariolus aut vanus conjectator suspicor. Plura me quidem tutari possent: sed ne multis rem persuadere velim, audiat, obsecro, prudens lector, tametsi veram, facetam fabulam. A virò pręcipuæ authoritatis, nullaque fide non dignissimo ipsemet audivi, quòd cùm in magno illo, planeque regio templo Divi Laurentii Martyris in Scoriali cum aliquot haud vulgaris notæ hominibus versaretur, rogatus tamdem fuisset à quodam ex illis hoc pacto: Dic mihi, mi domine, amabo te; Sanctus hic Laurentius, Monachus Hieronymianus, quonam tempore à Mauris (preme verba) affectus sit martyrio? Subrisit ille ad ineptam planè, & plusquam deliræ anus prodigiosam quæstiunculam. Et, Neque Laurentius Martyr (inquit) Monachus Hieronymianus unquam fuit, essevè potuit, neque à Mauris affici martyrio. Quid igitur? Infit alter: Non hic in cœnobio Instituti Hieronymiani coli-

(r) Supra cap. 2. n. 3.

tur? non effigiatum illum vides in ara maxima? Hæc dixit ille, dicturus in eamdem rem fortasse plura omnino simillima, nisi negotia quædam alia, colloquutionesque intercessissent; ut vel hinc cordatus quisque facile perdiscat, quàm levibus momentis, aut quàm nullis decipiantur, qui sapiunt nihil: quàmque circunspectè proponendæ sint illis rerum imagines, quæ tametsi alio omnino fine depictæ sint, illos tamen transversos agant, atque toto cœlo aberrandi ansam etiam remotam subministrent.

10 Ad idem prorsus institutum pertinent picturæ aliæ, in quibus Christo Domino, aut Sacra Deipara depictis, aliovè Christianæ Religionis mysterio, se ipsos in ora tabulæ venerabundos ac genuflexos depingi curant; quò amorem suum atque reverentiam erga Christum Dominum, Virginem Genitricem, mysteriumvè aliquod, intuentium oculis repræsentent: quarum aliquas sæpius ipsi vidimus. Hoc certè pium ac religiosum esse, quis dubitet? Cęterùm an semper atque indifferenter id expediat, ipsi viderint, consultis præsertim viris doctis, prudentibus, atque eruditis. Ego certè vix dubito, quòd si picturæ tales rudioribus animis proponerentur, plerique essent qui sibi persuaderent, intentum significari tali pictura Christum Dominum, sacramvè Deiparam apparuisse aliquando personis in tabula depictis: aut quidvis hujusmodi, quod præoccupare facilè queat rudiores mentes. Atque hæc quidem sunt, quæ de erroribus qui passim admittuntur in pingendis, effingendisque sacris Imaginibus in communi atque universaliter, ut ita dicamus loquentes, notanda atque dicenda habuimus: alia enim, quæ multa occurrere possent, & circa quæ alii longius divagantur, aut peculiaris instituti nostri non sunt; aut quæ ad illud spectant dicenda opportunius supersunt suis quæque locis; ut, Deo dante, notum fiet libris sequentibus.



LIBER

LIBER SECUNDUS DE PICTURIS DEI, ET ANGELORUM.

ET QUI ERRORES IN IIS DEPINGENDIS occurrant.

CAPUT I.

DEUM OPT. MAX. QUAMQUAM NULLO SENſu imaginabilem, tamen aliqua ratione, ut humanę conſulatur infirmitati, decenter licere depingi.

1  Lato ille, qui ob doctrinæ ingeniique Excellentiam divinus audit, prudenter eleganterque dixit, cautos atque prudentes nos eſſe debere, cùm de Deo cogitamus, aut loquimur. Sed en illius verba, in ore hoſpitis Athenienſis:(a)*Cavere itaque debemus, ne quaſi ex oppoſito ad ſolem converſi, & in meridie noctem agentes, perinde reſpondeamus, ac ſi mortalibus oculis meus ſufficienter conſpici, cognoſcique poſſit.* Quod certè ſi ſemper cavendum atque obſurvandum eſt,hic omnino prę cipuè,cùm deDeo quoquo modo effigiãdo aut figurando agimus(b)*Etenim inviſibilis* (inquit inſignis Theologus & antiquus Author) *incorporei, incircunſcriptibilis, & inſigurabilis Dei quis poſſet conficere imitationem? Extremæ igitur inſipientiæ & impietatis eſt figurare Deum.*

(a) Plato, Dialog. [1]o.de Legibus.

(b) S. Ioan Dam. l. 4. Fid. Orthodox. c. [1]7.

2 Sed enim, ut nos ne latum quidem, quod aiunt, unguem a vero aberrantes rem tantam explicemus, duplici dicimus modo poſſe contingere, ut Deus Optimus Maximus depingatur. Primo quidem, ſiquis judicio atque aſſertione ductus, Deum corporeum eſſe ſibi perſuadeat. Secundo, ſi judicio hujuſmodi erroneo planè atque intolerabili diſſentiens, apprehenſioni tantùm noſtræ, corporeis rebus ſuetæ,ac ſemper imbecillæ, ſuccurrere volens,Deum, quamquam omnino incorporeum atque inviſibilem, ſub aliqua decenti,venerandave forma aut ſpecie, præſertim humana, configuret. Priori quidem modo fatemur planè, Fide magiſtra, inſaniæ atque dementiæ, imo & impietatis extremæ eſſe, ut loquitur Damaſcenus, figurare Deum. Et hac ratione, ſine potius irrationabili inſania, erraruntin primis permulti Philoſophi, ut fuerunt Epicurei, Stoici, Cyrenaici, aliique permulti, (c) qui Deum eſſe corporeum aſſeruere. Sed hos mittamus.Nam erraverunt etiam melioribus literis imbuti hæretici quidam, qui propè exeunte Eccleſiæ tertio Seculo, illo ſacræ Scripturæ textu imprudenter, aut potius impudenter abuſi: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*; (d) aſſerebant Deum reipſa habere eſſe quoddam corporale, humanaque omnino forma præditum exiſtere; dicti propterea Anthropomorphitę: contra quos ſcripſerunt, vel quos potius erudiendos, & ad meliorem mentem reducendos (erant enim maiori ex parte Monachi quidam imperiti prorſus atque indocti) negotium ſuſcepere duo Eccleſię clariſsima lumina Cyrillus Alexandrinus, (e) & Theophilus item Alexandrinus Patriarcha; (f) cujus poſtremi Epiſtolas cùm perlegiſſent prædicti Monachi, ii præcipuè quid quoddam Cænobium incolebant, *Schetam* dictum, adeò commoti ſunt, & in furorem ver-

(c) Vide Marſil. Ficin. Comment. in Plat. Convivium c. 5. prop. fin.

(d) Gen. 1. 26.

(e) Tract contra Anthrop.

(f) Cujus Epiſtolas vide t. 5. Biblioth. vet. Patr. pag. 79.

versi; ut Archiepiscopum suum hæreticum appellare non dubitaverint: imo inter eos bonus alioqui senex, cùm jam sanis Paphnucii Abbatis, & cujusdam Photini Diaconi Cappadocis monitis doctrinaque ad meliorem frugem conversus esset: *Ita est* (verba legis insignis Monachorum Magistri (g) *in oratione senex mente confusus, eo quòd illam Anthropomorphitarum imaginem deitatis, quam proponere sibi in oratione consueverat, aboleri de suo corde sentiret, ut in amarissimos fletus, crebrosque singultus repentè prorumpens, in terramque prostratus, cum ejulatu validissimo proclamaret, Heu me miserum! tulerunt à me Deum meum, & quem nunc teneam non habeo, vel quem adorem, aut interpellem, jam nescio.*

(g) Ioan. Casian. Collatio 10. cap. 3.

3 Cęterùm nos non hoc modo crasso nimiùm atque imperito, imò & blasphemo, si pertinax accedat error, dicimus Deum Opt. Max. licitum esse utcumque depingi: sed illo secundo jam supra à nobis annotato. Etenim Scriptura sacra, optima sentiendi, divinaque intelligendi præceptrix ac magistra; sæpenumerò attribuit Deo, aut corporis dimensiones, putà altitudinem, latitudinem, & profunditatem; aut etiam corporeas & humanas partes; brachium, oculos, manus, pedes: quod quidem faciens, non id intendit, ut credamus, sentiamusvè inesse in Deo hujusmodi dimensiones, aut corporeas partes: cum hoc summæ & infinitæ ejusdem perfectioni, atque illimitationi apertè repugnet; sed Scriptura, quòd rectè, ut omnia, vidit atque docuit Doctor Angelicus, (i) divina & spiritualia nobis sub similitudine corporalium tradit: *Deus enim omnibus providet, secundum quod competit eorum naturæ: est autem naturale homini, ut per sensibilia ad intelligibilia veniat; quia omnis nostra cognitio à sensu initium habet. Unde convenienter in sacra Scriptura traduntur nobis spiritualia sub metaphoris corporalium, &c.* Et subdit: *Convenit etiam sacræ Scripturæ, quæ communiter omnibus proponitur (secundum illud ad Rom. 1. sapientibus & insipientibus debitor sum) ut spiritualia sub similitudinibus corporalium proponantur, ut saltem vel sic rudes eam capiant, qui ad intelligibilia secundum se capienda non sunt idonei.* Hucusque D. Thomas. Ex quibus planè infertur, quod sicut sacræ Scripturæ inconveniens aut indecens non est, Deo persæpè attribuere corporalia membra, per quæ tamen non materialia atque corporalia intelligi possunt, aut debent; sed *attribuuntur Deo* (verba rursus audis Doctoris Angelici) (j) *in Scripturis ratione suorum actuum secundum quamdam similitudinem; sicut actus oculi est videre: unde oculus de Deo dictus significat virtutem ejus ad videndum modo intelligibili, non sensibili; & simile est de aliis partibus*: Ita inconveniens non est, neque censeri debet, ut nobis humanæ imbecillitati atque infirmitati consulentibus, liceat Deum ipsum Opt. Max. aliqua humana forma reverenti modo depingere.

(i) 1. Part. Quæst. 1. art. 9.

(j) 1. q. 3. 3. ad

4 Neque aliquem moveat, quòd imago illa, semel atque imago dicenda sit, quæ Deum Opt. M. repræsentat, Deus etiam aliquo modo dicenda esset, juxta elegantissima illa, quibus fortè inniti potest, verba Augustini: (K) *Adeò sunt similes Imagines rebus, quarum sunt imagines, ut plerumque earum etiam nomina sortiantur: sic hominem pictum, hominem appellamus; & intuentes tabulam ad parietem, dicimus; ille Cicero est, ille Sallustius.* Neminem, inquam, id moveat: namque Imago illa valde abusivè, & nimis impropriè dicenda Deus esset. Denique, etsi impropriè & analogicè homo pictus dicatur homo, minus adhuc propriè imago talis esset dicenda Deus: homo enim pictus corpus hominis, quod verè est, manifestat oculis; imago autem talis, non Dei ipsius corpus, quod nullum est, sed Deum, prout nostrę imbelli imaginationi subjicitur, intuentium oculis repræsentat. Quò fortè respiciunt, & quidem aptissimè, duo illi versus, qui satis in omnium ore versantur, utpote quos suscepit Septima Generalis Synodus (l) qui ita habent.

(K) Aug. divers. q. ad S plicia 2. q. 4. Op

Nam Deus est, quod imago docet; sed non Deus ipsa.
Hanc videas, sed mente colas quod cernis in ipsa.

(l) A

Ex quibus omnibus, atque aliis etiam, quę dicenda supersunt, satis, ut opinor, probatum relinquitur Deum Opt. Max. quamquam incorporeum, & omnino in se ipsum infigurabilem atque inimaginabilem, ut hominum imbecillitati consulatur, aliqua corporea specie formaque, licere depingi.

CAPUT II.

FORMA QUA DEUM OPT. MAX. DEPINGI liceat, humana decori senis atque gravissimi, plerumque est. Et de modo alio pingendi Deum, nulla adjecta figurâ, sed radiis tantùm, atque intra eos nomine Tetragrammato.

1 Creatarum omnium rerum, earum præcipuè quæ sub aspectum cadunt, hominem esse, atque existimari mensuram, ut ab eodem inchoëmus, neque omnino falsè neque ineleganter Plato ille divinus asseruit: (a) constat enim, præter rationabilem animam, quam Deus illi per se ipsum infudit, infunditque semper, & quam proinde quemdam Dei halitum nominare jure possimus, & ut Ethnicus quidam dixit, (b) *Divinæ particulam auræ*; corpore pulcerrimo, tam extra, quàm intus perfectissimè organico, usque adeò accuratè exacteque disposito, atque, ut ita dixerim, fabrefacto; ut vix aut ne vix quidem quippiam possit excogitari perfectius intra metas atque in ratione corporis: adeò denique ut vel sola oculorum structura miraculi, & quidem ingentis, instar sit illam diligentius perscrutantibus, contemplantibusque. Qua de re, præter scriptores Anatomicos, multa multi dicunt, etiam ex Sanctis Patribus. Sed quod ad præsens attinet institutum, videat pius & eruditus Lector virum pietatis atque eruditionis nomine semper celebrandum in paucis, Magistrum dico Fr. Ludovicum Granatensem: (c) ut planè etiam ex eo quod attinet ad humani corporis opificium rectissimè Scriptura nos doceat, quòd cùm cætera Universi totius corpora, etiam illa Cœlorum pulcerrima, uno Dei Opt. M. verbo facta sint & constructa; tamen cùm ventum est ad hominis formationem, non eâdem jubendi & faciendi methodo Deus ipse sit usus; sed, *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* (f) Quod quidem, licèt quantùm spectat ad rationem Imaginis & similitudinis, ad animam referendum sit, ut præclarè docuit Doctor Angelicus; (g) tamen dubium non est, corpus etiam ipsius Hominis peculiari veluti cura atque studio Dei opus quodammodò extitisse; quod satis indicatur illis inferius verbis: (h) *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem.* In quam rem magni profectò nominis vir; quamquam postremò infelix, Tertullianus, insigniter intentus, huncque locum versans; *Adeò*, inquit, *magna res agebatur, qua ista materia extruebatur. Itaque totiens honoratur, quotiens manus Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur.* (i) Et subjungit perquàm eleganter: *Recogita totum illi Deum occupatum, ac deditum manu, sensu, opere, consilio, sapientia, providentia, & ipse in primis adfectione, quæ lineamenta ductabat.* Quod idem dixerat paulò ante, (j) atque etiam alibi, illis præsertim verbis: (K) *Eam quoque* (id est carnem) *bonitas, & quidem operantior operata est, non imperiali verbo, sed familiari manu, etiam verbo blandiente præmisso, Faciamus hominem, &c.* Quæ autem ad hos annotatos in margine locos ex Cyrillo, Ambrosio, Augustino, Methodio, Cæsario, Chrysostomo, aliisque opportunè, ut semper, annotat illius præclarus elucidator & Interpres; (l) videat qui volet, & cui vacet: nostri enim neque moris (ut sæpè monuimus) neque instituti est, aliorum auctoritatibus plena manu decerptis augere paginas, atque operi alienam conciliare laudem.

2 His itaque commodùm prænotatis, haud incongruenter asserimus Deum Opt. Max. sub senis venerandi forma ut plurimum licere, atque etiam decere depingi. Tametsi enim spi-

(a) Plat. in Cratylo, non lögè à princ.

(b) Hor. serm. lib. 2. satyr. 2. vide quæ ibi annotat Lambin.

(c) In Symb. Fidei.

(f) Genes. 1. 26.

(g) D. Th. 1. p. q. 3. art. 1. ad 2

(h) Gen. 2. 7.

(i) Tertullian. de Resurrection. carnis cap. 6. sub init.

(j) Ibid. c. 5. propè med.

(K) Lib. 2 adv. Marcion. c. 4.

(l) Ioann. Ludovic. de la Cerda tom. 2. in Tertullian.

ſpiritualia & divina (quod ſæpius inculcare non abs re eſt) longè diſtent dignitate atque excellentiâ à corporalibus ac viſibilibus; nos tamen his aſſueti, non aliter illa imaginari, concipere, aut exprimere poſſumus, niſi ad illorum inſtar, aut (ut Scholæ more loquar) connotativè ad illa: Haud ſecus quàm ruſticus ille Maronianus, qui cùm Mantuam tantùm vidiſſet, exiſtimabat Romam, terrarum orbis caput, eidem eſſe non tantùm æqualem, ſed & ſimilem: cùm tamen Roma quam longiſsimè Mantuam, non magnitudine ſolùm, ſed etiam dignitate atque excellentia ſuperaret. Elegantiſsima ſunt verba, quæ mihi temperare non poſſum, quin hìc inſeram: ſic enim habent. (m)

(m) Virg. Eglog. 1 v. 20.

Urbem quam dicunt Romam, Melibœe, putavi
Stultus ego huic noſtræ ſimilem, quò ſæpe ſolemus
Paſtores ovium teneros depellere fœtus.
Sic canibus catulos ſimiles, ſic matribus hœdos
Noram: ſic parvis componere magna ſolebam.

Cumque inter animata corpora (namque in reliquis immorari non oportet) excellentius nihil ſit quàm homo; ſub hac figura, & pręſertim ſub ſenis digniſsimi atque venerādi, propter rationes quas paulò poſt dabimus, depingi Deum Opt. Max. pium atque opportunum eſt: quodque ad rem noſtram facit magis, uſu ipſo receptum, quod inferius ſuo loco multis ſumus demonſtraturi.

3 Prius tamen (ne hoc intactum relinquamus) annotare placet, in uſu, & quidem frequentiſsimo, apud pleroſque eſſe, depingi Deum citra omnem humanam figuram: quod pingendi genus, potius ad hieroglyphica, quàm ad effigiandi rationem referendum eſt. Pingunt enim aliqui, non indoctè, neque ineleganter, in ſuperiori parte tabulæ circulum; ſeu, quod melius & frequentius eſt, Triangulum ęquilaterum, ex lucis radiis undique ſplendētibus efformatum, intra quem Hebraicis literis cōſcribunt nomē illud, à literarum quaternitate dictum *Tetragrammaton*. quod aliqui *Adonai* legunt, alii *Jeovah*: de qua legendi pronuntiandivè ratione non eſt hìc proprius locus differendi. Illud conſtat, nomen hoc dictum, atque habitum eſſe ab Hebræis ut planè ineffabile, & quod ſolùm à Sacerdote ſummo ſemel in anno, idque intra Sanctuarium ipſum, efferri, & pronuntiari licebat: quodque notatu eſt digniſsimum, & notavit Doctor Angelicus, (n) *nomen eſt impoſitum ad ſignificandam ipſam Dei ſubſtantiam incommunicabilem, & , ut ſic liceat loqui, ſingularem.* Quapropter hac exprimendi ratione figuraque ipſe Deus, cujus nomen præ ſe fert, haud inconvenienter exprimitur, & quòd nomen hoc includatur Triangulo æquilatero, qui proinde æquiangulus eſt, (o) ſeu habens tres omnino æquales angulos, fit non abſurdè: poteſt enim hac ratione utcumque concipi & eſſentię unitas, & Perſonarum trinitas atque æqualitas. Sed jam ad ſupra promiſſa atque indicata deſcendimus.



(n) D. Th. 1. p. q. 13 art. 9. & corp. artic. 11. ad 1.

(o) Ex Corollario Quintę libri 1. Elementor. Euclid.





CA-

CAPUT III.

DEUM OPT. MAX. SUB VENERANDI SENIS figura depingi usu, & qua ratione, receptum est. Notataque aliqua circa ejusmodi imagines, præsertim ex veteri testamento desumtas.

1 VIm quamdam legum obtinere in unaquaque republica mores illos, qui videntibus, nihilque contra repugnantibus magistratibus & sapientibus, usu recepti sunt, notius quiddam est, quàm ut hic multis probari aut exornari exposcat. Quod cùm ita sit, satis superque esset ad probandum Deum Opt. Max. sub gravis senis forma decere depingi: cùm usus rei hujuscemodi communiter receptus sit in Ecclesia, quę gravissima, & præstantissima omnium est Respublica. Nihil enim est in illa frequentius, quàm hæc, quam sæpè diximus, Dei pingendi ratio. Sed ut etiam pateat desumtam esse non sine gravi ac manifesto fundamento, ejus meminisse sat est, quod habetur in Danielis prophetia. (a) Ibi enim quamdam atque insignem visionem describens propheta: *Aspiciebam*, inquit, *donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit: vestimentum ejus candidum, quasi nix, & capilli capitis ejus quasi lana munda.* Hoc enim loco, ut bene annotat gravis Interpres, atque oppidò eruditus, (b) nomine *antiqui dierum* potest intelligi, vel simpliciter ipse Deus unus & trinus, vel propriè Deus Pater, de quo inferius suo loco nonnihil dicemus. Sed communior Patrum intelligentia est, denotari hac Imagine simpliciter Deum, qui propterea *Antiquus dierum* dicitur, aut longęvus, propter ejus immensurabilem æternitatem; quam respiciens Iob, (c) *Numerus*, inquit, *annorum ejus inæstimabilis.* Inducitur autem præterea Deus, ut annotat sapienter Maximus Doctor, (d) sub senis specie, ut demonstretur gravitas, maturitas, & tranquillitas animi, quæ præcipuæ dotes sunt ad judicandum: quod sanę in hac Dei visione describitur. Sed pergit propheta, & quo magis senem describat venerandum, *Vestimentum ejus*, inquit, *candidum quasi nix, & capilli capitis ejus quasi lana munda*: ut planè per candorem vestimenti significetur, ita interpretante Theodoreto, (e) incomparabilis munditia & puritas Divinæ naturæ. Iam verò tribuuntur ipsi capilli albi, tamquam quiddam consequens, & congruens antiquitati, vel æviternitati Dei: senibus enim naturali quadam ratione canescunt capilli capitis & barba: quod etiam mirè facit ad Iudicis authoritatem reverentiamque; ut propterea divinus Legislator Moses sapienter dixerit: (f) *Coram cano capite consurge, & honora personam senis.* Alias autem, quæ hic subnectuntur circumstantias, inferius magis elucidabimus: prędicta enim sat sunt ad ostendendum, quàm piè, quamque decenter depingatur Deus sub specie senis gravis ac venerandi.

2 Quare prudenter hanc pingendi rationem sequuntur, cùm describunt Pictores Deum in Universi opificio cuncta formantem, fingentem ex luto hominem protoplastum, Hevam ex hujus latere producentem; aliaque multa hujusmodi, quæ passim in veteri testamento reperiuntur, & quæ proinde singulatim enarrare nimis esset longum atque prolixum. Quamobrem tantùm restat ut subjungamus unum vel alterum, in quo saltem quoad aliquam circunstantiam notatu dignum aliquid animadvertendum ocurrit. Quorum sanè primum illud est, quod in somnis ostensum est Iacobo Patriarchę: *Viditque*, inquit sacer textus, (g) *in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ, dicentem sibi: Ego sum*

(a) Dan. 7.9.

(b) Ben. Pererius lib. 8. in Dan. ad hunc versum.

(c) Job. 36 26.

(d) Div. Hier. ad hûc. loc.

(e) Theod.

(f) Levit. 19.36.

(g) Gen. 28.12.13

Dominus Deus, &c. Ubi quum cetera plana sint, notanda tantùm veniunt, atque accuratè, verba illa: *Et Dominum innixum scalę*: ubi gravis Doctoris, eruditique in Apocalypsim Interpretis (h) nova, quantum ego suspicor, & certè singularis sententia est, Deum, non in summa scalæ parte, quâ cœlum contingebat; sed circa infimam, quâ surgebat è terra, debere depingi: ita ut super terram stans, manu dextra extenta ad unum ex gradibus, totam fixam redderet ac firmaret scalam, ut ex proposita Imagine constat, ad quam Lectorem remitto loco allegato in margine. Pro qua sententia perplures neque ineptas conjecturas & rationes affert, quę ibi videri possunt ab homine erudito.

(h) P. Ludov. Alc. ad cap. 4. Apoc. v. 1 notatione 1. p. 325.

3 Ego verò, ut quod verum sentio ingenuè proferam, non recedendum putaverim hoc loci ab antiqua, usuque recepta ratione pingendi, juxta quam Deus in superiori scalæ parte pingi congruentius fortasse potest, imò & debet. Ut enim taceam, quod ubi Vulgatus noster legit, *Innixum scalę*, Septuaginta vertunt, *Incumbentem scalę*; imò & quod Chrysostomus ita legat: (i) *Ecce scala erat firmata super terram, cujus caput pertingebat in cœlum.... Dominus autem innixus est super eam, & dixit, &c.* Utque taceam Ariam Montanum, harum rerum indagatorem accuratissimum, ex Hebræo vertisse, *Super scalam*: Ut, inquam, hæc aliaque omittam, quidnam, rogo congruentius est, quàm imaginari Deum ad instar cujusdam viribus & robore potentis, quod nos passim in exstruendis ędificiis aliisque operibus videmus, qui brachiis, & ipsius inclinatione corporis scalę innixus, per quam alii securi ascendant descendantque, eamdem fixam teneat, firmamque reddat? Atqui hæc, nisi nimium fallimur, visionis illius plana & literalis sententia est; ut certè illam describens rectissimè dixerit Maximus Hieronymus: (j) *Vidit Iacob scalam, & desuper innitentem Dominum: ut lassis manum porrigeret; ut ascendentes suo ad laborem provocaret aspectu.* Quare hanc communem & antiquam, quam nos amplectimur citato Alcazare, tuetur sententiam alter non inferioris nominis vir, (K) allegans Iosephum & Caietanum, quibus ego addo Pererium; (l) aliosque fortasse possem addere, si res id exposceret. Neque momenta aut conjecturæ, quas pro se affert laudatus Author, tanti sunt, ut ea propter à communi sententia, atque adeò à consueta ratione pingendi revelationem hanc, recedere nos cogant: quin magis urgent ea quæ ipsemet contra se objicit, quibus, quantùm mea fert judicii tenuitas, non planè neque plenè satisfacit.

(i) Chrys. in Gen. h. 54. propè med. t. 1. Oper.

(j) Div. Hier. Ep. ad Julian. t. 1.

(K) P. Cor. Alap ad prædict. loc. Gen.

(l) Perer. ad hunc loc. d. 3. n. 25.

4 Itaque rectissime pingitur scala quędam lignea portatilis, eximiæ quamquam altitudinis, utpote quæ à terra conscendebat in cœlum: in qua etiam duo illa lateralia ligna, quibus utrinque inserti atque infixi tenebantur gradus, innuere aliquid nobis mysticum atque allegoricum, diligenter observat laudatus nuper Author. (m) Quod notanter à me dictum volo: nam quòd pingatur, fingaturvè substructio & ædificium ingens, arcuato ex lapide opere, quod columnis etiam, fornicibusque innixum in exteriori sui parte scalam lapideam in modum pyramidis desinentem, ad cœlumque pertingentem repręsentet; quę cogitatio videtur esse viri alioqui summi: (n) pulcrum quidem est, sed mihi satis non probatur, vel eo solo nomine quòd novum: amo enim etiam in hujusmodi rebus antiquitatem usu receptam, quando gravis & urgens ratio non cogit ab illa discedere: *Antiquitatem verò*, inquit gravis cum primis Auhor, (o) *sequemur ita si ab iis sensibus nullatenus recedamus, quos.... majores ac patres nostros celebrasse manifestum est,*

(m) Id. ibid.

(n) B. Arias Mon tan. in bello, titul. ... manu... lut. ... numer... Ode 8.

(o) Vi... cent. L... rin. c... monit... 3. t. ... bliot... P.

5 Ad alia igitur potius perstrictim excerpenda, quàm plenis pertractanda manibus, quæ in veteri testamento reperiuntur, & quibus Deus Opt. Max. absolute significari videtur, gradum facimus. Et primum quidem illud est quod apud Isaiam Prophetam occurrit, illis verbis: (p) *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum*: ubi certè, sive Dei absolutè & ut in se est, unus nimirum atque trinus significetur, ut placet gravissimis Interpretibus, (q) qui pro se Patrum aliquot testimonia referunt, versantibus atque exponentibus verba illa Ioannis: (r) *Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, & loquutus est de eo*: sive significetur tantùm Deus Pater, ut placet Apocalypseos præclaro Interpreti, (s) qui multis, & authoritatibus & rationibus id probare

(p) Isai... 1.

(q) Card. Toleto... Ioan. M... don.

(r) Ioan. 12. 41.

(s) L. Alc. ad c. 4. v. 20. not...

re pergit: Pingendus est in throno sedens, senili prorsus & veneranda effigie. De Deo enim absolutè sumpto juxta Scripturę modum loquendi, nostris accommodato sensibus, hoc rectè pingendi inventum docuimus supra: & de Deo Patre, aut, quod idem est, de Æterni Patris Persona, idem debere figurari, atque effingi, uberius dicemus suo loco. Quod verò attinet ad Seraphinorum imagines prout hîc describuntur ab Isaia, nonnihil dicturi sumus agentes de Imaginibus Angelorum.

6 Aliud est illud quod occurrit in Ezechielis Prophetia (t) præsertim illis verbis: *Et super similitudinem throni similitudo quasi aspectus hominis desuper.* De quo quidem illud prorsus judicium ferendum esset, nisi essent gravissimi Interpretes ac Theologi (u) qui cùm illa specie significari contendant Verbum Dei, seu secundam Sanctissimæ Trinitatis Personam; hæc enim, & non alia, est quæ humanam Redemptionem, assumpta & copulata sibi carne peregit: Deum in hujusmodi visione, non senem depingunt, sed virum ætate florente: non (absit á viris gravissimis plusquam puerilis error) non, inquam, quòd Verbum in Divinitate subsistens, ab ipsius Dei Patris æternitate atque æqualitate dissocient: sed quòd ipsum Verbum caro factum atque in humanitate subsistens, per id ætatis humanitate sanctissima versante, commodius oculis repræsentetur, in qua mirabilem ac semper adorandum egit humanæ redemptionis triumphum.

(t) Cap. 1. 26.

(u) Vide Prad. & Villalp. Commét. in Ezech. t. 1. ad c. 1. sect. 5. & 9.

7 Paucis igitur rem, quæ propria est instituti nostri, pertractantes, qui nolumus extra præscriptas metas longius, imo ineptius, pervagari; dicimus Deum Opt. Max. prout in se est, aut potius prout nostris infirmis cogitationibus objici potest, commodè satis sub gravissimi & venerandi senis specie depingi. Quod satis probant & illustrant quæ hucusque adduximus; maximè si circumdepingatur adstantium reverenter Angelorum famulitium, & thronus circumquaque fulgurans & splendens: quæ Angelorum visione notantur illis verbis: (x) *Millia millium ministrabant ei, & decies millia centena millia assistebant ei:* Et (y) *Thronus ejus flamma ignis: rotæ ejus ignis accensus.* His quippe symbolis, quantùm rei dignitas patitur, adumbratur Divina majestas. Cùm verò æternus Pater pingendus est, ut in Jordanis Visione contingit, senex etiam gravissimus est depingendus: non quòd æternus Pater Filium aut Spiritum Sanctum tempore ullo, aut æternitate præcedat; omnes enim tres Personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales: sed ea ratione quòd Pater prior, non tempore, aut natura, sed origine sit: quod quidem aliter ægris nostris atque infirmis sensibus objici & repræsentari vix aut ne vix quidem potest. Cùm figurandus Filius est, illum scilicet *qui cùm in forma Dei esset, formam* tamen *servi accepit in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*, ut nos docet Apostolus; (z) non est, me judice, alio modo figurandus, nisi sub illa quam intimè sibi copulavit, formâ servi, hoc est hominis. Cùm verò Spiritus Sanctus depingendus venit, non alia specie pingendus est, nisi illa qua in Jordane nimirum apparuit, quamque docet divinus textus illis verbis: (a) *Et descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum.* Atque ita rectè pingitur in cœnaculo Ierosolymitano, cùm super Apostolos venit, adjecta ignearum linguarum congerie.

(x) Dan. 7. 10.

(y) Ibid v. 9.

(z) Ad Philip. 3.

(a) Luc. 3. 22.

8 Ex his non obscurè constat, qua ratione depingenda sit, ubi res exposcat, Sanctissima Trias. Sed antequam id expressius proponamus, errores aliqui, & quidem intolerabiles, eliminandi sunt. Iam supra meminimus (*) absurdę prorsus ac monstrosę Imaginis Trinitatis, ut pessimi pictores volunt, sacratissimæ; in qua uno vultu complectuntur tres nares, tria menta, tres quoque frontes, & quinque oculos. Non imaginem hanc dixeris, sed monstrum horrendum, informe, nullis non diris devovendum. Sed audiamus virum & doctrina & dignitate præstantissimum hac de re docte & eruditè disserentem: (b) *Nec tolerandum est*, inquit, *quod pictores audent ex capite suo confingere imagines Trinitatis; ut cùm pingunt unum hominem cum tribus faciebus, vel unum hominem cum duobus capitibus, & in medio eorum columbam. Hæc enim monstra quædam videntur, & magis offendunt deformitate sua, quàm juvent similitudine. Unde etiam Ministri Hungarici in suo Opere contra Trinitatem lib. 1. cap. 4. collegerunt multas formas imaginum Trinitatis, & eas tamquam monstra*

(*) Lib. 1. c. 7. n. 2.

(b) Card. Bellarm. t. 1. Controv. l. 2. cap. 8. p. 1515.

quędam accuratè depicta ridenda proponunt : easque vocant Cerberos , Geryones , Ianos trifrontes , monstra & idola: quibus certè occasionem blasfemandi pictores nostri dederunt. Hucusque laudatus & purpuratus Author. Aliam tamen alicubi conspeximus pingendæ Sanctissimæ Trinitatis rationem; hanc scilicet : Depingebantur in tabula tres viri perquàm simillimis faciebus,æquali prorsus statura,& ęqualibus atque omnino similibus coloribus , vestibus ac lineamentis. Non quidem hoc tam absurdè , sed tamen non omnino rectè. Etsi enim hac ratione servetur repræsentatio æqualitatis , & coæternitatis Divinarum Personarum ; deficit tamen character uniuscujusque & notio , ut ita loquamur , Divinę Personæ : præterquamquod in his rebus , quæ sunt dignitate sua gravissimæ , vitanda & fugienda est omnis & quæcumque novitas.

9 Quare , quod ex hucusque dictis satis superque constat , cùm depingenda veniat Sanctissima Trias, pingendus est Pater , senis gravissimi specie atque habitu ; Filius humana forma , & quidem cum quinque in manibus , pedibus , & latere pretiosorum vulnerum stigmatibus : quæ,ut piè juxtà atque eleganter scripsit Ambrosius, (c) ipse Dominus *suscepta pro nobis in cœlo inferre maluit , abolere noluit ; ut Deo Patri nostræ pretia libertatis ostenderet.* Et tamdem Spiritus Sanctus inter utrumque medium , sub purioris columbæ , ut supra diximus, specie. Et hoc modo perplures vidimus, & laudavimus descriptas Sacratissimę Triados Imagines : hoc tantùm observato discrimine , quòd in earum aliquibus uterque , Pater scilicet & Filius , sceptrum gerentes describuntur: neque id ineptè ; denotat enim hoc æqualem prorsus in utroque majestatem atque potentiam , cujus sceptrum apertè symbolum est : in aliis verò solus Pater sceptrum manu præfert ; Filius autem, &, quod idem est,Redemptor & Servator noster Iesus Christus, Crucem ostentat atque amplectitur, in qua verè,ut in hymno canitur, *regnavit à ligno Deus.* In utroque autem figurandi modo idem Dominus & Servator noster Iesus Christus pingitur sedens ad dexteram Patris, & quidem rectissimè : hoc enim apertè docet Symbolum Fidei , præeunte Scriptura tàm pluribus locis , ut eos hic transcribere supervacaneum meritò videatur. (d) Qua verò ratione id intelligendum veniat , pueri ipsi norunt in rudimentis Christianæ doctrinæ probè instituti : neque enim locus relinquitur rudiori alicui , ut propterea Patrem inferioris dignitatis qua Filius est quoquo modo autumet ; propterea quod inferioris quodammodo dignitatis existimetur is , qui à sinistro alterius latere collocatur : non enim in Divinis ita contingit. Non superioritas ulla colligitur , sed æqualitas tantummodo demonstratur. Præclarè & eleganter ut omnia Chrysologus: (e) *Ordo ibi divinus est , non humanus; sic à dextris Filius sedet , ut Pater non sedeat à sinistris.*

(c) Ambr. l. 1. Comment. in Luc. cap. 24. ante fin.

(e) P. Chrysolog. [serm.] 58. prope fin.

10 Imaginationi autem huic, quantumlibet ægræ atque infirmæ, nullum locum relinquit pictura alia, & quidem laudanda , Trinitatis Sanctissimæ , quam sæpius conspeximus, & quæ hic, domi scilicet nostrę, in aula quadam , quæ , quòd in eadem ante commune prandium fundatur precatio pro defunctis , *aula De profundis* vulgò audit, ab eleganti manu depicta conspicitur. * Pingitur enim Pater sub gravissimi venerandique senis specie , utraque ulna sustinentis emortuum Christi Domini corpus; utrique autem insidens Spiritus Sanctus sub puræ , & radios undequaque emittentis specie , columbæ. Quæ omnia etsi apertè improbet harum rerum Author satis pius atque eruditus , (f) ego tamen censeo & pietatem spirare , & congruam eruditionem ostendere. Nam in primis, quod ait , Imaginem hanc insuetam atque planè novam esse in Ecclesia, fallitur : præsertim si de Imagine hac , quam retulimus , de qua rursus statim nonnihil dicemus , sermo fiat. Videtur enim & conspicitur sæpè ; & nisi nimium fallimur , egomet observavi ab antiqua peritiorique manu descriptam ; non quidem ut de Antuerpiensi , quemadmodum eam Molanus describit ; sed de ea , de qua nuper diximus , ubi Pater ęternus emortuum Christi Domini Unigenitique sui corpus , quod veluti mortis languorem referens , genibus super Angelorum capita requiescit , manibus sub brachiorum axillis fulcit atque sustinet ; imò quodammodo in ostensionem charitatis & amoris sui erga mortales , ipsis videtur commonstrare atque

* P. Ob[...] gon.

(f) Io[an.] Molan. [...] 4. c. [...]

atque ostendere. Deinde, quòd non legatur apparuisse alicui Christum Dominum mortuum, leve est: Quippe quid, rogo, majus reputari debet; an quòd Christus alicui apparuerit mortuus; an quòd revera mortuus sit, planeque extiterit? Et sanè virum Theologum movere non debuit tam exile momentum; cùm, ut ipse monuit, Personam, seu (ut Scholastico more loquamur) Personalitatem Verbi æquè constet unitam mansisse ejusdem Christi corpori, ac separatæ animæ: sicut unita fuit atque nunc est toti composito. Cur autem in hujusmodi picturis (ne hoc omnino intactum relinquamus) radiorum consuetum diadema, quod æterni Patris capiti apponitur, non in modum circuli, sed in modum Trianguli æquilateri, atque adeò etiam æquianguli depingatur: illa fortasse causa est, aut esse potest (res enim mihi non planè liquet) quòd hujusmodi triangulus totam quodammodo obumbrat Trinitatem, cujus ipse Pater æternus fons primordialis & origo est; utpote à quo Filius procedit, sicut Spiritus Sanctus ab utroque. Atque hæc de Dei Optimi Maximi Imaginibus, quod ad rem nostram attinet, dicta sint satis.

CAPUT IV.

DE SANCTORUM ANGELORUM IN COMMUNI Imaginibus: & qui errores circa eosdem pingendos occurrant.

1 Celebris, si quæ res alia, sententia est viri venerabilis & orthodoxi, Joannis Episcopi Thessalonicensis; cujus liber perlectus est in Synodo Generali septima, quæ est Nicœna secunda, Act. 5. (a) ubi, quod ad Angelos attinet, eorumque venerandas Imagines, hęc habentur, quę quamquam satis nota; tamen quia non omnibus pervia, transcribere hic non gravabimur: *Sanctus dixit*: „ De Angelis „ & Archangelis, & eorum potestatibus, quibus & nostras animas adjungo, ipsa Catholica Ecclesia sic „ sentit: esse quidem intelligibiles, „ sed non omnino corporis expertes, „ & invisibiles, ut vos Gentiles dicitis; verùm tenui corpore præditos, „ & aëreo sive igneo, ut scriptum est, „ Qui facit Angelos suos spiritus, & „ ministros ejus ignem urentem. Sic „ autem multos Sanctorum Patrum „ sensisse cognovimus, quorum est „ Basilius cognomento Magnus, & „ beatus Athanasius, & Methodius, „ & qui stant ab illis. Solummodo autem Deus incorporeus & informabilis: intelligibiles autem creaturæ „ nequidquam ex toto sunt incorporeæ, atque imitabiles picturæ existunt. Quare etiam in loco existunt, „ & circumferentiam habent. Quamquam autem non sunt ut nos corporei, utpote ex quatuor elementis, & crassa illa materia: nemo tamen vel Angelos, vel Dœmones, „ vel animas dixerit incorporeas; multoties enim in proprio corpore visi „ sunt, sed ab illis in quibus Dominus oculos aperuit. Nos igitur non „ ut Deum, sed ut creaturas intelligibiles, & ministros Dei; non tamen ut verè incorporeos pingimus „ & colimus. Quod autem forma hominis pingatur, in causa est, quòd „ in ea visi sunt, si quando ministerium Dei apud homines obierunt. Hucusque laudatus Joannes Præsul Thessalonicensis.

(a) Anno Chr. 783.

2 Videtur autem, subdit præclarus Author Illustrissimus Fr. Bartholomæus de Carranza Miranda (quem honoris causâ nomino) non improbasse Concilium sententiam prædicti Patris, sed magis approbasse eamdem; dixit enim Tharasius Patriarcha: *Ostendit Pater, quod & Angelos pingere oporteat, quando circumscribi possunt, & ut homines apparuerunt.* Cui expositioni Synodus unanimi consensu respondit: *Etiam Domine.* Multa in præjactis verbis includuntur, de quibus operosius disquirere non est præsentis instituti. Illud modò sufficiat, quod graves annotarunt Theologi

logi; scilicet non omnia & singula, quæ vel in Oecumenicis Conciliis proponuntur, disseruntur, allegantur ab ipsis etiam Concilii Patribus, cadere sub decisione atque definitione Concilii. Quinimò pleraque dicuntur (neque enim hoc dissimulare volumus) tantummodò topica & probabilia, alia etiam falsa, & quæ ad rem non pertinent, & quibus proinde non innititur decisio & definitio Concilii, quæ præcipuè pendet à semper veneranda, quamquam non miraculoso modo facta, motione & inspiratione Spiritus sancti. Rei igitur nostræ insistentes, id seriò dicimus: Nicænam Synodum secundam minime approbasse verba Ioannis Præsulis Thessalonicensis; cùm inter illa pleraque reperiantur omnino à veritate, rectoque sensu aliena: sed solùm ea definivisse in hac re, de qua agimus, quæ proposita fuerunt à Tharasio Patriarcha, quòd Angelos pingere liceat & oporteat. Videatur magni judicii Theologus Pater Gabriel Vazquez in suo erudito opere *de Cultu, & Adoratione*, (b) Bubalus, (c) Patres Salmanticenses, (d) Sapientissimus & Reverendissimus Magister Fr. Franciscus Zumel, qui de Angelis, siquis alius, copiosè, acutè, atque eruditè disseruit: Temperare verò mihi non possum, quin hìc allegem virum doctissimum amicum nostrum Rev. Mag. Fr. Emmanuelem Navarrum Tom. Prolegomenon de Angelis. (e)

(b) Lib. 2. disp. 3. c. 5. à n. 60.
(c) Ad q. 50. 1. p. quæsit. 3. diffic. 1.
(d) Tom. 2. tract. 7. disp. 1. dub. 1.
(e) Proleg. 5. à n. LXI.

3 In prędicto autem Concilii loco, seu potius & verius, in verbis Ioannis Thessalonicensis, in ipso Concilio perlectis recitatisque, hoc ipsum quod nuper dicebamus, apertè contigisse, nulli homini qui Theologus audiat, dubium est, aut esse poterit. Quamvis enim Angelos omninò expertes esse corporum, sive quæ sint magis crassa & concreta, ut sunt nostra; sive tenuia magis & subtilia, quod Græci vocant λεπτά, non sit immediatè Fidei dogma, ut periti Theologi docent; & meritò, cùm (ut innumeros alios mittamus) ipse Magnus Parens Augustinus, non solùm de hac re dubitaverit, sed illi oppositam & contrariam, non uno in loco, apertè statuerit: (f) Tamen post exploratam majori acumine atque conamine veritatem (quod præcipuè præstitit Doctor Angelicus; (g) & qui illum postmodum sunt sequuti) eadem conclusio de incorporeitate Angelorum & immunitate ab omni corporali materia, adeò firma est, & inconcussis rationibus & authoritatibus fulta; ut illi opposita meritò censeatur erronea.

(f) Epist. 115. ad Nebri. & lib de Eccles. Dog. cap. 11. & 12.
(g) Div. Thom. 1. p. q. 50.

4 Solida ergo & nulli dubitanda ratio (propter quam elucidandam hæc paucula præmisimus) cur Angelos pingere liceat & oporteat, & quidem sub hominum virorum, aut juvenum specie; ea est, quòd sæpius dum hominibus apparuerunt, sub hac specie conspecti sunt: ut proinde nihil frequentius sit, quàm eosdem hac eadem prę sertim figura, modestissimorum quidem, sed elegantium puerorum aut juvenum videre depictos. Quod autem sub hac forma, quam diximus, frequentissimè apparuerint Angeli, nemo est qui nesciat: cùm haud rarò sacra Scriptura hujus rei locuples sit testis. Angeli enim, qui destructuri nefarias urbes Lot apparuerunt, sub hac specie conspecti sunt, non solùm ipsi Lot, sed & urbis incolis: neque id obscurè colligitur, ex eo quod flagitiosi cives, teterrimi sceleris cupidine flagrantes, abuti illis per summum dedecus voluerunt, dixeruntque Lot; (h) *Ubi sunt viri, qui introierunt ad te nocte? Educ illos huc, ut cognoscamus eos.* Juvenes igitur sceleratis hominibus visi sunt, & quidem non inelegantes. Quæ res aliis pluribus, tum sacræ Scripturæ, tum etiam Ecclesiasticæ historiæ locis abundè confirmari potest: sed notior est, quàm ut in ea illustranda diutius immorari oporteat.

(h) Ge[n.] 19. 5.

5 Quo posito & præjacto; errores qui circa pingendos Angelos occurrere possunt, aut solent, majori ex parte ad communes locos reducuntur. Quod enim ut pueri grandiusculi decennes, aut fermè omnino nudi proponantur, abusus est, quem jam supra suo loco carpsimus, agentes de nuditate corporum in sacris Imaginibus: (i) Idemque ferè dicimus, cùm jam majores adolescentes depinguntur toto ferè femore discooperti: has enim (ut artificibus videtur) picturę elegantias, ut non satis congruentes cum Christiana gravitate modestiaque, meritò respuimus. Quod verò decoro adspectu, flavoque ac decenter intorto capillitio proponantur, erroris damnare non possumus: cùm

(i) Lib. [illegible] c. 5. n. [illegible]

cùm ejusmodi adumbrationibus, eorumdem perfectionem, numquamque senescentis naturæ decus, quantum humano more fieri potest, neque absurdè, neque ineptè periti artifices humanis adspectibus objiciant. Neque aliquem moveat quod elegans & eruditus Scriptor hujusmodi Sanctorum Angelorum Imagines improbare visus sit, illis verbis: (K) *Noli tales tibi fingere Angelos, quales fortè apud Pictores & Poëtas sæpè vidisti, quibus vultus admirabili fulgore circumfusus, crines in cervicem molliter effusi auro obryzo flavescunt, & lactei colli nitorem blandissimo favoniorum spiritu ventilati percurrunt. Quibus alæ ex humeris emergunt geminæ, in cælesti textrina concinnatæ, florida viriditate, qualis in pavonibus esse solet irradiatæ: aureo, croceo, puniceo, cœruleo denique colore miti admodum temperie variatę, tot referunt spectantibus pigmenta, quot in arcu cælesti cum voluptate miramur: tunica deinde byssina est, quam subtilis denticulati operis, limbus circumquaque excurrens magna vestit cum dignitate.* Non, inquam, hæc moveant: nam præterquamquod hæc dissertissimi Authoris artificiosa & plusquam graphica descriptio id potius intendisse videatur, ut Angeli eleganter descripti vivis eloquentiæ coloribus iconem ipsis legentium oculis subjiceret, quàm ut cogitatum aliunde pium atque eruditum, hanc occasionem nactus, amoliretur: siqua vis hujus moniti ac verborum est, in id præcisè tendit, ut nemo seriò concipiat, sibique persuadeat Angelos reipsa tales esse, quales hìc, aut in tabula depinguntur: neque existimet, ita à Deo conditos & creatos esse, ut exhibentur à pictoribus; cum interim nihil vetet, eosdem decenter atque aptè imaginare atque concipere. Ita Authorem ipsum explicat alius ejusdem Societatis eruditus in primis Author. (l) Sanè ejusdem Instituti purpuratus Scriptor, nedum ita concipit, sed sic contigisse confirmat; loquens de Archangelo Gabriele, verbis illis perquàm elegantibus: (m) *Pulcherrimi atque splendidissimi juvenis formam imitatus est, sed habitu quodam & specie augustiore, quàm ceteri homines videri solent; ut facile posset intelligi aliquid homine majus & præstantius in eo corpore latere, neque hominem mortalem, sed Angelum cœlestem advenisse.* Ex quibus omnibus satis liquet, aptè atque congruenti decore pingi Angelos, tamquam pulcros alatosque juvenes; nullique errori obnoxium fore consuetum nunc atque receptum pingendi morem.

(K) P. Nicol. Caussin. Eloq. Sacræ, & prof. lib. 14. c. 2.

(l) P. Luisius de la Cerda, de excellẽtia cælestium Spirituũ, c. 47. n. 8.

(m) Card. Bellarm. Cõc. 2. super Missus est.

6 Alatos, inquam, sive pennatos; ut hìc perstringam magni alioqui viri, & quem vel tantum nominasse laudare est, nempe Michaëlis Angeli, non dicam apertum errorem, sed saltem nimis insolitum insuetumque pingendi modum, quem jam ante expunxit eruditus Italus Joannes Andræas Gillius (n) jam supra laudatus. (o) Is enim, neque immeritò reprehendit prædictum Michaelem, quòd Angelos depingens, juvenes quidem efformaret, sed omninò alis pennisque carentes; quòd diceret (ita quippe mihi retulit vir authoritatis eximiæ, à pictorum peritis passim referri) pennis preditos volare nihil esse mirum: mirum autem est, quòd Angeli volatu celerrimo ad Dei mandata perficienda ferantur, nullis alis pennisvè preditos. Sed hoc, pace dixerim tanti viri, Artificisque summi inter paucos, ineptum est, cùm de rebus agitur quas pictura objicit, non nudo intellectui, sed oculis. Quotus enim quisque est qui ignoret Angelos, incorporeas nempe substantias, corporeas alas, plumasvè habere nullas? Sed quâ alia ulla commodiori via patefiet intuentium oculis Angelorum agilitas mobilitasque, quàm si alati pennatique proponantur? Nihil hoc frequentius, nihil sublimioribus ingeniis usitatius, quàm ut figuris, & rebus etiam inanimatis atque insensibilibus pennas addere, cùm significari intenditur earum rerum velocitas atque pernicitas. Atque ut exordiamur à Fabulis, in quibus tamen haud parum doctrinæ inest ingeniique; Mercurius ille deorum Interpres, Jovisque angelus sive nuntius (hoc enim nihilque aliud nomen Angeli denotare ipsi pueri norunt) alatus describitur à poëtis. Pro quibus omnibus eorum principem audire operæpretium est: inquit enim, de Mercurio sive Hermete loquens: (p)

(n) Dialog. 2.

(o) Lib. 1. c. 6. n. 3.

(p) Virg. Æneid. libr. 4. vers. 240.

Ille

—— Ille patris magni parere parabat
Imperio. Et primum pedibus talaria nectit
Aurea quæ sublimem, sive æquora supra,
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.

Famæ quoque eas tribuit idem Latinus vates loco satis decantato atque eleganti, adeò ut temperare mihi non possim, quin hic illum aliqua saltem ex parte delibem; ita enim habet. (q)

(q) cod.

Fama malum, quo non aliud velocius ullum
Mobilitate viget, viresque adquirit eundo.
Parva metu primo, mox sese attollit in auras;
Ingrediturque solo, & caput inter nubila condit.
Illam terra parens, ira irritata deorum,
Extremam (ut perhibent) Cæo Enceladoque sororem
Progenuit, pedibus celerem, & pernicibus alis,
Monstrum horrendum, ingens: cui quot sunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi subter.

Fulmini etiam, quo velocius nihil est (ut brevius agamus) alas etiam tribuit illis verbis: *Et fulminis ocyor alis.* Sed quid opus pluribus? Homerus, ingeniorum fons, tertio quoque verbo verbis ipsis alas adjungit, quòd mira velocitate ferantur ad illorum, cum quibus colloquimur aures; ipsius enim illa sunt, (r) quæ frequenter repetit.

(r) Iliados a.

καί μιν φωνήσας ἔπεα πτερόεντα προσηύδα.

Id est:
Ipsum affata palam est, & verba volucria dixit.

Sed abire hinc mihi non licet, & certè non libet, quin Italo ingenio ingenium aliud Italum opportunè, ut suspicor, objiciam; quippe quę professione & elegantia non admodum distant. Pictori igitur maximo oppono poetam habendum inter maximos. Torquatus enim Tassus (superum fidem, qualis quantusque vir!) legationem elegantissimè describens Gabrielis Archangeli ad Gofredum regem, sub ipsum fermè magni Operis initium, (s) alas pennasque eidem Legato scitissimè appingit: ea enim sunt verba poetæ eruditissimi.

(s) T... Tass. sua ... sol... cant. stan.

Ali bianche vesti, c'han d'or le cime
Infaticabilmente agili, e preste.
Fende i venti, e le nubi, e và sublime
Soura la terra, e soura il mar con queste.
Così vestito indirizzossi à l'ime
Parti del mondo il Messaggier celeste.
Pria sul Libano monte ei si ritenne,
E si librò sù l' adeguate penne.

Quæ Latinè non vertimus, veriti ne styli ruditas multum detrahat Italicæ phrasis concinnitati atque elegantiæ.

7. Verùm hæc ab humanis petita sensibus, alicui nimis humana, imò profana etiam videbuntur. Estò quidem. Sed quia de re nimis sacra agitur, veniamus, si lubet, ad sacra. In sacris literis Seraphim ac Cherubim, sive (vt Latino more loquamur) Seraphinorum & Cherubinorum frequens est mentio. Hi verò quo habitu, quovè ornatu visi sunt ab hominibus, quibus Deus Opt. Max. voluit hęc suis aspectibus repręsentari? Certè alati pennatique semper conspecti sunt, alasque gerentes, non binas tantùm, sed vel quaternas, ut nonnulli volunt, vel senas, ut sacer ipse textus loquitur; quod hic multis illustrare non pergimus, quia de eo futmus pluscula fortasse dicturi. (t) Quin non alarum & pennarum solum, sed volatus etiam, ad quem alæ pertinent, plana atque disserta mentio est. Ita enim sacer textus habet: (u) *Et volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus.* Quin & in Ioannis Apo-

(t) cap.

(u)

Apocalypsi, cùm mulier illa creberrime à Sacris Concionatoribus decantata coronata stellis, & amicta sole describitur, illud adjungitur, quod mirè ad rem facit, nempe: (x) *Et datæ sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ ut volaret in desertum.* Incongruam rem, innuente scriptura, fore volatum, in quo, vel ad quem alæ non essent desumptæ. Insuper (neque enim hoc intactum volumus relinqui) ipsos Angelos volucres appellari avesque, adstruunt nonnulli Ecclesiæ Patres, authoresque non infimi. Ad illud enim Apocalypsis, (y) *Et vidi unum Angelum stantem in sole, & clamavit voce magna, dicens omnibus avibus quæ volabant per medium cæli,* Andræas Cappadociæ Episcopus Angelos asserit appellatos *volucres cæli*; rationemque reddit non incongruam: *Quod* nempe *sublimes, & inter cælum terramque volitent, seseque ad nostram instructionem subinde demittant.* Quâ in re Thomas à Cantimprato non injucundam neque inverosimilem narrat historiam. (z) Quamdam enim feminam virtute patientiaque venerabilem avis quædam miræ pulcritudinis atque decoris dulcissimis&ineffabilibus vocibus annisante obitum pluscülis,quibus ægra in lectulo decubuit,solabatur.*Cumque* (subdit idem pius Author) *quæsivissem ab ea, cuius avis voces imitari illa volucris videretur? Nihil, respondit illa, in terris est cui comparetur. Neque solis auribus delector, sed cor quoque gaudet, & inflammor ad vitam æternam. Quid existimem* (concludit hoc referens Author pietatis multæ, lectionisque (a) *de hac ave, nisi esse Angelum?* Maneat igitur, quidquid insignis tentaverit Pictor, Sacros Angelos pennatos alatosque debere depingi.

(x) Ap. 12

(y) Ap. 19 17.

(z) Lib. 2. cap. 25. num. 8.

(a) P. Ioan Ludovic. de la Cerda, De excellent. cœlest. Spirit cap 15. pag. 356.

8 Iam quòd aliquoties sancti Angeli plorantes describantur, lacrymulisque turgentibus oculis, aptè quidem, sapienterque aliquando; & rursus quandoque ineptè, imò & ridiculè fieri potest. Ineptè quidem, si pingatur Angelus plorans ob rem ineptam ac planè ridiculam: ut (quod suprà memoravimus) quando depictus est Angelus plorans ob effractam mensæ paropsidem, aliamvè similem causam. Ineptum quippe hoc, & cuivis cordato judicio ridiculum. Aptè verò atque sapienter idem describi potest, si plorans Angelus proponatur ob rem dignam vel ipsorum Angelorum lacrymis, si harum capaces existerent; cujusmodi est Christi Domini Passionis acerbitas. Ibi enim haud rarò Angeli depinguntur vultu tristi, lacrymisque manantibus: & hoc à piis neque ineruditis pictoribus persæpè factum est: neque id immeritò. Quamquam enim non hac pingendi ratione detur intelligi, Beatos illos Spiritus, qui inenarrabilibus deliciis assueti, perenni semper gaudiorum fonte potantur, his humanę imbecillitatis passionibus subjacere, ut mœstitia afficiantur, opprimanturvè, quæ in nobis eliceret lacrymas: demonstratur tamen, & quidem non incongrue, rei ipsius atque materiæ acerbitas, quę vel ipsos cœlestes spiritus profundè tangeret, eorumque oculos, siquos haberent, solveret in lacrymas, tenero ac tremendo spectaculo debitas, ac planè meritissimas. Certè de Angelis ipsis, ut placet gravissimis Authoribus, loquens Isaias, illa habet: (b) *Ecce videntes clamabunt foris, angeli pacis amarè flebunt.* Quod quidem ad hunc nostrum modum intelligunt viri doctissimi.(c) Sed nil opus multis. Sanctus Hieronymus per Angelos pacis accipit Angelos præsides Templi Salomonis, qui modo quo poterant doluerunt,eoquòd viderent templum ipsum esse jamjam tantæ cladi atque eversioni obnoxium & subjectum. Unde instante excidio Jerosymitano fertur auditam esse vocem inclamantem *Migremus hinc*, scilicet è templo jamjam evertendo. Præterea Angeli flere dicuntur, & quidem amarè, eò quòd nos ad compunctionem, dolorem, & pœnitentiam provocent,non solùm suis illustrationibus,& quandoque verbis, sed suo etiam ipsorum quodammodo exemplo.Ita enim accipit hunc locum non inelegans neque ineruditus Commentator Libri Iudicum, (d) cap. 2. ad illa verba versus 4.*Cum colloqueretur Angelus Domini... elevaverunt ipsi vocem suam, & fleverunt.* Quod infra, agentes de Angelis Custodibus, nonnullis aliis adjectis, fortassis illustrabimus.

(b) Is. 33.7.

(c) Vide Ariā Montan. &Foreriū hic.

(d) P. Ioan Freyre.

9 Interim illud monere non abs re neque importunè cogimur: quod nempè sæpius depinguntur Sacri Angeli omni radiorum fulgore & splendore orbatos.In quo si non omnino erroris, negligentiæ tamen aliquod vitium est. Certè quidem Apostolus de æternæ caligini tenebrisque damnato

Angelo, eiusque illusoriis artibus loquens, (e) *Ipse enim Satanas*, inquit, *transfigurat se in Angelum lucis.* Quasi scilicet nullus alius proprior sit Beatorum Angelorum character, germanaque (ut sic dicamus) nota, quàm lux & splendor, ut ad hunc locum habent Interpretes & Patres. (f) Quod aliunde evidentissime firmat historia. Cum enim Angelus liberaturus Petrum Apostolum à vinculis, ingressus est carcerem; (g) *Et ecce*, inquit sacer Historiographus, *Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo.* Quę res in mentem mihi revocat id quod refertur in Actis martyrii Beatæ Virginis Cæcilię: hæc enim cùm Valeriano sponso denunciasset esse se in Angeli custodia, illeque data fide promisisset, se in Christum crediturum, si eum Angelum videret; voti tamdem compos factus, post susceptum Baptisma, *Ad Cęciliam* (inquit gestorum lectio) *reversus, orantem & cum ea Angelum divino splendore fulgentem invenit.* Quod rursus aliunde uberrime confirmari poterat. Sed nimius essem, si singula percurrerem. Dicta satis sint, ut facilè probetur depingi Angelos oportere, saltem quod ad vultus majestatem attinet, splendidos atque radiantes. Atque hæc quidem universim de Angelis annotasse sufficiat, quę postmodum ex dicendis fortè amplius elucidabuntur. Nunc ad magis specialia gradum facimus.

(e) 2. Cor. 11. 14.

(f) Corn. ad hunc loc.

(g) Actor. 12. 7.

CAPUT V.

DE PICTURIS SERAPHINORUM AC CHERUBInorum: & qui errores circa hos depingendos irrepere possint.

1 

Nimis olent lucernam Grammaticam, quæ vir alioqui magnus annotavit, (a) explicare intendens illa verba *Beata Seraphim*, quæ sacratissimus Ecclesiæ liber habet in Præfatione ipsa Divini Mysterii. Quamobrem ab illis abstinemus, consultòque in titulo uti voluimus vocibus Seraphinorum & Cherubinorum: non quòd ignoremus illud *Seraphim* in Lingua Sancta plurale nomen esse, à verbo שרף *Saraph*, quod habet in singulari idem Benoni, sive Participium, à quo fit in plurali *Seraphim*, quod idem omnino significat atque *igniti.* Non, inquã, quòd hęc, quæ certè muneris nostri partes sunt, ignoremus: sed quia auribus Latinis loquentes, Latinis & jam usu receptis vocibus, quales certe sunt *Seraphini ac Cherubini* uti convenientius est. De his verò si (quod ad eorum picturam attinet) plenior instituenda esset disputatio, nostri moris atque instituti modũ excederet. Itaque qui his delectetur, aut ea operosius discussa scire aveat, alios consulat necesse est, quos hoc in loco indigitabimus; quippe qui de re hac pertractantes impleverint grãdium voluminum paginas. Igitur perstrictim tantummodo ea attingemus, quæ non omnino ignorasse convenit, aut quæ magis prę oculis habere operæpretium est. Ac de Seraphinis prius instituendus est sermo.

(a) D. Laurent. Ramirez de Prado in Pentecôt. cap. 6. vel quisquis est hujus libri Author; doctis enim non satis constat.

2 Seraphinos, de quibus tantummodo in tota sacra pagina apud Isaiæ Prophetiam mentio disserta est, ita describit sacer textus loco satis pervulgato, illis verbis: (b) *Seraphim stabant super illud: sex alæ uni, & sex alę alteri: duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* In qua quidem re, illud præsupposito quod mihi saltem certius apparet, nempe quod illa dictio *Super illud*, potius quàm ad templum, referatur ad solium; nonnulla hic quæri solent, quorum ignoratio errorem parere posset in his Seraphinorum imaginibus depingendis. Primum est: An in illis senæ omnino alæ depingendæ sint; an vero quatuor tantùm, adjunctis brachiis? In qua re doctissimi Patres Pradus & Villalpandus (c) censuerunt, quatuor tantumdem alas depingendas esse, adjunctis brachiis, quę alarum nomine vocari atque appellari, non tantum apud ipsam sacram Scripturam, sed etiam apud Latinos quosque probatos, productis testimoniis firmare contendunt.

(b) Isa. 6. 2.

(c) Ad c. 1. Ezech. 6. v. 1.

dunt. Verùm hoc (quod magnorum virorum pace atque venia dictum sit) idem, meâ quidem sententiâ, est atque illud quod proverbio jactatur Nodum in scirpo quærere. Cùm enim Divinus Textus tam dissertè asserat, *Sex alæ uni, & sex alæ alteri*; nihil videtur esse quod cogat asserere, alarum loco poni brachia. Itaque cum doctissimis aliis Authoribus statuo, (d) sex omnino alas singuli Seraphinorum esse tribuendas. Quomodò verò, & quo ordine sint affigendæ, ex iisdem commodè peti potest: hoc est, quòd unicuique ex superiori humerorum parte quatuor alæ innascantur; ex quibus duæ serviant ad operiendam, non quidem omnino, sed aliquatenus (ut iidem docti Authores observant) suam ipsorum faciem. Rursus verò ex superiori parte femorum una in unoquoque femore emergat ala, quibus (ambabus nempe) interiores partes corporis obtegantur. Quæ mihi memoranti, ac de Seraphicis spiritibus agenti commodum occurrit Seraphici Patris Divi Francisci eximia visio, quam eleganter descriptam reliquit Sanctus Bonaventura, Doctor item Seraphicus. Quippe agens de cælesti visione, quam vir sanctissimus omnique laude maior habuit, cùm Christus Dominus vulnerum suorum stigmata, velut amico cum primis charo selectoque, concessit; vidisse ait *Quasi speciem unius Seraphim sex alas tam fulgidas, quàm ignitas habentem, de cœlorum sublimitate descendere.* Et nonnullis interjectis, de alis ipsis sermonem instituens, *Alas verò*, inquit, *sic miro modo binc inde dispositas, ut duas supra caput erigeret, duas ad volandum extenderet; duabus verò reliquis totum corpus circumplectendo velaret.* Quo ut nihil magis pium est, ita ad rem nostram dici nihil potuit aut dissertius aut elegantius.

(d) Vid. P. Alc. in Apoc. ad c. 4. v. 6. sect. 5. p. 383. & p. 389. c. 1.

3 Secundum quod hic quæri solet, aut certè potest, illud est, An præter sex alas, quibus prædicti in Isaiæ visione pinguntur Seraphim, debeant etiam cum brachiis & manibus depingi? Facilis quæsito responsio est, si quæ in ipsa visione statim subjunguntur, non oscitanter lecta perpendantur. Ita enim habet: (e) *Et volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus.* Ubi vides quòd post enumeratas alas, manus, & consequenter brachia adjunguntur. Addo hic, quod in ipsa visione Seraphica, cujus nuper meminimus, manus dissertè tribuuntur Seraphino ili, qui, referente Scriptore Seraphico: *Non solùm alatus, sed & crucifixus apparuit: manus quidem & pedes habens extensos, & cruci affixos, alas verò, &c.* Quare hunc depingendi modum probant Scriptores gravissimi, (f) quibus alii communiter suffragantur. Humano verò vultu apparuisse prædictos, ita mihi certum est, ut vix aut ne vix quidem de eo dubitare cordatus lector possit, quidquid alii subtilius & aliquando non satis utiliter disquirant. Qui verò in his immorari diutius velit, aut eadem perlegere operosius discussa, Authores legat in hoc ipso capite allegatos. Iā enim hæc nonnihil à nostro scopo atque instituto exerrant atque divagantur.

(e) Is. 6. 6

(f) Prad. & Villalp. sup. Ezeq sect. 6. t. 1

4 Circa Cherubinos verò depingendos, hæc summatim, quod magis ad rem nostram attinet, dicenda sese offerunt: Duplici in Scriptura loco eosdem apparere descriptos, nempe in Mosaico Tabernaculo, & in Templo Salomonico. Utrosque autem fuisse omnino similes, aut utrorumque figuram aut sculpturam, bene probat eruditus Author. (h) Illud solùm inter utrosque interest, quòd Mosaici Tabernaculi Cherubini, minores multò erant, quàm Salomonis: quòd facile constabit illis qui utrorumque mensuram expenderint. Utrosque autem figura humana completaque constitisse, dissertè patet illis verbis: (i) *In similitudinem hominis stantis.* Horum autem Cherubinorum figura erat eadem prorsus atque ea quæ fuit illorum, qui expansis alis, protegebant Arcam. Quo supposito, error expungendus est magni alioqui viri, quem non impugnandum susciperem, nisi præ illo potior esset nobis & semper magis amica veritas. Etenim Benedictus Arias Montanus in Apparatu Bibliorum, sequutus Rabbinorum aliquot doctissimos, sibi persuasit, Cherubinos Templi insculptos esse notata sexus diversitate, ut unus pueri, alter puellæ effigiem oculis objecerit. Quæ imaginatio viris doctissimis jampridem displicuit, (j) neque mihi placebit; etsi non propter multa quæ ibi non importunè congerunt, saltem ob insolentiam rei & novitatem, quæ non

(h) Alc. in Apoc. ad vers. 7. notat. 8.

(i) 3 Reg. 7. v. 36.

(j) Prad. & Villalp. sup. Ezeq t. 1. sect. 5 p. 36. Alc. in Apoc. c. 4. v. 7. notat. 8. p 385.

non nisi gravissimo, & evidenter ex Scriptura fundamento deducto, deberet commendari literarum monumentis.

5 Quod verò attinet ad Cherubinos Templi (quod idem intelligendum venit de Cherubinis Tabernaculi) unum quidem certum est, & extra dubitationis aleam; hoc est non fuisse descriptos, neque describendos unquam esse indutos talaribus tunicis, & zonis præcinctos, quod nostrates pictores faciunt: *Decentius illi quidem* (verba audis Authorum nobilium K) *sed non secundum veritatem. Nihil enim tale in sacris reperias; imò oppositum.* Igitur hic de tunicatis Cherubinis Templi velut error abigendus est. An autem omnino nudi fuerint depicti, aut sint depingendi, ex illa quæstione dependet, an scilicet Cherubini Templi, aut Tabernaculi habuerint plures quàm duas alas. Censuerunt Authores aliqui, quos sæpè hic allegamus, habuisse quatuor: duas, quibus Arcam protegerent, duas verò alas, quibus corpus ad nuditatem propulsandam obnuberent. Ceterùm hæc opinio aliis non inferioris notæ viris, qui rem exactè pensitarunt, meritò displicuit: (l) tum quòd de ea re ne verbum quidem extat in tota sacra Scriptura; cùm sanè debuisset esse quam clarissimè expressa, cùm Cherubinorum fabrica Moysi præcipiebatur: Tum quòd opinatio statuens cuilibet ex Cherubinis quatuor alas, nuperum omninoque recens est inventum ab iis doctoribus excogitatum; ut proinde quicumque ante illos Cherubinorum Imagines aut stylo aut penicillo depinxit, tantùm cum geminis alis illos descripserit. Tum denique, quòd finis ob quem aliæ duæ pennæ Cherubinis sunt atributæ, hoc est, ut corpus decenter obvelarent, ne in Sacratissimo Templi recessu nuditas spectaretur; non adeò urgens est, ut propter illum à recta liceat notione discedere.

(K) Prad. ubi supr.

(l) Alc. in Apoc. c. 4 v. 7. & 8. notat. 8.

6 Igitur assero, Cherubinos Tabernaculi Mosaici, & Templi Salomonici nudos omnino fuisse, nudosque omnino, cùm res exposcat, fore depingendos. Sed ut res clarior fiat, id præmoneo: de illis me Cherubinis sermonem instituere, qui in ipso sacratissimo recessu Templi locati erant, Arcamque expansis largiter alis obvelabant. Nam de ceteris, qui aliis in locis Templi ipsius, in eiusdemque parietibus erant descripti, aliter fortasse sentiendum esse, non nimis inficior. Moveor ad hoc ea ratione, quòd Cherubini illi nulli ferè hominum patebant, cùm in Sacratissimo recessu servarentur, qui ob loci sanctitatem dictus est ab Hebræis *Sancta Sanctorum*; quem in locum non nisi Sacerdoti summo, idque semel tantùm in anno, licebat ingredi; & cùm aliunde locus tantis fumigationibus vaporibusque odoriferis oppleretur, cùm id contingebat; nihil absurdi relinquitur in eo quod prædicti Cherubini nudi omnino describerentur, neque rursus ut sic describantur, si quando eos describi contigerit; presertim cùm, ut alibi docuimus, ut omnis turpitudo amoveatur, certa quadam proportione atque aptatione nudorum corporum pertineat ad industriam, dexteritatemque pictoris. Assero rursus, eosdem Cherubinos, quo purius decentiusque efformentur, juvenili, imò parum supra puerilem ætatem specie efformandos, atque pingendos, satis congruum videri. Tametsi enim in Scriptura aliquando vocentur designenturque appellatione viri, satis aliunde constat, hoc nomen non semper ad ætatem referri, sed ad sexum.

7 Hæc verò de Tabernaculi & Templi Cherubinis carptim annotasse sit satis: nam quod spectat ad Cherubinos currus Ezechielis, prolixam & nimis operosam quæstionem continet: quam multis discusserunt tractaveruntque Authores sæpè cum laude hic allegati. Ad quos proinde Lectorem, siquis erit qui his nostris lucubratiunculis operam impendat, consultò remittimus. Agere enim unumquemque sua tantum decet atque oportet, neque ostentandæ (ut non raro videmus) lectionis aut eruditionis gratia vagari, quod proverbio dicitur, extra choros & oleas. Illud tantùm hic subnectam; non incongruum mihi videri, ut Seraphini Cherubinivè, circa Dei thronum, aut sub Incarnati Verbi sacratissimis plantis describantur solâ tantum facie, subjectis alis. Tùm quia hic pingendi modus satis invaluit videntibus, aut etiam omnino approbantibus viris eruditissimis. Tum quia idem

idem in Templo Salomonico quadantenus obtinuit; ubi certe Cherubinorum, imagines per parietes erant sparsę atque depictæ, repræsentatis solummodo faciebus: quæ an humanę essent, an vitulinæ, longius discutere non est præsentis instituti. Tum denique, quia per hunc effigiandi modum & nostris sensibus optime consulitur, & rationi; cùm repræsentato capite, in quo intelligentiæ sedes est, & puerili, quod attinet ad sanctitatem & innocentiam additis alis; non absurdè neque incongruè denotētur, quæ præcipua sunt supernorum spirituum, nempè Intelligentia; Sanctitas, & mira agendi efficacitas ac velocitas.

CAPUT VI.

DE PICTURIS ARCHANGELORUM, PRÆCIPUE Michaëlis, Gabrielis, & Raphaelis: & quæ circa eas observanda.



1 Uamquam novē omnino ordines sint Angelorum, annotatis jam quæ circa Seraphinos Cherubinosque pingendos ex sacris præsertim literis occurrunt; non est cur immoremur in tradenda ratione qua alii ordines sint depingendi: cùm nihil circa hoc constet aut ex Divinis literis, aut ex Patribus, probatisque Authoribus; neque habeatur unquam, an hominibus apparuerint Angeli qui ad Thronorum, Dominationum, aut Principatuum classes spectant. Restat igitur ut nonnulla dicamus circa Archangelos, quos sæpè hominibus apparuisse, res notior atque apertior est, quàm ut hìc multis probari atque ostendi conveniat. Dicemus igitur de Imaginibus trium Archangelorum Michaelis, Gabrielis, Raphaelis: nam quod ad quatuor reliquos spectat, dicemus capite sequenti, quæ magis probabilia rationique consentanea videbuntur.

2 Ducat igitur, ut par est, agmen Archangelus Michael: de cujus dignitate atque excellentia hìc multa congerere non est cordi. Solùm enim in præsentia attinet referre, quibus Imaginibus nostris oculis repræsententur, & quid circa eas, aut annotandum videatur, aut corrigendum. Primo igitur modo depingi solet Archangelus Michael hac specie: obtectus galea, loricaque insuper, scuto armatus aut clypeo, in cujus umbone hæc leguntur QUIS UT DEUS? Insuper & gladium, sæpèque hunc fulmineum, aut hastam vibrans stringensvè in Cacodæmonem ipsius pedibus stratum ac subjectum. Totum hoc rectè, atque ex rationis prescripto. Nam ex Scriptura satis constat Michaelem Archangelum pro Dei gloria atque majestate pugnavisse spiritali nempe & intellectuali pugna; non corporea, quæ nulla est aut esse potest penes Spiritus. Ita enim habet: (a) *Et factum est prælium magnum in cœlo: Michael & Angeli ejus pręliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli ejus: & non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo.* Quam pugnam, aut eam fuisse, aut ad eam evidenter allusisse & respexisse, in qua ab Archangelo Michaele, bonorum Angelorum duce, pugnatum est cum Satana ejusque perduellibus Angelis, communis Patrum & Expositorum sententia est: licèt quod proximè & immediatè ostēditur in illa Revelatione Apocalyptica aliud omnino fortasse sit, de quo hìc non est differendi aut disputandi locus. Videat qui volet sępe nominatū laudatūque Apocalypsis Interpretem. (b) Quare quòd hìc Michael Archangelus armatus repræsentetur, aptissimum est: ejus enim proprium est arma sumere qui bella gerit. Illud insuper quòd in umbone depingatur lemma illud QUIS UT DEUS? apprime cum ratione congruit. Nihil enim aliud præ se fert, quàm ipsius nomen Archangeli: notum est enim vel ipsis pueris Michael, aut, ut magis exprimatur, MI-KA-EL, nihil aliud significare, quàm *Quis ut Deus*? Quo scuto obarmatus celsissimus Princeps adver-

(a) Apoc. 12. 7. 8.

(b) P. Alcazar in Expos. ad hunc loc.

versus Luciferum ejusque perduelles ac rebelles angelos dimicavit. Rursus bene depingitur ipse Lucifer aut Satanas ab eo devictus ejusdem pedibus proculcatus.

3 Illud solum scrupulum movet, quod diabolus omnino sub humana forma pingitur nulla alia nota adjecta fœditatis. Mallem ego, ut sub ferina monstrosaque colubri figura signaretur. Moveor ad hoc, ex eo quod in ipso, quem allegavimus, Scripturæ loco, sub draconis specie describitur: *Michael* enim, inquit, *& Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & angeli eius.* Neque id tantum; sed referens sacer Textus partam à Michaele victoriam, illud habet: (c) *Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus & Satanas.... Et projectus est in terram.* Ex quibus omnibus aliisque non paucis, quæ consultò omittimus, satis constat diabolum sub Michaelis pedibus, sub draconis & colubri specie, congruentius debere depingi. Et illud alicubi neque rarò vidimus expressum, quod ventre tenus depingeretur humana, quamquam horrenti, forma; infra autem in draconem desineret. Quippe satis constat gigantes illos, de quibus poëtæ tot fabulantur, & quos affectasse cæleste regnum canit Ovidius, (d) hac forma consuevisse depingi. Qua de re perplurima hic promptum esset afferre, si liceret rebus à præcipuo instituto nimium aberrantibus implere scripti paginas. Videat is cui vacet, quæ Claudius Minoës congerit ad illud Alciati: (e)

(c) Apoc. 12. 9.

(d) Lib. 1. Metamo. fab. 6.

(e) Embl. 5.

Sic & gigantes terra mater protulit.

Luciferum autem eiusque perduelles angelos fuisse qui non fabulosè sed verè cœleste regnum divinitatemque affectarunt, nemo est qui nesciat, & satis perspicuè docet Scriptura, præcipuè in illis Isaiæ verbis, quæ tametsi contra Regem Babylonis in literali sensu scripta sint; ad altiora tamen significanda dicta esse, communis Patrum atque Interpretum sensus est: illa autem sunt: (f) *Qui dicebas in corde tuo: In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum: sedebo in monte testamenti.*

(f) Isai. 14. 13.

4 Majoris autem fortassis operæ res est, quòd idem Michael Archangelus bilancem, aut stateram manu gerens depingitur. Cujus sanè rei veram originem me nescire candidè atque ingenue fateor. Quo circa ridicula passim planeque absurda inter aniles fabulas jactitantur. Dicam tamē quæ commodiora & probabiliora videbūtur. Creditum in Ecclesia & pervulgatum est, Michaelem Archangelum illum esse, cui præcipuè demandatum est à Deo negotium illud suscipiendi, & deportandi piorum animas in paradisum exultationis, juxta illud, quod Ecclesia ipsa canit in annua festivitate Michaelis; *Archangele Michael, constitui te principem super omnes animas suscipiendas*, atque illud ibidem: *Michael Archangelus.... cui tradidit Deus animas sanctorum, ut perducat eas in paradisum exultationis.* Quibus addo illud quod in sacratissimi actione Mysterii, quando pro defunctis fidelibus agitur, dissertissime habetur; *Sed signifer Sanctus Michael repræsentet eas* (nempe animas fidelium defunctorum) *in lucem sanctam*, &c. Diximus *præcipuè*: Nam quod ad hoc munus attinet, deducendi piorum animas ad conspectum Dei, atque quietis sempiternæ locum, certum est indifferenter ad Angelos spectare. Testantur hoc piissimæ preces Ecclesiæ, in quibus illud habetur: *Occurrite Angeli Domini, suscipientes animam eius, offerentes eam in conspectu Altissimi*: Et illud: *Sed jubeas illam à Sanctis Angelis suscipi, atque ad patriam paradisi perduci.* Sed quid opus his quantumlibet gravissimis? cùm perspicuè ex ipsa Sacra Scriptura constet, animæ Lazari corpore solutæ hoc officium præstitisse Angelos, illis verbis: (g) *Factum est autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahę.* Cujus rei plurima est mentio in sacris Historiis: Sanctus enim Antonius, teste Hieronymo, vidit animam Pauli primi Eremitæ in cœlum ab Angelis ferri: & Sanctus Severinus Episcopus Coloniensis vidit Sancti Martini animam ab iisdem in cœlum portari, teste Insigni Martini Encomiaste. (h) Quod de aliis plurimis longum esset enarrare atque recensere. Certe ob hęc fortasse sacræ atque arcanę sapientię monumenta, quę Hebræis erant cognita, finxerunt Græci atque Gentiles Mercurium, quem eam ob rem appelaverunt ψυχοπομπόν, piorum animas

(g) [illegible] 16.

(h) S[illegible] Sever.

mas

mas ad loca quietis deducere: aliorum autem mittere sub tartara: cujus rei testis locuples est Horatius, qui ita canit, Mercurium alloquens (i)

(i) Horat. lib. 1. carm. od. 10.

Tu pias lætis animas reponis
Sedibus, virgaque levem coërces
Aurea turbam, superis deorum
Gratus & imis.

Videsis quę ad hunc locum annotat Dionysius Lambinus, & ad illud Virgilii; (j)

(j) Æneid 4. v. 242

Tum virgam capit: hac animas ille evocat orco
Pallentes, ——————

consueta sibi lectione congerit insignis pre ceteris Maronis Commentator. (k) Hæc enim raptim delibasse sat fuerit, quę nil nisi deliria continent, puerilesque fabulas. Interim illud constet, Archangelo Michaeli præcipuè, ceterisque Angelis, munus deducendi piorum animas incumbere.

(K) La Cerda.

5 Quibus positis, ut ad id accedamus, cujus paulo supra meminimus, certum est bilancem, sive stateram signum, hieroglyphicumque esse æquitatis atque justitiæ. Vulgatum est hoc atque receptum etiam in profanis simulacris, testante id harum rerum præclaro scriptore. (l) Sed & in sacris idem constat: quippe in Visionibus Apocalypticis apparet Joanni (m) *Equus niger: & qui sedebat super illum, habebat stateram in manu sua.* Ad quem locum licet præclarissimus Interpres P. Ludovicus Alcazar multa annotet atque congerat, quæ ad rem esse, & ex mente sacri textus & Scripturę nullus dubito: tamē mihi videtur, pace viri tanti, in hoc loco Christum significari, qua ratione judex est æquus atque justus. Moveor ad hoc, quòd in alio loco ipse Christus Dominus, aut, ut ibidem habetur, *Verbum Dei* insidens equo albo; *Et qui sedebat*, inquit, *super eum, vocabatur fidelis & verax, & cum justitia judicat & pugnat.* (n) Quæ duo juncta satis denotant, in statera illa significari justitiam qua Christus Dominus idemque Verbum Dei, judicat: licèt nonnihil discriminis inter utramque visionem intersit.

(l) Vinc. Cartarius de Imag. deor. pagin. mihi 3 vo.

(m) Apocal. 6. 6.

(n) Apoc. 19. 11.

6 Ex quibus omnibus probè pensatis beneque inspectis, inferri quam probabilissime potest Archangelum Michaelem cum bilāce aut statera depingi; quò denotetur exacta justitia cum pia quadam æquitate conjuncta, qua Deus, seu ille qui est, & rectissime vocatur *Verbum Dei*, & qui, ut loquitur in sermone á se facto Petrus Apostolus, *Constitutus est à Deo judex vivorum, & mortuorum*; (o) homines atque animas judicat. Dixi, neque abs re, *cum pia quadam æquitate conjuncta*: Nam pręterquamquod satis pervulgatum est axioma illud, quod Deus præmiat ultra, punitque citra condignum; constat etiam aliunde, quod Deus (quæ sua est ineffabilis lenitas est bonitas) in suo tremendo judicio benignitatem pietatemque cum sua ipsius majestate atque severitate conjungit. Quod plura innuunt Scripturæ loca, quæ huc referre alienum est à proposito atque instituto fine. Illud in præsentia pulsat animum, quòd scilicet, referentibus Herodoto, aliisque, in suis judiciis factitarunt Persæ. Nam cum quis alicuius criminis reus postulabatur, si illud ex iis erat, quod alia rei benefacta pendere à gravitate meritò censeretur excedere, damnabatur: sin secus, absolvebatur: æquum ac rationabile id fieri censentibus hominibus, non injustè neque imprudenter de rebus humanis judicantibus. Hæc verò non eò dicimus, quòd existimemus (absit á piis mentibus immanis error) unum tantummodò peccatum lethale, in quo quis, ut Dei sunt judicia, semper quidem justa, quamquam sępius occulta, sine pœnitentia decedat, non esse satis ad justissimam ejusdem damnationem; tametsi plurima bona opera longo vitæ decursu fecerit; præcipuè cùm in tali casu atrox & enorme crimen censeatur ipsa finalis impœnitentia: Sed quòd Dei bonitas atque benignitas id plerumque evenire non permittat; sed, ut pius est atque misericors, illi qui in virtutibus bonisque operibus est exercitatior, pœnitentiam donet, finalemque perseverantiam, quamquam aliquando, vel aliquoties præsertim ex fragilitate deliquerit. Quæ omnia dicta sint occasione ejus, quod Archangelus Michael, cui Ecclesia commendatos nos vult, *ne pereamus in tremendo judicio*, depingatur assistens judicio divino, bilancem manu gerens, sive stateram.

(o) Act. 10. 42.

7 Atque ex his jam in oculos incurrit ineptus quidem atque intoleran-

randus error, quo sæpè hæc Michaelis statera depingitur, ex una parte unam habens animam, ex alia alteram. Ineptum enim hoc est & planè absurdum. Casu quippe res gereretur, aut, quod pejus est, iniquè: posset enim contingere, aut saltem concipi, quòd hac ratione salvaretur, si cum alia deterrima appenderetur anima peccatrix, &, ut ita dicamus, mediocriter mala: & contra, damnaretur pia, quamquam non ita excellens meritis, anima, si cum alia præcellentissimæ sanctitatis appēderetur. Quam in rem temperare mihi non possum, quin huc adscribam magni Concionatoris Hispani verba, cujus nomen famamque nulla umquam delebit oblivio. Is nempe est vir admodum sapiens ac Reverendus Mag. Fr. Hortensius Felix Pallavicinus, Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, insignis Regum nostrorum Philippi III. & IV. Ecclesiastes, Hispano orbi, imo reip. toti literariæ notissimus: qui quidem hanc eamdem rem graphicè depingens, tam luculenter, nec sine lepòre quodam sibi consueto, describit illis verbis, quibus injuriam irrogaturum me existimarem, si non eadem ut ab ipso sunt prolata transcriberem. *Inquit ergo*: (q) Es como el pintar de las „ Almas de San Miguèl, como suelen. „ Y en verdad que como se expurgan libros, serìa bien expurgar pinturas. Yo soy aficionado al Arte: „ pero si pesàran la Adultera con los „ que la pesaban, sin tantas diligencias de Jesu Christo, saliera justificada. No veis como en nombrando pecados Christo, se salieron? Yo „ sè que si se pesàra la mugercilla fragil, à quien hacen la causa, con el „ Escrivano, ò el Alguacil que se la „ hacen, que havia de ir por la puerta afuera. San Miguèl no pesa unos „ con otros, sino buenas, y malas „ obras, culpas, y satisfaciones: Utinam appenderentur peccata quibus iram merui, & calamitas quam patior, in statera. „ Pero pesar unas almas con otras, era ocasionar grandes travesuras: porque toda la dicha de un Alma estaria en el pesar „ de la otra: y no era menester vivir „ bien, sino acertar à caer con compañera à proposito. Yo soy flaco y „ ruin, y temo el peso de la justicia; „ pero todavia veo almas en Madrid, „ que me diera la vida el pesarme con „ ellas.... Fuera andar à batalla las „ almas: porque no huviera Mercader que no quisiera caer con un Mohatrero: assi cada uno, con quien „ juzgàra mas à proposito. Hucusque Hortensius elegantissimè. Ex quo satis apparet Picturæ error quem dissertè notat Author dissertissimus.

(q) Hortés. in sermonibus Quadrag. serm. fer. 4. p. 112.

8 Jam quod ad Archangelum Gabrielem depingendum attinet, si quæ sunt animadversione digniora, hæc observata manent à nobis agentibus in communi de erroribus circa sacras Imagines; (r) insuper & in sequentibus fortè magis ex professo subnotabuntur. Hoc interim vel leviter tangere nobis liceat, quod nempè hic beatissimus Spiritus Archangelus Gabriel in Visionibus prophetæ Danielis hoc modo depingitur: *Vestibus lineis, & renes eius accincti auro obryzo; & corpus eius quasi chrysolitus, & facies eius velut species fulguris, & oculi eius ut lampas ardens: & brachia eius, & quæ deorsum sunt usque ad pedes, quasi species æris candentis.* (s) Qua descriptione denotari eumdem Archangelum Gabrielem, qui supra disserte nominatur apparens & loquens eidem Prophetæ, (t) manifeste constat, cùm ex ipso contextu Scripturæ; tùm etiam ex docta commentatione Interpretum: (u) sed hic pingendi modus non spectat ad communem & usitatam Gabrielis Imaginem, sed ad illam tantummodò visionem, quæ in loco citato refertur. Quibus addo illùd quod sæpè adnotarunt Antiqui: scilicet, quòd in Veteri Testamento, cùm Angeli apparerent fulgurantes, atque terribiles videbantur, non item in Novo, cùm jam Deo Incarnato, aut proximè incarnando, placidiores minusque terribiles repræsentabantur hominibus.

(r) c.6
(s) 10.
(t) 8.
(u) Pe...

9 Denique quod ad Imaginem Archangeli Raphaelis spectat, plura annotare, sive etiam congerere, nihil attinet. Omnes enim facilè norunt hunc cœlestem Spiritum sub specie juvenis præcincti, & quasi parati ad ambulandum, se ipsum obtulisse Tobiæ juveni, & seniori patri, ut eidem juveni se præstaret ducem ac comitem itineris. Quod totum egregiè complevit, utpote à Deo ipso ad hoc muneris specialiter delegatus. Legat qui volet, Tobiæ li-

librum, quem tametsi Hetherodoxi in alvo Canonicarum Scripturarum pertinaces & cerebrosi non referunt; tamen miris laudibus & encomiis extollunt, ut refert pius atque eruditus Pater Hieremias Drexelius: (x) & inveni et multa, aut verò omnia, de Sancto Archangelo Raphaële, & in iis uberem agendi Deo humillimas gratias, quòd tam clementer provideque se gerat erga pios, suique cultores. Igitur duo tantum in prædicta Raphaëlis Imagine corrigenda aut emendanda peritis & doctis Pictoribus se offerunt. Primum est: quòd cùm depingitur Sanctus Raphael Tobiæ socius, ipse Tobias non tam juvenis adultioris ætatis, quàm puer plerumque depingitur. Hoc autem non ita fuisse, facilè constat, neque latebit lectorem mediocriter attentum, qui sciat, longum iter eumdem, Angelo semper comitante, perfecisse. Insuper & statim atque ad destinatum & præfixum terminum pervenit, matrimonio fuisse copulatum. Quæ omnia non pueri sunt, sed ut minimum grandioris atque adultioris juvenis. Secundum: Quòd cùm Sanctus Archangelus Raphaël depingitur solus cum pisce è manu pendente, veluti insigni quodam repræsentatur, atque depingitur. Sed quali, aut quanto? bone Deus! sæpius depictum observavi piscem, qui vix non admodum lautè comedentis impleret patinam: scilicet mugilem, aut mullum non plane bilibrem. Hoc autem ineptum esse & absurdum nullo negotio viderit, quisquis legerit sacri textus Historiam: ibi enim habetur; (x) *Et exivit ut lavaret* (Tobias) *pedes suos: & ecce piscis immanis exivit ad devorandum eum.* Quę tantùm, quin congerātur alia multa, manifestè evincunt prægrandem fuisse piscem illum, ut proinde quæ de illo dicuntur non congruenter aptentur pisciculo, neque hôc belluam illam aptè significari. Mallem igitur, ut, quò res significantius exprimeretur, Pictores nostri non in manu, sed ad pedes Raphaelis, non parvum, sed grandem, atque, ut loquitur Scriptura, aliquanto immanem depingerent piscem. Quis verò hic piscis fuerit, disputare alienum planè est ab instituto. Sed siquis illud scire aveat, videre poterit Præludiorum Isagogicorum scriptorem R.P.Fr. Antonium à Matre Dei Carmelitam Excalceatum *prælud. 1. digres. 4. sect. 1.*

(x) Tom. ... in Tob. ... ustr. c. ...

(x) Tob. 6. 2.

CAPUT VII.

DE QUATUOR RELIQUIS ARCHANGELIS, EOrumque nominibus atque Imaginibus, & qua ratione citra omnem erroris notam depingi queant.



Ræter beatos Spiritus, de quibus egimus, & quos paulò ante memoravimus, esse quatuor alios præcipuos, qui, ut habetur in sacris literis, assistunt jugiter ante Dominum, revocari in dubium non potest. Ita enim loquitur unus ex illis, scilicet Raphael: (a) *Ego enim sum Raphael Angelus, unus ex septem, qui astamus ante Dominum.* Insuper & Gabriel ipse idem confirmare non parum videtur illis verbis: (b) *Ego sum Gabriel Angelus, qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te.* Quod non parùm roborat illud Apocalypsis: (c) *Gratia vobis, & pax ab eo, qui est.... & à septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt.* Quibus alia nonnulla possent adjungi. Ergo cùm dissertè dicatur Angelos astantes ante Deum, eosque pręcipuos (neque enim hic locus intelligendus venit de Angelorum multitudine, aut de eorùm, ut sic dicamus, universitate, quidquid in contrarium scripserint nonnulli *) esse numero septem, & eorum tres tantùm expresse nominentur; hoc est Michael, Gabriel, atque Raphael: consequens fit, restare quatuor innominatos: de quibus meritò pro nostri muneris ratione quærimus: Primò, quæ sint eorum nomina, si quæ sunt? Secundò: an pingi & describi possint, aut soleant? Tertiò: quâ ratione id citra erroris notam fieri

Tob. 12. 15.

Luc. 1.

Apoc. 1.

* Nicol. de Lyra, Hug. Car. & Carth. ad hunc locum Tobiæ.

fieri queat, & quibus insignibus?

2 Et quidem quod ad primum attinet, dicimus: recepta omnium horum septem Angelorum nomina hæc esse, *Michaelem*, *Gabrielem*, *Raphaelem*, *Barachielem*, *Iehudielem*, *Urielem*, *Sealtielem*. Recepta, inquam: Nam quod ad tres priores spectat, nomina eorum explicite constant, ut jam monuimus, ex ipsis Scripturis Canonicis. Quod ad posteriores verò quatuor, mentio est minime contemnenda in probatis Authoribus. Nam nomen *Barachielis*, quod Benedictio Domini interpretatur, colligitur ex ipso Genesis capite 18. ut testatur harum rerum diligens Author. (d) *Iehudielis*, quod significat confessio, sive laus Dei, colligitur ex Exod. 23. *Urielis* autem, qui disserte nominatur in libris tertio & quarto Esdræ: qui licet non pertingant ad Canonicam authoritatem, tamen infra hanc, non minimam aut postremam obtinent. Deinde Urielis nomen, præter Origenem *in Philocal. cap.* 22. admittit S. Ambrosius *lib.* 3. *de Fide ad Gracianum can.* 2. Sanctus Isidorus Hispalensis *lib.* 7. *cap.* 5. Liturgia aut Missa Mozarabum, quæ extat *tom.* 4. *Bibliothecæ Veter. Patr.* Ioannes Jersonus, *part.* 3. *tract.* 8. *sup. Magnificat*; aliique non pauci, quos allegat nuper laudatus scriptor. Denique *Sealtielis* nomen colligitur, eodem testante, ex Genesis cap. 16.

(d) P. Ioã Lud. de Lacerda, De Exc. cælest. spirit. c. 15. Videndi quos ipse ibid. alleg & prætereaP. Ioã. Step. Menoch. in suis Storeis lingua Italica conscriptis p. 3. Centur. 6. c. 20.

3 Neque obstat ea, quę hic insurgit, magni alioqui ponderis difficultas. Quod nempe in Concilio Romano, cui præfuit Zacharias Pontifex, habitumque est anno 745. reprobata fuere Angelorum nomina quæcumque confingebat Adalbertus Hæreticus, idemque forsan Magus, illis verbis: *Nos autem, ut à vestro sancto Apostolatu edocemur, & divina tradit authoritas, non plus quàm trium Angelorum nomina agnoscimus, id est Michael, Gabriel, & Raphael.* Quibus assensere universi Concilii Patres. Non, inquam, obstat: nam admissa, qua par est animi summissione, tanta tamque gravi authoritate, dicimus nihilominus Ecclesiam plura Angelorum nomina non agnoscere, quæ quidem ex Scriptura Canonica, aut Ecclesiastica traditione sint certa; prętér illa tria Michaelis, Gabrielis, & Raphaelis: alia vero non disserte reprobat, quorum, ut statim vidimus, gravissimi meminere Doctores & Patres. Igitur Zacharias Pontifex Concilio præsidens tantùm damnat Magica & ficta Angelorum nomina, quę malo & reprobato sensu ab Adalberto Hæretico, eodemque Mago, ut videtur in Concilio illo, producebantur. Quæ, ne videamur ex nostro cèrebro confingere, ea sunt: *Angelus Raguel*, *Angelus Iubuel*, *Angelus Adimis*, *Angelus Iubuas*, *Angelus Sabaoth*, *Angelus Simihel*. Quæ pręter Michaelis, qui ibidem annumeratur, & Urielis, de quo supra; potius dæmonum, quàm Angelorum videntur esse nomina, ut ibidem refertur à Patribus Concilii. Aliorum autem quatuor nomina, de quibus nuper egimus, aut non expresse damnat Concilium, aut tantum rejicit, in odium Adalberti, qui eadem, aut illorum aliquot cum suis confictorum Angelorum nominibus confundit. Quæ certè satis congrua, plana, atque apta videtur nobis explicatio ad authoritatem quæ petitur ex prædicto Concilio. Sed nec nobis tantùm id videtur: visum idem est aliis probatis eruditisque Authoribus. Videatur Pater Cornelius Alapide in cap. 1. Apocalyps. P. Nicolaus Serarius, (e) Pater Martinus del Rio, (f) præter laudatum non semel hic Patrem Ioannem Ludovicũ de la Cerda. (g) Sed age, mittamus jam quęstionem de nomine (neque enim hæc dubitatio quidquam aliud continet) cùm de re ipsa haud obscurè constet esse nempe septem præcipuos Angelos, de quibus asseritur adstare ante Dominum, quidquid sit, an ii pertineant ad supremam hierarchiam, an ad primam, de quibus multa dicunt quos nuper allegavimus.

4 Igitur prædictos Angelos non tantum posse, sed consuevisse in Ecclesia depingi (hoc enim est quod secundo loco quæri posse, supra indigitavimus) multa sunt quę suadeant, petita ex probatis narrationibus & Historiis. Certè Panormi in Sicilia existere, adhucque superesse templũ, sive, ut more communi loquamur, Ecclesiam in honorem prædictorum Angelorum dedicatum, testatur disserttissimè tùm Pater Ioannes Stephanus Menochius loco supra allegato, tùm Cornelius Alapide infra referendus: imò & adjungit prædictus Ioannes Stephanus, quòd prædictæ Ecclesiæ olim

olim cùm præesset pius quidam Sacerdos, cui nomen Antonius Duca, pietatis & devotionis actus stimulis, Romam venit anno Domini M.DXXVII. quò cultum erga prędictos beatissimos Spiritus pro viribus augere & promovere posset. Cui rei sedulò semper serioque incumbens, eamque Deo, non sine precibus atque jejuniis fervidè commendans, divino quodam, ut dicitur, afflatus lumine selegit ad id muneris vastum ædificium, quod erat olim, continebatque Diocletiani thermas, quas Princeps ille ingenti sumptu laboreque struxerat, nec sine multorum millium Sanctorum Martyrum sudore atque sanguine perfecerat. Atque hujus quidem rei diserta mentio est in epitaphio sepulcrali ejusdem pii Sacerdotis Antonii Ducæ, in templo Sacrę Deiparę Angelorum, quod extat in æde PatrumCarthusianorum: atque hunc pium cultum auxere plurimùm Romani ipsi Pontifices. Nam pręter Iulium III. Pius IV. Gregoriusque XIII.adjecerunt suas ipsorum pias ac Pontificias curas, ut latius alii scribunt, quod nobis utcumque commonstrare sat est. Addit verò (quod ad rem nostram maxime spectat) semper cum laude nominandus Pater Cornelius Alapide, (h) quòd cùm in Sicilia Proregis munere fungeretur vir Excellentissimus Hector Pignatellus, imperante Carolo V. prædictam antiquam Ecclesiam sanctis septem Angelis dedicatam restaurari ornarique curavit; imò & Sodalitatem quamdam instituit in honorem prædictorum Cœlestium Spirituum. Quæ omnia, aliaque, quæ non immeritò possent adjungi, satis evincunt, prędictos septem Angelos Deo adstantes, non solum posse, sed & consuevisse in Ecclesia depingi. Illud hîc omnino tacere nec volo nec valeo, quòd scilicet cum ante annos plus quinquaginta ipsemet Compluti Dialecticis institutionibus operam darem, vidi, & quantum ferebat ætas sedulò inspexi in quodam ejus urbis templo depictos eleganti manu prædictos septem Angelos, adjectis ipsorum nominibus & insignibus. Et quidem hodie superesse atque extare predictas Imagines nullus dubito: sed res visa est mihi notior, quàm ut multus labor pro ea investiganda deberet impendi.

(h) Sup. 1 Apoc. v. 4

5 Quæ verò magis congruentia prædictorum Angelorum insignia censeri debeant, ut citra cujuscumque levitatis aut erroris periculo depingi & demonstrari valeant (quod postremum est ex iis quæ supra proposuimus) à nullo verius aut uberius accipere possumus, quàm à laudato Patre Cornelio. Is enim relato nuper loco asserit, quòd in memorato Panormitano templo appicti cernebantur prædicti septem Angeli ad hunc ferè modum, hisque insignibus aut symbolis: Nempe *Michael* agens sub pedibus superbum Luciferum: *Gabriel* accensam faculam, quę tamen laternâ concluderetur, manu dextra præferens, sinistrâ vero speculum ex lapide factó porphyretico. *Raphaël* una quidem manu vas quoddam pręferebat, altera verò ducebat juvenem Tobiam, adjuncto pisce, è cujus felle cœco patri confectum est collyrium. *Barachiel*, qui, ut supra diximus, Benedictio Domini interpretatur, rosarum plenum gerebat sinum. *Iebudiel*, quod nomen idem esse ac Dei confessio supra retulimus, una quidem manu auream coronam, altera flagellum ostentabat. *Uriel*, quem idem atque ignis sive lux Dei denotare monuimus, nudatum ensem præferebat, ad pedes autem ardentem flammam. Denique *Sealtiel*, quo nomine orationem Dei, sive Deo factam, denotari supra item retulimus; ad orationis formam atque speciem erat compositus, oculis modestè demissis, manibusque junctis ante pectus. Ex quibus omnibus haud obscurè apparet, qua forma, quibusvè insignibus effigiari debeant iidem Sancti Angeli, si quando eos depingi contigerit.

CAPUT VIII.

DE PICTURIS ET IMAGINIBUS ANGELI CUstodis, & quid circa eas notatione magis dignum occurrat.

1 I quæ multa à permultis piis atque eruditis Scriptoribus de Angelorum custodia, & Angelis Custodibus dicuntur, hic essent saltem per summa capita referenda, mensuræ modum labor excederet, & longius prætergrederemur instituti metas: quod, ut sæpè monuimus monebimusque semper, quantum fieri possit vitare cupimus. Ad rem igitur nostram accedentes, illud ut rem indubitatam, nec salva Fide dubitabilem, supponimus; unicuique hominum, à momento saltem suę nativitatis, usque ad ultimum vitę momentum, designari á Deo Custodem Angelum, tamquam perpetuum & maximè individuum viæ ac vitæ ducem ac comitem. Satis hoc ipse expressit Christus, de parvulis loquens, illis verbis: (a) *Angeli enim eorum semper vident faciem Patris mei.* Ad quem locum cuncti Ecclesię Patres & Interpretes id statuunt; adeò conformiter, ut eorum superfluum sit hic indicem texere. Certè in ipso Ecclesię nascentis exordio adeò hæc veritas Fidelibus innotuit, ut semper mirari subeat, quod refertur in gestis Apostolicis: ibi enim cùm Petrus Apostolus ab Angelo eductus è carcere pulsaret ostium domus Mariæ matris Ioannis, & puella quædam nomine Rhode narraret iis qui intrò aderant, audivisse se vocem Petri; ipsique non crederent ita contingere, multum illa semper reclamante: nihil aliud cogitare potuerunt, nisi eum qui stabat ad fores esse, non quidem Petrum, sed illius Custodem Angelum. *Illi autem* (nam ita rem narrat sacer textus) *dicebant; Angelus ejus est.* (b) Quod idem aliis locis haud obscurè confirmari poterat. Sed nos agere oportet id quod instat.

(a) Mat. 18.10.

(b) Act. 12.15.

2 Igitur hujusmodi Angelum Custodem, sive Custodes Angelos sæpius hominibus, iisque præcipue, quos regendos susceperunt, apparuisse forma visibili, res notior est, quàm ut eadem hic multis stabiliri aut confirmari debeat. Nam quod ad sacram Scripturam attinet, Angelus ille, qui noctu apparuit Maximo Doctori Gentium Paulo in Italiam naviganti, Angelus ejus erat Custos: quod satis indicant illa verba: (c) *Astitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cujus sum ego, & cui deservio, dicens; Ne timeas Paule.* Licet enim ea *Cujus sum ego, & cui deservio*, ad Deum commodius referantur; tamen totus textus sincerè intellectus satis ostendit Angelum, qui apparuit, non alium esse quàm illum cujus peculiari tutelæ commissus erat Paulus. Quod verò spectat ad Ecclesiasticas historias, sive veteres, sive recentes, frequentius in illis nihil est quàm sibi commissis atque traditis Sanctos Angelos deputatosque custodes sæpius apparuisse. Taceo quam plurima veterum, taceo etiam recentiorum sacras ac pias historias. Profectò de Parente meo Sanctissimo D. Petro Nolasco hoc etiam dissertè refertur illis verbis: *Angeli Custodis, ac ipsius Deiparæ Virginis frequenti fuit apparitione dignatus.*

(c) [Act. 27.23.]

3 Ergo quod jamjam proprius ad rem nostram spectat, vel ex his apparitionibus, vel ex ipsius consideratione rei Angelus Custos frequentissime à Pictoribus describitur; effingiturque à sacrarum Imaginum Sculptoribus sub hac forma: elegans nempe & alatus juvenis, manu altera puerulum prendens, altera eidem cœlum commonstrans. Recte hoc quidem, quod ad utrumque attinet: nam Angelos sæpius apparuisse sub forma juvenum, quamquam interdum etiam vocentur viri, (d) res est notissima, & quæ ex Scriptura, Ecclesiasticisque Historiis probari abundè poterat: & quod aliunde ille qui tutelę Angeli commissus est, depinga-

(d) [Act.] 10.

gatur sub forma puerili, res satis est congrua; tùm quòd cum Christus Dominus de Custodibus Angelis mentionem faceret, horum custodiæ & tutelæ traditos, puerulos nuncupavit & pusillos: ita enim habet: (e) *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis*, (quod Christus Dominus dicebat habens & ostendens prope se parvulum:) *dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis &c.* Tum etiam, quia humana, quamquam rationalis, natura, Angelicæ comparata, censetur inferior; ut proinde bene referatur sub forma parvuli.

(e) Math. [1]8.10.

4 Quæ tamen licèt ita sint, non nulla hic admonere operæpretium videbitur ei qui rem totam penitius contemplari velit. Primum est: quòd Custodem Angelum non semper sub forma juvenis apparuisse satis est certum: visus est enim, neque id infrequenter, sub pueri forma, ut plurima ostendunt exempla, quę collegit, aut ex parte libavit laudatus sæpè à nobis Scriptor. (f) E quibus magis ad rem, ut mihi videtur, est illud quod narrat Author vitę Sanctæ Franciscæ Romanæ, illis verbis: *Aderat illi* (scilicet prædictæ sanctæ feminæ) *à pueritia Archangelus perpetuus comes, & protector castitatis, alba sæpius indutus tunica, nonnumquam etiam & cærulea.* Subdit autem de prædicto Archangelo, quod *statura puerum non excedebat.* Sed cùm ad hæc devenimus omittere piaculum censerem id quod de se ipsa narrat illa prudentissima virgo Materque Seraphica, cujus doctrinæ pabulo nutriri ut Deum Opt. Max. precemur, Ecclesia nos docet, nempe Diva Teresia à Jesu, quam vel nominasse tantùm, multis exquisitisque laudibus cumulasse est. Hæc enim beneficia in se divina ex obedientię præscripto, aliter numquam ipsa factura, commemorans, inquit (g) *Voluit Dominus*: Sed pręstat verba ejusdem, ut ab ipsa mandata sunt literis, suâ ipsius lingua, quam, siquis alius etiam ex viris peritissimis, optimè percalluit, audire. Inquit igitur: *Quiso el Señor, que viesse aqui algunas veces esta vision. Via vn Angel cabe mi hazia el lado izquierdo, en forma corporal, lo que no suelo ver sino por maravilla; aunque muchas veces se me representan Angeles, es sin verlos, sino como la vision passada que dixe primero. En esta vision quiso el Señor la viesse ansi. No era grande, sino pequeño, hermoso mucho, el rostro tan encendido, que parecia de los Angeles muy subidos, que parece todos se abrasan. Deben ser los que llaman Seraphines; que los nombres no me los dicen; mas bien veo que en el Cielo ay tanta diferencia de vnos Angeles à otros, y de otros à otros, que no lo sabria decir. Viale en las manos vn dardo de oro largo, y al fin del hierro me parecia tener vn poco de fuego. Este me parecia meter por el corazon algunas veces, y que me llegaba à las entrañas: al sacar, me parecia las llevaba consigo, y me dejaba toda abrasada en amor grande de Dios.* Hæc Seraphica Mater: quibus alia subnectit, omnia certè longè dignissima quæ non hic solùm, sed æreis etiam, imò aureis laminis scriberentur. Hæc verò quę Hispanicè dedimus, quantum assequi rudi stylo possumus, ita fermè Latinè sonant. *Voluit Dominus quod* hic (scilicet ubi tum temporis degebat) *hujusmodi visio meis repræsentaretur adspectibus. Videbam Angelum juxta me à sinistro latere corporali specie: quod quidem nisi admodùm rarò videre mihi non contingit, quamquam sæpius mihi Angeli repræsententur: tamen non illos corporaliter aspicio, sed ut in visione quam paulo ante retuli. In hac certè Domino placuit ut ita viderem. Non erat ille statura magnus, imò parvus erat, decorus nimis, vultu adeo splendenti atque ignito, ut mihi videretur esse unus ex sublimioribus Angelis, qui omnes videntur ignescere. Sunt, opinor, quos Seraphinos vocant: quippe ipsorum nomina mihi non referunt: sed sat scio esse in cœlo magnum inter ipsos, ingensq̃ discrimen, adeò ut vix aut ne vix quidem illud enarrare possem. Et videbam quidem in ejus manu jaculum aureum oblongum, in cujus ferrea cuspide aliquantulum ignis cernebatur: & hoc quidem mihi transverberari cor repetitis ictibus videbatur, quousque ad ipsa viscera pertingeret: quod cùm ille extraheret, ipsa mihi viscera videbatur evellere, me totam Dei amore accensam relinquens.* Hucusque Diva Teresia. Ex quibus, ut id obiter subnotemus, facile colligitur, minus rectè Pictores facere (& faciunt id frequentissimè) cùm in Imagine Matris Seraphicæ prædictum Angelum depingunt specie, non quidem pueri, sed grandioris juvenis, cùm ipsa disserte hoc loco

(f) P.J.L. [de] la Cerda ... dict. ... ere c.

(g) In Vit. ... c. 29. ... rop. ad ...

loco animadverterit illum non sibi juvenem esse visum, sed potius puerum, neque grandem, sed potius parvum, illis verbis, *No era grande, sino pequeño.*

5 Jam quòd hic Angelus qui cor Teresię tam grato tamque jucundo vulnere transverberavit, & qui eidem Seraphicæ Matri visus est vnus ex ipso Seraphinorum ordine, fuerit ipsius Teresiæ Angelus Custos, affirmare temere non ausim: illud tamen interim suppono, selectioribus quibusdam animabus, & quas Deus præcipuo habet in pretio, dari à Deo custodem aliquem ex pręcelsioribus Angelis; atque adeò etiam ex ipsis Seraphicis Spiritibus. Hoc multis probare & stabilire non ægrè possemus, si (quod sæpè diximus) liceret longius ab instituto divagari. Quo præjacto, Angelum illum, de quo sermo est, fuisse ipsum qui sacræ ac religiosæ Virgini datus erat à Deo custos, suspicari saltem liceat: siquidem non datur tutò & inhæsitanter affirmare. Et certè mirum non esse deberet, quod animę seraphicis ardoribus æstuanti daretur Custos & tutelaris non minor, quàm Spiritus seraphicus. Quæ omnia dicta sint circa formam speciemque, qua non incongruè depingi valeat Angelus Custos.

6 Pingitur etiam is qui Angeli custodię committitur, sub figura pueri, ut supra monuimus. Et hoc quidem rectè, ob rationes quas eo loci indigitavimus. Sed non male aliquando sub habitu & specie viri, cui Angelus ipse Custos viam commonstrat regiam, qua in cœlum conscenditur, nempe Crucem; hac enim tutò & sine erroris periculo aut lapsus ad sidera plana parataque sternitur via: ut planè videatur hanc Imaginem intuenti, quam aliquando vidimus, vehementerque probavimus, Angelum Custodem veluti hominis pœdagogum, illud homini inclamare quod est apud Poëtam, *Sic itur ad astra.* Et hęc circa Angeli Custodis Imagines pro instituti nostri ratione dicta sint satis. Jam ad alia pergimus.

CAPUT IX.

DE PICTURIS ET IMAGINIBUS ANIMARUM, præcipuè justorum: & quid circa eas notatu dignum.



1 Experiẽtia ipsa compertum est, errorem non esse qui patrono careat, quantumlibet ipsum dissentaneum sit, aut videatur, rectæ rationi. Hoc innumeris fermè exemplis & inductionibus ostendi poterat: sed quod ad rem nostram attinet, animam rationalem, quamquam alioqui æternam, immortalemque, non esse corporis expertem, sed corpore aliquo, quanvis subtili minusque crasso, constare, error est nimis rationi absonus. Tamen hunc eumdem utrâque ulna sunt complexi patroni non obscuri, neque omnino ignobiles. Namque, ut mittamus pro nunc errores Gentilium, qui latum spatiosumque præbebant disserendi campum, &, quod proverbio dicitur, saltandi extra choros & oleas; errorem hunc tenuerunt præ reliquis Tertullianus, (a) & Arnobius, (b) aliique quibus, ut opinor, præivit Origenes. (c) Neque id mirum; multa enim post secula Faustus, ex Monacho Lirinensi Rhegiensis Episcopus, in eodem errore versatus est, illumque tenuit adeò mordicus, ut librum integrum in illius defensionem scripserit. (d) Cui tamen debitam confutationem objecit Claudianus Mamertus, (e) perspicue ostendens rei veritatem: cui subscribit unanimi consensu vera & solida Philosophia, Theologiaque; usque adeò ut memoratum absurdum tenere, aut manifesta hæresis esset, aut omnino intolerandus error.

2 Neque verò ob id censendum est ad hujusmodi errorem pertinere, animas utcumque depingi: hoc enim, quæ toto hoc secundo libro de Angelis incorporeis & immaterialibus Spiritibus, imò & de Deo ipso Opt. Max.

Max. agentes præmonuimus, satis superque evincit. Restat ut quid observari oporteat, cùm casus occurrat, præmoneamus. Principiò igitur satis constat, defunctorum animas, sive eorum qui ad supernas demigrarunt sedes, sive illorum qui adhuc Purgatorio igne concremantur purificanturque; sive tandem infelicium damnatorum, & æterna supplicia cùm hominibus (Deo ita disponente) apparent in ea forma figuraque, quam ipsi vivi habuerunt, repræsentari: Eo discrimine, quod beatorum animę luce splendidissima perfusæ: eorum autem qui in Purgatorio loco detinentur, mœstæ plerumque, & igne circumdatæ: damnatorum tamdem horribili gestu, & miris modis fœdæ, ignemque horribilem spirantes conspiciantur: sive id totum fiat Angelorum ministerio, tam bonorum scilicet, quàm improborum: sive aliquando, quod perquàm raró contingere monent Theologi, id totum peragatur alio modo nobis incognito, ipsæque animæ sint quæ videntur, conspiciunturque. Certè in illo casu quem Sacra Scriptura commemorat, & quo Samuelis anima jam defuncti Saüli Regi fuit conspecta, graves Theologi nec sine ingenti fundamento asseverant, non Angelum, non dæmonem, neque aliud quidpiam, sed ipsam Samuelis animam impio perditoque Regi apparuisse. Qua de re videri poterit rem hanc operosè discutiens eruditus Augustinianus & Salmantinus Doctor M. Fr. Ildefonsus de Mendoza, qui præcipuè id asserit, motus eo loco, ubi disserte habetur: *Dixit autem Samuel ad Saul: quare inquietasti me ut suscitarer?* * Igitur si apparitiones hujusmodi aliquando depingendæ veniant, tutum est, quantum res patiatur, Imagines jam defunctorum depingi ea forma, habituque, ac gestu quem gerebant vivi: ut, exempli causâ, D. Petrus de Alcantara (quam imaginem aliquando non sine animi exultatione conspeximus) apparens suæ quondam spirituali filiæ D. Teresiæ, depingi potest, imò debet, propriis ipsius viri sanctissimi lineamentis, quamquàm mira & conspicua luce ac claritate circumfusus.

* 1. Reg. 28.15.

3 Neque infrequens est pingi animas, pręsertim justorum è corporibus egredientes, divino aspectui statim repræsentandas: idque rectè; nam satis constat aliquorum pręcipua sanctitate fulgentium animas ab aliis visas fuisse. Qua de re innumera se hic offerebat narrandi seges: sed decerpemus selectissima. Primum enim Pauli primi Eremitæ animam Antonio Magno visam fuisse, dum ejus iterum cellam repetebat, pallium quod ipse quondam ab Athanasio acceperat secum deportans, quo ipsius Pauli, cùm obiret, decentius obtegeret. Factum narrat quâ solet elegantia Hieronymus, illis verbis: *Cumque jam dies alia illuxisset, & trium horarum spatium viam remeavisset, vidit inter Angelorum catervas, inter Prophetarum & Apostolorum choros niveo Paulum candore fulgentem in sublime conscendere.* (f) Deinde beati Benedicti sanctissimi Patriarchæ animam sub illud momentum quo exivit à corpore visam atque ostensam fuisse duobus ejusdem Monachis atque discipulis, quamquam diverso loco consistentibus, refert illius vitæ Magnus scriptor D. Gregorius. (g) *Qua scilicet die* (loquitur de die obitus sanctissimi Parentis, filius ipse ejusdem præclarissimus, dignitateque supremus Pontifex) *duobus de eo fratribus, uni in cella commoranti, alteri autem longius posito, revelatio unius atque indissimilis visionis apparuit. Viderunt namque quia strata palliis, atque innumeris corusca lampadibus via recto orientis tramite ab eius cella in cœlum usque tendebatur. Cui venerando habitu vir desuper clarus assistens, cuius esset via quam cernerent, inquisivit: illi autem se nescire professi sunt. Quibus ipse ait: Hæc est via qua dilectus Domino cœlum Benedictus ascendit.*

(f) Hier. de Vitâ Pauli to. 1. oper.

(g) Dial. lib. 2. cap. 37.

4 In his aliisque simillimis visionibus depingi solet anima specie puellari, tenuissima luce circumfulgens. Non id male: sed tamen vellem ut adjiceretur ornatus, quo denotaretur illa, quam Scriptura sacra, id ita intelligente Ecclesia, vocat *Stolam glorię.* Qua ratione ipsa Ecclesia describens id quod nuper retulimus factum, ita habet: *Quam* (animam scilicet sanctissimi Patriarchæ Benedicti) *duo Monachi euntem in cœlum viderunt pallio ornatam pretiosissimo, circum eam fulgentibus lampadibus:* Quamquam alioqui id non tam disserte contineatur in verbis Magni

Gregorii, quæ integra dedimus. Sed res aliis poterat exemplis comprobari, quæ ad alia properantes relinquimus. Illud addere placet, nonnunquam animam viri sancti, non luce tantum, sed digne prorsus circumfusam, atque in eo penè immersam ostensam esse ad cœlum commigrantem. Notum est quod ex eodem D. Gregorio revelatum est eidem S. Benedicto. (h) Sed audire præstat Gregorii verba, quæ ita habent: *Qui venerabilis Pater dum intentam oculorum aciem in hoc splendore coruscæ lucis infigeret, vidit Germani Capuani Episcopi animam in sphæra ignea ab Angelis in cœlum ferri.* Hucusque pius & Magnus Pontifex.

(h) Ibid. c. 35.

5 Nec taceri debet, quòd aliquando Divorum animæ etiam ab astantibus & intuentibus visæ sunt in cœlum ascendere, non sub puellari specie, sed sub purioris & circumquaque nitidæ columbæ. Pleraque ex probatis historiis peti possent: sed selectissima lubet addùcere. Eulaliæ præclarissimæ Virginis & Martyris Emeritensis purissima anima hac plane specie visa est virginale corpusculum relinquere, cœlumque conscendere. Sed rem non nostris verbis, quæ magis eam enervent quàm exornent, referre juvat. Audiatur Hispanus Poëta sanè vetus, atque æquè pius & elegans: hujus enim illa sunt. (i)

(i) Prud. Peri Stepha. hym. 3. n. 160.

Emicat inde columba repens,
Martyris os nive candidior
Visa relinquere, & astra sequi.
Spiritus hic erat Eulaliæ
Lacteolus, celer, innocuus.
Colla fluunt abeunte anima,
Et rogus igneus emoritur:
Pax datur artubus exanimis,
Flatus in æthere plaudit ovans,
Templaque celsa petit volucer.
Vidit & ipse satelles avem
Feminæ ab ore meare palam,
Et obstupefactus, & adtonitus
Prosilit, & sua gesta fugit:
Lictor & ipse fugit pavidus.

Hæc de Martyre. De Virgine verò præclarissima, & quamquam incruento martyrio, satis celebri, idem prorsus memoria est proditum. Diva enim Teresia à Jesu, quam semper eximii honoris, summæque reverentiæ causa nomino: *Intolerabili Divini amoris incendio potius quàm vi morbi* (verba audis ejus Ecclesiastici Officii, ut nihil necesse sit transcribere eos qui ejusdem vitam scripserunt historicos) *Albę cùm decumberet.... sub columbę specie purissimam animam Deo reddidit:* ut propterea decantetur in ejus solemniis non minus piè quàm eleganter:

Hæc est dies, qua candidę
Instar columbę, cœlitum
Ad sacra templa spiritus
Se transtulit Teresiæ.

Sacrarum Virginum sanctitate præcellentium, ob ipsius virginitatis candorem puritatemque, proprium hoc videri, & persuaderi poterit ei qui legerit id, quod de præclara virgine santa Scholastica, Magni Patriarchæ Benedicti sorore refert ejusdem Benedicti filius pręclarissimus atque encomiastes, (j) visam esse à sancto Benedicto sororis animam corpore exsolutam, sub columbæ specie in cœlum conscendere, illis verbis: *Cumque die altero eadem venerabilis femina ad cellam propriam recessisset, vir Dei ad monasterium rediit. Cùm ecce post triduum in cella consistens, elevatis in aëra oculis, vidit ejusdem sororis suæ animam de eius corpore egressam in columbę specie cœli secreta penetrare.* Quæ pluribus aliis exequitur nulla non laude dignissimus Pontifex. Igitur si res hujusmodi aliquando veniant depingendę, nihil plane est, quod moneamus, imo quodammodo foret error aliter quàm ex fide historiæ, ut narratur, describere.

6 Depingi etiam possunt, & solent, diversorum statuum animæ. Et beata quidem pretiosissimis exornata vestibus, lumineque, nullis prorsus coloribus efformabili circumfusa. Utrumque rectè. Nam quod ad primum attinet, in ipsa Scriptura ex persona beatificatæ animæ dicitur: (k) *Induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumdedit me.* Quocirca sponsa quędam selectissima jamjam quasi cœlestia degustans, tanta taliaque præmia respiciens, ajebat: *Induit me Dominus cyclade auro texta, & immensis monilibus ornavit me.* Quod verò ad secundum, luce ipsa est clarius, docente nos Psalmista Regio: (l) *Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Anima verò in igne Purgatorio detenta, manicis ferreis illigata, flammis-

misque lambentibus circumdata, modesto, tamen gestu, & veluti spei pleno depingitur: in quo nihil habetur quod offendat pios atque eruditos oculos. An verò rectè describantur purgantes animę tortæ & afflictæ à malignis spiritibus, necne, quod aliquando, nisi nimium fallimur, factum vidimus; res erat prolixiori discussione digna, cùm non desint qui affirment re ipsa ita contingere, neque desint etiam qui negent: interim tamen vellem, ut non ita depingerentur: Tum quod, ut nupercule dicebamus, haud desint qui negent ita contingere, scilicet justas amicasque Deo animas à malignis spiritibus torqueri. Tum & præcipue quòd hac exprimēdi ratione cum damnatis, reproborumque animabus fidelium in Purgatorio detentę animę, præsertim à rudioribus confunderentur. Denique damnata horrendo carceri, æternisque cruciatibus anima, depingitur, ut par est, horrido vultu, exsertoque ore veluti frendens, imò se ipsam dentibus discrucians, juxta illud; *Ibi erit fletus & stridor dentium.* Quodque me saltem (ut id ingenue fatear) majorem in modum commovet, describitur etiam cum immani colubro, qui pectus atque ipsum collum miserando gyro stringit colluctans: & hoc etiam rectè. Quamquam enim fortasse verum non sit quod aliqui veluti conforme Scripturæ, aliquibusque Ecclesiæ Patribus defendunt, esse scilicet, futurosque esse etiam post corporum resurrectionem in illo tenebrarum loco veros & naturales serpentes, dracones, aspides, aliaque id genus, quæ damnatorum corpora depascant, atque miris modis dilacerent: tamen quidquid de hoc sit, satis ex ipsa ratione fit probabile, & confirmant dissertè piorum ac Theologorum quique doctissimi, dæmones sub horrendis formis à miserandis damnatis esse videndos, intentos eorum suppliciis: inter quæ repræsentari ut funestos angues, draconesque teterrimos, qui eorumdem damnatorum corpora, quę ipsi dum viverent immodicis voluptatibus enutrierant, mordentes, lacerantesque, sat probabili conjectura percipi potest. Utinam Christus Passionis suę sacratissimæ merito nos, qui hæc scribimus, & quoscumque qui aliquando legere non graventur, liberet à tam extremæ calamitatis experimento.

7 Tandem (ut id pro coronide adjiciamus) veluti emblemmate quodam depingi solet anima gratiâ prædita, sicut & anima in peccato lethali miserabiliter existens. Et anima quidem justa, imò etiam electa divina prędestinatione, depingitur pretiosis vestibus, vivido vultu, oculisque in sublime elatis cœlum suspectans, terrasque despiciens. Totum hoc quàm recte fiat, facile colligitur: Sed additum nonnumquam vidimus in hujusmodi fronte signum literæ T, sive *Thau*, quæ una est ex Græcorum literis. Quo signo plane alluditur ad locum percelebrem Ezechielis Prophetæ, (n) in quo dicitur: *Et signa Thau super frontes virorum gementium, & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus.* Ubi plurima ad rem sat opportuna ex Tertulliano, Origene, Hieronymo, aliisque Patribus solita eruditione congerunt sæpius alibi à nobis Interpretes laudati. (o) Ego vero, quod etiam eosdem non latuit, præterire nequeo in prędicto loco, *Thau* literam Crucem significare, denotareque; non, ut opinor, prout T. à Gręcis scribitur, sed planè decussatis lineis in crucis formam atque figuram. Hac enim describitur in characteribus Samaritanis, qui planè antiqui Hebræorum fuere, ut norunt harum rerum periti; & videri poterit in Pentateucho Samaritano, quem ingenti Reipub. literariæ bono ad Europam secum detulit ex Oriente nobilis juxta atque eruditus illorum tractuum peragrator *Petrus de la Valle* Romanus, qui Typis jam etiam excussus cernitur in Bibliis Vvaltoni Polyglotis. Certè in statere Samaritano, nescio an aureo aut argenteo, quem excudi curavit eruditus Pater *Bernardus Lamy*, Oratorii Presbyter, ex una parte literis non sat mihi notis, sed absdubio Samaritanis, circumdato, describitur Crucis signum, eâ claritate ac perspicuitate, ut nullo modo egeat interprete. Atque ob hęc, etsi pingi T in fronte electæ Animæ erroris damnare non ausim; crederem tamen Crucis signum congruentius depingi debere. Quod doctiorum ac peritiorum judicio relinquo.

(n) Cap. 9. 4.

(o) Prad. & Villalp. ad hunc loc. to. 1.

Jam Anima, lethali peccato Deo sibique etiam plane emortua, rectè, ut alia taceam, describitur sub Æthiopissæ forma defunctæ, cui Angelus adsidet plorabundus, Quod erroris notâ nulla ex parte potest inuri. Cùm enim ex una fœditas & obscuritas,

Virg. Æneid. 3.

Nec visu facilis, nec dictu effabilis ulli,

(si his uti liceat rem tam seriam tamque gravem agenti) talis tantaque existat ut describitur, non solùm à Theologis sacrisque Patribus, sed præcipue ab iis, quibus hoc Deus superno lumine imbutis ut perfectius nossent concessit (inter quos haud postremum locum meretur Seraphica Mater Diva Teresia, numquam mihi sine eximii honoris præfatione nominanda) recte, quantum concipere possumus, sub specie Æthiopissæ, & quidem emortuæ describitur. Ex alia verò cùm, ut supra memoravimus, Angeli hi, præcipuè qui destinati sunt ad nostram custodiam, casus Animæ citra ipsorum beatitudinis detrimentum aut diminutionem quodammodo defleant; nihil expressius figurari potest prædicta Imagine.

CAPUT X.

DE DÆMONUM PICTURIS ET IMAGINIBUS: quidque in iis erroris, aut saltem insolitæ novitatis reprobari possit.

1 
On defuere, qui Dæmonibus æternis ignibus damnatis, ut ab iis connaturalius torquerentur, attribuerent aërea, sive quædam hujusmodi corpora. Sed præsentis instituti non est, imaginationem hanc operosius discutere, pręcipuè nobis ad alia, quæ magis ad rem pertinent, properantibus. Illos autem communiter depingi sub draconum, serpentium, immanium lacertorum, bufonumque pręgrandium, imo & monstrorum quorumcumque specie, nihil est usitatius. Hoc autem non absurdè; cùm sæpe constet apparuisse viris feminisque sanctissimis, ut eos ab studio orationis, piorumque operum deterrerent, sub his, aliisque id genus formis, imò sub iisdem (de quo supra nonnihil monuimus) repræsentari, atque objici damnatorum oculis, admodum probabile fit ex probatis historiis. Neque id mirum: cùm suppliciorum ille locus, alta semper mente peccatoribus, imò & ipsis justis retinendus, harum terribilium rerum sit feracissimus: ut propterea versus illos cuivis notissimos Poetæ transferre hic jure merito possit aliquis in meliorem usum. (a)

Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina possim.

Quam rem mire juvat quod ipse dæmon, qui olim sub deorum dearumque formas adorandum se sapientioribus & politioribus nationibus dedit, magis feris aut efferatis, quales ferme sunt Americanæ, multæque ex Asiaticis, se colendum, adorandumque exhibuit sub enormibus horrentibusque formis, quę vel tantum à longe spectatæ, pavoremque ac terrorem incuterent; ut frequenter observant, qui earumdem regionum ritus religionesque, aut potius abominandas superstitiones observarunt.

2 Pinguntur etiam sæpe Dæmones sub immanium ferarum forma, quæ ignem oculis, ore, naribus spirant. Neque rursus hoc absurdè, pręcipue si quis attendat ad descriptionem illam, quam Dæmonis sub nomine jam Behemoth, jam Leviathan exactissime faciunt Sacræ literæ. (b) Tametsi enim sub ipsa, literali etiam sen-

ſenſu, accipienda veniat bellua ingens, qualis eſt rhinoceros, aut ut appellamus Hiſpani, *la babada*, quod notarunt graviſsimi Interpretes: tamen dæmonem ſub eadem, propriſsimo ſenſu & graphice deſcribi, iidem obſervant. Os autem, nareſque ignem & fumum ſpirantes truculentam ferociam, atque ad terrorem incutiendum majorem humanis viribus ſævitiam facilè denotant. Quocirca Sacræ literæ, cùm feram illam Leviatham, de qua nuper, & ſub cujus involucro diabolum ſignificari ſatis perſpicuè conſtat, tam multis tamque elegantibus verbis pigmentiſque deſcribunt, hujus rei etiam mentionem faciunt illis verbis: (c) *Sternutatio ejus ſplendor ignis, & oculi ejus ut palpebrę diluculi. De ore ejus lampades procedunt, ſicut tedæ ignis accenſę. De naribus ejus procedit fumus, ſicut ollæ ſuccenſæ, atque ferventis. Halitus ejus prunas ardere facit, & flamma de ore ejus egreditur.* Elegantiſsima prorſus hypotipoſis; ut planè ex ea colligatur, quàm ſcitè & conformiter, cùm ad ſacram eloquentiam, tùm etiam ad rerum ipſarum notionem depingatur diabolus ore, naribus, oculis ignem, flammaſque evomens, & ſpirans. Sed nimis diſſerta atque elegantia ſunt etiam Maronis verba, quibus latronem illum horrendum, ferumque monſtrum, quem Cacum fuiſſe poetę fabulantur, & de quo parta victoria non poſtremus laborum Herculis computatur, mirandum in modum, qui certè ad rem hanc noſtram maximè confert, abſolutiſsime deſcribit illis verſibus: (d)

(c) Job. ... v. 10. ... & 12.

(d) Æneid. 8. v. 250.

Ille autem (neque enim fuga jam ſuper ulla pericli eſt)
Faucibus ingentem fumum (mirabile dictu!)
Evomit: involvitque domum caligine cęca,
Proſpectum eripiens oculis: glomeratque ſub antro
Fumiferam noctem, commiſtis igne tenebris.

Hucuſque Maro; haud ſecus quàm ſi non monſtrum, ſed omni monſtro majorem Satanam ipſum Cacodęmonem ac diabolum depingeret.

3 Deſcribitur & ſæpius idem diabolus giganteæ proceritatis aethiops. Recte id quidem, & meritò: quippe qui ſit, teſtante ſacro eloquio, (e) *Rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ.* Neque tantùm viſus ſæpè eſt piis atque ſanctis ſub hac forma, ſed etiam aliquando ipſis idolatris atque Gentilibus. Scitum eſt illud quod in Marci Bruti Vita narrat eleganter Plutarchus: *Ille enim ſecum aliquid reputans* (verba ſunt Plutarchi) *ſibi ipſi intentus, quemdam ad ſe ingredientem præſenſit: ad introitum adſpiciens, horrendam & monſtroſam aſpexit imaginem corporis feri atque terribilis, ſilentio ſibi adſtantis. Interrogare tamen eam auſus Brutus*, Τίς ποτ' ὢν (εἶπεν) ἀνθρώπων ἢ θεῶν, ἢ τί βουλόμενος ἥκεις πρὸς ἡμᾶς; id eſt: *Quis (inquit) hominum deorumvè eſt? quid heic tibi? aut quid volens ad nos veniſti?* Ad quę imago ipſa ſubmurmurans; Ὁ σὸς ὦ Βροῦτε δαίμων κακός· ὄψει δέ με περὶ Φιλίππους. *tuus*, inquit, *malus genius: in Philippis me iterum videbis. Videbo, inſit Brutus; & cum dicto imago diſparuit.* Vides ut malus dæmon ſub monſtroſa proceraque aethiopis imagine (hoc enim, ut memini, expreſsius alii notant) ipſis quandoque Gentilibus, ſuique cultoribus appareat? Verum etiam ſub æthiopis quidem figura, at non gigantis, ſed puſionis, apparuiſſe credimus harum rerum expertiſsimæ D. Tereſiæ à Ieſu. (f) *Voluit Dominus* (inquit, res ſuas ex obedientiæ pręſcripto fideliſsime narrans) *ut planè intelligerem eſſe dæmonem: quippe prope me vidi parvulum ęthiopem, majorem in modum abominandum, deſperato furore frendentem, coque jacturam faceret, ubi ſe lucrum ingens facturum ſperabat. Quem ego ut vidi, deſpectui habui, &c.* Ubi ſatis cernitur, cacodęmonem ſub aethiopis, ſed puſilli, ſpecie apparuiſſe ei, quæ ipſum, uti imbecillum, nil formidabat. Atque utraque quidem conferenti velim ignoſcat eruditus & pius lector, ſi hic perſtrictim referam, quod acutè atquę opportunè annotavit aliquando Magnus Gregorius. Ubi enim in noſtris Vulgatis Bibliis legitur, (g) *Tigris periit, eoquòd non haberet prędam*, legitur ex interpretatione Septuaginta: μυρμηκολέων ὤλετο παρὰ τὸ μὴ ἔχειν βορὰν, quæ ſic ad literam ſonant: *Myrmeleon periit, eoquòd non habuerit prædam.* Sed audiatur Mag-

(e) Job. ... 25.

... ut. in ... uto.

(f) In vita ſua, c. 31.

(g) Job. 4. 11.

(h) Div. Greg. Moral. l. 5. in c. 4. Job. c. 16.

(i) Ibid. c. 17. prop. fin.

(j) Fol. 107. p. 2.

Magnus Præsul; qui rem tùm ad literam, tùm ad mores dilucide exornat. Sic enim habet. (h) ,, Translatione ,, autem septuaginta interpretum, ,, nequaquam tigris dicitur, sed Myr- ,, micoleon, (*Lego ego Myrmecoleon*) ,, Myrmicoleon quippe parvum valde est animal, formicis adversum, ,, quòd se sub pulvere abscondit, & ,, formicas frumenta gestantes interficit, interfectasque consumit. Myr- ,, micoleon autem Latinè dicitur, ,, vel formicarum leo, vel certè expressius formica pariter & leo. Re- ,, ctè autem formica & leo nominatur; quia sicut volatilibus, seu ,, quibuslibet aliis minutis animalibus formica est, ipsis autem for- ,, micis leo: has enim quasi leo devorat, sed ab illis quasi formica ,, devoratur. Hactenus in hoc capite Divus Gregorius. Sed in sequenti cogitatum totum de diabolo interpretatus, (i) ,, Rectè, *inquit*, myr- ,, micoleon, id est leo & formica di- ,, citur.... quia nimirum antiquus ho- ,, stis sicut contra consentientes for- ,, tis est; ita contra resistentes est debilis. Et concludit paucis interjectis: ,, Aliis ergo leo est, àliis formica: quia ,, crudelitatem illius carnales men- ,, tes vix tolerant; spiritales verò in- ,, firmitatem illius pede virtutis calcant. Quæ perspicuè commonstrant, qua ratione aliis aethiops gigas, aliis verò aetiops quidem, sed pusio contemptibilis fuerit ostensus.

4 Atque hactenus quidem de figurationibus consuetis dæmonum, in quibus erroris nihil occurrit, aut saltem insolitæ novitatis. Hujus autem notam vix effugere potuit insignis præ ceteris Antifex Michael Angelus, qui, ut refert jam alibi laudatus Ioannes Andræas Gillius in Dialogo, in quo prælusit eleganter his Dissertationibus nostris, (j) cùm dæmones pingeret humana, quanvis horrenti forma, illis neque caudas attribuit, neque cornua. Hoc autem, etsi erroris multoque minus periculosi, convinci atque damnari nequeat; insolita tamen novitas est, & quam adeò vitabit cordatus quisque artifex. Pinguntur quippe dæmones humana pube tenus forma, sed cruribus deformibus, pilosis & in monstrorum varias species degenerantibus: adduntur capiti cornua, spinæque caudæ: quandoquidem totum hoc ipsorum fœditatem diritatemque non obscurè ostendit: & hac ratione non tantum à bonis Angelis, sed etiam ab hominibus, quamlibèt improbis, distinguuntur. Certè quod attinet ad cornua, legisse memini in vita Seraphicæ Matris Teresiæ à se ipsa conscripta, ostensam sibi fuisse à Deo animam miseri cujusdam Sacerdotis, tremendum idemque purissimum Missæ sacrificium in peccato lethali & deplorabili statu celebrantis, ita ut duorum malorum dæmonum cornibus stringerentur ejusdem fauces. Sed præstat ipsius Matris Seraphicæ verba referre, quæ ægrè, judice me, ad aliam, etiam Latinam linguam transferuntur, inquit enim. (K) ,, Llegando una vez à comulgar, ,, vidos demonios con los ojos del al- ,, ma mas claro que cõ los del cuerpo, ,, con muy abominable figura. Pare- ,, ceme que los cuernos rodeaban la ,, garganta del pobre Sacerdote; y ,, vi à mi Señor con la magestad que ,, tengo dicha, puesto en aquellas ,, manos en la forma que me iba à ,, dàr; que sabia claro ser ofendedora ,, suya, y entendi estàr aquel alma en ,, pecado mortal. Quod verò ad caudam spectat, id fortasse visum esse frequenter iis quibus hujusmodi simulacra apparuisse constat, nullus dubito. Fœda quippe res est, cum humanæ utcumque imagini ac figuræ appingitur, quod vel in confictis ab ipsis Gentilibus monstris, ipsi etiam annotarunt, eamque risit, aut perstrinxit Juvenalis in Chirone Centauro Achillis præceptore, qui Heroem illum, ut ferunt, Musicam & Medicinam docuit, dum inquit: (l)

——— Metuens virgæ jam grandis Achilles
Cantabat patris in montibus: & cui non tunc
Eliceret risum citharædi cauda magistri?


Addo hic, quod etiam cùm diabolus pingitur, qui certè, ut inquit Apostolus, transfigurat se in angelũ lucis, sub specie angeli boni, aut divi alicuius, aut (quod deterrimum est) sub ipsius figura Christi, quod tamen refertur contigisse ab Auctore vitę Sancti Martini; (m) rectè adscribi á cordatis pictoribus sig-

signum aliquod, quo facile ostendatur, prædictam Imaginem non Christi, non Sancti, non Angeli esse, sed diaboli: ad quod exprimendum, vel addunt capiti parva cornua, vel affingunt eidem leporinas aures, vel manibus oblongos & retortos ungues, vel pedibus denique equinam ungulam, aut quidvis hujusmodi: non quòd diabolus ipse cum corporea atque à se conficta forma atque specie se conspiciendum præbet ad illudendum seducendumque aliquem, omnia hæc à se impotens sit amoliri; sed quia effectus, quos in intuentis imprimit anima, tales sunt, ut qui non planè seduci velit, facile illusionem dignoscat; præcipuè si vera humilitate, amoreque in Deum ferventi sit præditus. Qua de re multa monent Doctores mystici.

5. Ut verò quod rem hanc proximè concernit, non omnino relinquamus intactum, admonere placet, à non malis, sed nimium incautis Pictoribus depingi diabolum sub specie & habitu sanctitatis. Vidi ego depictam Imaginem dæmonis planè sub habitu religioso Monastico, non unius tantùm, sed etiam alterius ex sacratissimis Ordinibus; & hoc in tabula, ubi refertur Christum ipsum Dominum tentans. Non improbè quidem, ut diximus, id; sed non satis cautè: præbetur enim ansa nequitiæ, & quodammodo hoc pingendi genere fovetur Lutheranorum, aliorumque hæreticorum error & impudentia, qui passim in Germania atque alibi depingere consueverunt Clericos, Monachos, venerandos Episcopos, & per summum flagitium ipsum Ecclesiæ Præsulem, sub monstrosis larvis, affictis imaginum capitibus cornibus, asininis auribus, aliisque id genus. Quod sanè non parum convenit cum larvato illo modo pingendi dæmones. Valde quidem probabile, imò mihi planè certissimum est, dæmonem, cùm Christum Dominum appetiit, humana forma apparuisse. Qua de re videri potest subacti semper judicii Auctor, Evangeliorumque præclarus interpres. (n) Neque improbabile rursus videtur sub austeriori, aut graviori etiam aliqua forma sese conspiciendum præbuisse. Sed hoc satis datur intelligi, si depingatur oblongiori aliqua rudique tunica, aut melote amictus, quin opus sit ut alia repræsententur, quibus saltem occasio datur sacros Ecclesiæ status atque Ordines traducendi.

(n) J. Maldon. in c. 4. Mat. n. 3.

6 Denique annotare, neque importunè, hic placet, quòd sæpius dum diversi dæmones tentantes & appetentes viros sanctissimos Antonium Magnum, aliosque, depinguntur, describi à nonnullis, vel omnino impudicos & turpissimos actus exercentes; vel saltem iis veluti gestibus & motibus, qui eosdem actus valde referant. Hoc autem præterquam quod satis constat ex suo genere videri turpe, vitandum est, ob imbecillitatem intuentium. Aliter enim fieret quandoque, ut quod eruditionis gratiâ proponitur, verteretur in damnum; & quæ deberent esse probitatis documenta, transirent in illecebras atque irritamenta libidinum.



LIBER

LIBER TERTIUS
DE PICTURIS
ATQUE IMAGINIBUS CHRISTI DOMINI, MYSTERIORUMQUE EJUSDEM VITÆ AC PASsionis sanctissimæ.

BREVE ANTELOQIUM.


Nihil est certè quod in scribendo me magis delectet atque afficiat, quàm rectę atq; bene institutę methodi ratio. Quamobrem, cùm res quæ in sacris veteris testamenti historiis referuntur, multis seculis pręcesserint eas quę in Evangeliis, aliisque novi fœderis narrationibus proponuntur: constitueram per prius de Picturis & Imaginibus earum rerum, quę in veteri testamento memorantur, sermonem facere, facturus postmodum de his quę enarrantur in novo. At verò re consultius inspectâ, cùm videam Imagines atque historias testamenti veteris perraras esse, contra verò frequentissimas Christi Domini, Sacratissimæ Deiparę, aliorumque Divorum imagines; decrevi ante de iis agere: præsertim cùm alia ad vetus testamentum spectantia commodiori loco ac tempori reserventur.

CAPUT I.

DE PICTURIS ET IMAGINIBUS NATIVITATIS Christi Domini: ubi si quid erroris in iis obrepsit, breviter perstringitur.

1 
Devenimus jam ad patentiorem campum, hoc est ad res proposito atque instituto nostro propiores; cùm hæc certam atque exploratam historiam contineant; aliæ verò, pręcipuè quas toto proximo libro descripsimus, majori ex parte imaginandi atque concipiendi modum respiciant. Igitur Christi Domini ac Servatoris nostri percurrenda Vita est, ea parte qua ad institutum nostrum venit referenda, ejusque Vitæ Sanctissimę gesta atque mysteria sedulò examinanda; ut si quę in iis depingendis ignorantiæ aut erroris hactenus irrepserint (& irrepserunt certè non pauca) ad historię fidem, & veritatis normam commodius exigantur.

2 Et primo sese loco offert Domini ac Redemptoris nostri Nativitas: in qua depingenda, etsi non adeò patentes atque crasi errores admittantur à Pictorum vulgo: tamen non desunt aliqui, qui hîc ut annotentur, opportunum locum exposcunt. Principio igitur: locus in quo Christus Dominus pro nostra salute nasci dignatus est, vulgariter describitur sub forma parvi atrii cujusdam domunculæ semidirutæ, in quo duo ex exeso lapide, vel ex rudi ligno duo postes, male contignatum, aut paleâ non probe munitum sustinent tectum. Quod usque adeò invaluit, maximè apud nostrates, ut locus is vernacula nostra lingua communiter audiat *el Portal de Belen*, sive atriolum Bethlehemiticum. Hoc autem, etsi pium admodum videatur, & ad pietatis

tis stimulos excitandos non parùm idoneum; re tamen patentius inspectâ, non est omnino verum, conformeque Evangelici textus historiæ, quin ob id detrahatur pietati ac devotioni aliquid: quod breuiter probare atque statuere pergimus. Certè nemo est qui nesciat Christum Dominum in urbe Bethlehem, illo etiam tempore non admodum grandi, sed ob id solùm magnis etiam urbibus majore, editum atque natum fuisse, divino quidem consilio, ut Prophetarum oracula omnino implerentur, quæ vel nolentes coacti sunt agnoscere populi doctiores atque Scribæ, ut constat ex illo quod legitur in Evangelio, ubi Herodes ille Idumæus, Magnus cognominatus ab Historicis, cognito Magorum adventu, (de quo infra) (a) *Congregans*, inquit *omnes Principes Sacerdotum & Scribas populi sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur.* Cui consultationi respondent, *In Bethlehem Judæ: sic enim scriptum est per prophetam: Et tu Bethlehem terra Juda nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.*

Mat.

3 Neque rursus ignotum est cuivis etiam indocto, occasionem præbuisse tantæ rei, quòd scilicet Christus Dominus non alibi nasceretur quàm in Bethlehem, edictum Octaviani Augusti, quo jussit, ut in quibusvis regionibus servato familiarum & cognationum ordine, quisquis esset Romano subjectus Imperio, quod ob ejus ingentem magnitudinem etiam textus Evangelicus universum orbem appellat illis verbis, (b) *Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis*: nomen suum profiteretur, eo in loco, qui cognationis aut familiæ caput censeretur. Atque ita quidem (quod opportunè viderunt docti homines pietate atque eruditione conspicui) Deus Optimus Maximus sapientiâ suâ aeternâ, quę suaviter fortiterque disponit omnia, cunctaque attingit á fine usque ad finem, effecit, ut impletioni suorum decretorum, nesciens atque ignorans obsequeretur humanus Princeps & Monarcha, quo major non erat in terra. Cuncta hæc satis constant ex ipso Evangelio, quamvis perlectis humanis historiis, nodis aliquibus & difficultatibus non careant, quas tamen hic enodare, planasque reddere non censemus hujus instituti, sicut neque de ratione Chronologica operosius annotare quidquam. Natus est igitur Christus Dominus in stabulo urbis Bethlehemiticæ, sed non fabrefacto, aut potius injuria & vetustate temporum penè collapso; sed in antro quodam in rupe excavato, quod munus stabuli ministrabat advenis, aut viatoribus. Quo quidem ut clarius fiat, sic habeto.

Luc.

4 In illis Orientis partibus antiquitus fuerunt, imo hodie etiam conservantur, publica diversoria in gratiam iteragentium, quę veteres Hebræi suo proprio nomine vocabant, infra referendo: moderni autem vulgo vocant *Carvanserais*, aut *Carvanseras*; ubi gratuitò dabantur peregrinis, advenis, aut iter agentibus, non quidem cibaria, sed tecta, quò à cœli injuriis munirentur. Et quidem ita fuisse apud veteres, ex ipsa Scriptura constat: dicitur enim in Iosephi Patriarchæ rebus gestis, quòd fratribus suis ad propria redeuntibus, ultra frumentum, quo eorum saccos impleverat, alimenta, cibariaque dari jusserit, quę sat essent ad viam, illis verbis: (c) *Jussit ministris, ut implerent eorum saccos tritico, & reponerent pecunias singulorum in sacculis suis, datis supra cibariis in viam.* Quod amplius confirmatur ex eo, quòd eorum aliquis in uno locorum, quę nuper memoravimus, aperuit saccum, ut daret pabulum jumento: sic enim habet: (d) *Apertoque unus sacco, ut daret jumento pabulum in diversorio, contemplatus pecuniam, &c.* En diversorium, ubi neque jumentis quidem dabantur pabula alimentavè, sed tantùm viatoribus, quàm jumentis tectum, quo tuti forent à cœli temporisque injuriis. Cui rei certè allusit Jeremias Propheta illis verbis: (e) *Quis dabit me in solitudine diversorium viatorum, & derelinquam populum meum? &c.* Ubi Hebraicè habetur, מְלוֹן אֹרְחִים *Melon orchim*, quod ad literam redditur: locus ad transigendam noctem, è particula scilicet, vel litera *Mem* heemantica, subjecto *scheva* mobili, è verbo *lon*, quod significat noctem transigere. Quod totum repræsentaretur exactius & peritius ipsis Hebraicis characteribus: sed his carent typographię nostræ; & ut aliqui tandem inveniantur, tam difficile est typographis

(c) Gen. 42. 25.

(d) Ibid. v. 27.

(e) Jerem. 9. 2.

phis eos versare, quàm Malavaricos, Persicos, aut Copticos. Quod quidem ad alia similia, quæ fortè sese offerent, animadvertere placuit: ita enim sunt res nostræ. Hodie verò in usu esse frequentissimo prædicta loca, quæ *Carvanseras* nominant apud Orientales populos, nemo est qui nesciat, qui Viatorum narrationes etiã exactissimas tantisper evolverit.

5 In uno ergo horum, quod erat in urbe Bethlehemitica, & ut satis colligitur, unicum, natus est Christus Dominus; imo, ut verius loquamur, non in illo: cùm dissertè constet ex ipso Evangelio, non invenisse Mariam & Josephum locum in diversorio, occasione frequentissimi numeri viatorum illuc concurrentium: sed intra, aut prope illud; in antro nempe, in rupe excavato, satis amplo (ut statim videbimus) quod deserviebat bestiis atque animalibus excipiendis; habebatque, ut par erat credere, quamvis Evangelium id reticuisset, præsepium: in quo, & non in aureis cunis aut eburneis repositus est mundi Conditor à Matre Sanctissima. Hanc cavernam, hocvè antrum, hodie conservari tradunt, qui partes illas religionis pietatisque, aut etiam discendi studio perlustrarunt: Ajuntque constare non minus quadraginta pedes in longitudinem duodecim in latitudinem, & in altitudinem quindecim: cujus ingressus erat, ut iidem referunt, ad plagam septemtrionalem urbis. Ex quibus plane liquet locus in quo Christus natus est; & quod non fuerit, ut vulgò pingitur, atriolum fabrefactum, & vetustate temporum penè consumptum.

6 Iam quod Christus Dominus in infantili ętate depingatur à plerisque Pictoribus omninò nudus, error est non ferendus. Etenim, præterquamquod non bene hoc cohęrebat cum pietate Matris eximiæ in regione & statione temporis, quamquam non nimiùm, sat tamen frigida; ut taceam mysterii reconditiorem significantiam, qua, ut inquit vetus sapiensque Ecclesiæ Pater, (f) *pannis obvolvitur, ut scissam humani corporis unitatem suo redimeret in corpore*: Dissertè hic pingendi modus adversatur Evangelio, quod de Maria Sanctissima loquens, (g) *Peperit*, inquit, *filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in pręsepio; quia non erat eis locus in diversorio.* Quod rursus ore Angeli ad Pastores loquentis confirmans, *Et hoc vobis*, ait, *signum: invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio.* Quam rem pio semper, ut par est, affectu Christianæ animæ contemplandam eleganter descripsit pius & elegans Poëta Christianus, ex quo Ecclesia tota sibi desumpsit, illis versibus:

> *Vagit infans inter arcta*
> *Conditus præsepia:*
> *Membra pannis involuta*
> *Virgo Mater alligat:*
> *Et Dei manus, pedesque*
> *Stricta cingit fascia;*

ut proinde vix aut ne vix quidem excusari valeant Pictores, Sculptoresque, qui Christum Dominum in præsepio jacentem nudum omninò depingunt. Pannos autem illos, sive panniculos, non pretiosos quidem, sed vulgares potiùs, & quamquam non sordidos, viles ac rudes fuisse, quis nesciat? Plena sunt Patrum testimonia. En unum vel alterum. Cyprianus (i) *Panniculi*: inquit, *pro purpura, pro bysso in ornatu regio laciniæ congeruntur.* Beda *Et notandum*, ait, *solertius, quòd signum nati Salvatoris datur, infantem non Tyrio excoptum ostro, sed pannis squallentibus involutum; non in ornatis auro stratoriis, sed in præsepibus inveniendum.* Bernardus (j) pie juxtà atque eleganter: *Nasciturus itaque Dei Filius, cujus in arbitrio erat, quodcumque vellet eligere tempus; elegit quod molestius est, pręsertim parvulo, & pauperis matris filio, quę vix pannos haberet ad involvendum, præsepe ad reclinandum. Et cùm esset tanta necessitas, nullam audio pellium fieri mentionem. Primus Adam pelliceis vestitur tunicis, pannis secundus obvolvitur. Non est tale judicium mundi. Aut iste fallitur, aut mundus errat.* Quod ideo duxi commemorandum, ut etiam Pictores in hoc adumbrando mysterio, humilitatis hujus & paupertatis Christi meminerint.

7 Quòd verò attinet ad id quod circa præsepium ipsum duo muta animalia, bos scilicet & asinus, aut potius ex vulgari Pictorum more, bos & mula sæpè depingantur; non desunt aliqui, quibus id tamquam non sat

(f) Theophil. Patriarc. Antiochen. Commét. in Evagn. l. 1. t. 1. Bibliot. Vet. Pat. c. mihi 350.

(g) Luc. 2. 7.

non sat certum, ut pote non petitum ex Historia Evangelica, minus arrideat. Sed ego eos ridendos facile putaverim, qui vel ad negandas, vel ad dubitandas res admissas omnium penè doctorum atque piorum consensu, perducuntur levibus argutiis. Principiò enim, ad id astruendum favet Isaiæ Prophetæ textus, illis verbis: (l) *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui.* Quæ verba, licèt ad alium magis obvium, ut videtur, & communem sensum sat commodè possint referri; sufficit tamen quòd in rem hanc piorum, doctorumque hominum judicio, & quidem non absurdè, transferantur: eorum scilicet qui quidem adaptant hoc Isaiæ vaticinium Puero Iesu recèns nato, in præsepique jacenti, & ab animalibus bove & asino muta quadam reverentia recognito atque adorato. Videantur Divus Augustinus, (m) Ambrosius, cujus ea sunt verba: (n) *Infantis audis vagitus, non audis bovis Dominum agnoscentis mugitus: agnovit enim bos possessorem suum, & asina presepe Domini sui*: Origenes, (o) aliique, quos propriis productis testimoniis allegat & laudat Leo Castrius: (p) quamquam impudentia sibi familiari omnes irrideat, sub sanctique Calvinus ipse, in hoc, sicut in plerisque aliis rebus deridendus, aut potius Christiana Charitate deplorandus & miserandus, ut refert Cornelius Alapide. Certè Prudentius, elegans, quidquid alii garriant, pius, &, quod non postremum est, Hispanus Poëta, ad hoc ipsum allusisse videtur, cùm ita cecinit (q)

(l) Isai. 1.

(m) Aug. Ser. sive ... ar. con- Judęos 13.

(n) Div. Ambr. in Luc. c. 2. Vol. mihi 540.

(o) Orig. Hom. 13.

(p) Leo Castr. in Isai. c. 1. p 3.

(q) Prud. in Cath. Hymn. XI de Nat. Christ.

O sancta præsepis tui,
Æterne Rex, cunabula,
Populisque per sæclum sacra,
Mutis & ipsis credita!
Adorat hæc brutum pecus;
Indocta turba scilicet,
Adorat excors natio,
Vis cujus in pastu sita est.

8 Sed expressius favent atque dissertius alterius Prophetæ verba, ubi juxta versionem Septuaginta Interpretum ita legitur: (r) *Domine, audivi auditum tuum, & timui: Domine, consideravi opera tua, & expavi. In medio duorum animalium cognosceris: cùm appropinquaverint anni, innotesces. Cùm advenerit tempus demonstraberis.* Illa verò quæ huc magis referuntur; *In medio duorum animalium cognosceris*, ita in Gręco habent: ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωσθήσῃ quæ quidem licèt alii alio referant, ad rem nostram propiùs deflectere operæpretium est. Atque in primis subtile magis, quàm verum est id quod adnotavit Eusebius, (f) probavitque postmodum Theophylactus; scilicet, non esse legendum ἐν μέσῳ δύο ζώων, acuto accentu locato in prima syllaba, quod significat: *In medio duorum animalium*; sed ζωῶν, vltimâ circumflexa: quod est, *in medio duarum vitarum*: *Quia cognitus est*, inquit, *Christus veniens in mundum duas vitas habens; alteram æternam atque divinam, mortalem alteram & humanam.* Hoc igitur omisso, admissoque, ut par est, illorum verborum usu *In medio duorum animalium*, ut constet huic rei quam tractamus, quàm bene & convenienter adaptentur: Hoc primùm dicam: Neque negare nos posse, neque debere, Septuaginta Interpretes in plerisque mysteriis Christi amplius atque amplius elucidandis illustratos fuisse afflatu Spiritus Sancti. Qua ratione Apostolos eorum fuisse usos Translatione, sæpius occurrit, cùm scilicet de Christi abditioribus mysteriis agebatur. Quoniam eadem quæ interdum Hebraicè non tam patenter, sed aliquantisper obscurè dicta sunt, ab his planius & luculentius proponuntur: adeo ut non tam rem futuram prędicere videantur, quàm commemorare præteritam. Et hac de causa aliqua interdum, majoris explicationis gratiâ, nonnihil, sensu tamen servato, commutant; alia in eamdem rem, veluti de suo addunt. Probari id poterat variis exemplis: sed sat fuerit pro multis illud, quod desumitur ex Psalmo XCV. v. 10. *Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit.* Ubi Septuaginta Interpretes non absque cœlesti afflatu prævidentes, regnum hoc Christi per Crucem stabiliendum esse, addiderunt *A ligno.* Sic enim illos scripsisse non dubito, quanvis hodie in Versione Septuaginta, adhuc in ipsis Græcis exemplaribus, quos mihi hucusque videre licuit, non existat: sed tamen extitisse aliquando, manifestum est. Etenim ita scribitur in Psalterio veteri ac Romano, & ita lege-

(r) Habac 3.

(f) Euseb. De Dem. Evangel. l. 6. c. 15.

runt Arnobius, Augustinus, Casiodorus, Haimo, Cyprianus, Leo Magnus, Gregorius, Isidorus, aliique passim, quos laudatos, allegatosque, sequitur magni, in hac præsertim re, nominis Author. (t) Sed quid in his recensendis immorari convenit? cùm id apertè habeat, & receperit Ecclesia in Hymno Crucis, illis nempe verbis:

(t) P. Ioan. Lorin. ad hunc loc. tom. 2.

Impleta sunt, quæ concinit
David fideli carmine,
Dicendo nationibus,
Regnavit à ligno Deus.

quæ eadem in Versiculo Commemorationis Sanctæ Crucis, quæ fit toto Paschali tempore, illud habet: *Dicite in nationibus, quia Dominus regnavit à ligno.* An autem in Hebraico Textu extiterit, longioris discussionis res erat, adeoque non hujus loci. Videatur laudatus Author: mihi enim, quod ad præsens attinet, magis arridet sententia docti Francisci de Ribera, (u) ut probetur sacros illos Interpretes particulam illam *à ligno* non temerè, sed inspiratione quadam ductos prudenter addidisse.

(u) Franc. de Ribera ad hunc loc. Habacuc.

9 Quo præjacto, illud *In medio duorum animalium* Augustinus Parens nonnullis in locis, sed magis dissertè *in Oratione contra Judæos, & Paganos* (x) exponit de Christo jacente in præsepio, cui adstant animalia duo, bos scilicet & asinus: ea enim sunt Magni Parentis verba: *In medio inquit duum animalium innotesces opera tua Deus: Verbum caro factum est. In medio duum animalium cognosceris.... quia Verbum per quod facta sunt omnia, in præsepio jacuisti. Agnovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* Sed nil opus verbis. Etsi enim idem Magnus Doctor, tùm hic, tùm etiam alibi interpretetur illa nomina, *duorum animalium*; aut de duobus testamentis veteri & novo; aut de duobus populis, Hebraico atque Gentili; aut etiam de duobus latronibus in Calvariæ monte ab utroque latere Christi hinc inde collocatis, quod postremum approbare visus est Hieronymus: Tamen ut simplicius intelligantur de duobus animantibus juxta præsepe Christi positis, via est paratior planè atque commodior. Quocirca in Ecclesiasticis Officiis (quod mihi, & cuique corpdato magni ponderis loco est) alma, atque ab ipsis Apostolis erudita Mater jam à multis seculis huic interpretationi sensuique adhæret. Ita enim habet in Officio Circumcisionis: *Domine, audivi auditum tuum, & timui; consideravi opera tua, & expavi: in medio duorum animalium, jacebat in præsepio, & fulgebat in cælo.* Et in Officio Nativitatis: *O magnum mysterium, & admirabile sacramentum, ut animalia viderent Dominum natum jacentem in præsepiò!* Quare maneat, ut ab omni erroris labe liberum atque immune, ut animalia illa, bos nimirum & asinus in pictura Nativitatis Christi proponantur: facessantque proinde, aut non piorum deliramenta, aut nasutorum hominum argutiæ.

(x) C. 13.

10 Quòd verò ibidem pingatur obstetrix, quæ in illo ministerio inservierit Beatissimæ Virgini, absurdum est, & error nullo modo ferendus, ut jam supra notatum relinquimus. * Quippe Sacra Deipara in intemerato partu neque obstetrice usa est, neque ulla eguit. Ego quid hujusmodi numquam vidi depictum, sed fuisse nullus dubito: nam Petrus quidam Richardus (Auctor mihi hucusque non cognitus) in libro de Passione Petri, Pictores quosdam observat contra historicam veritatem, imò contra pietatem, Fidemque ipsam, obstetricem Divæ Virginis expansis manibus solitos esse depingere. Neque id nimium mirari subit: Suidas enim non omnino contemnendus Auctor, etsi frequenter nimis credulus; quamquam non expressè dixerit Mariæ Deiparæ adstitisse obstetrices parienti, quod illi sapiens scriptor videtur appingere: (y) Tamen illam recognovisse, ejusque virginitatem explorasse, quadam narratiuncula asserit; cujus en verba: (z) *Sacerdotes his auditis, fideles obstetrices venire jusserunt, iisque mandarunt, ut accuratè perquirerent & explorarent, an adhuc verè virgo esset Maria. Illa verò, ex ipsis rebus accepta plena certaque cognitione, virginem eam esse affirmarunt.* Sed, ut mittamus Suidæ fabellam; quòd Sacratissimæ Virgini obstetrices affuerint in partu, error est, ut dicebam, nequaquam ferendus, quemadmodum docent uno agmine Patres, ut supra notatum relinquimus. * Quo fit, ut non modo mihi admiratio-

tionem, sed etiam stuporem injecerit, quòd paulò ante laudatus Poëta, pius æquè ac doctus Prudentius hunc ipsum, quem retulimus rejecimusque errorem supponere planè videatur, cujus ea sunt verba: (a)

(a) Prud. h. XI. Nativ.

Hunc, quem latèbra, & obstetrix,
Et Virgo fœta, & cunulæ,
Et imbecilla infantia
Regem dederunt Gentibus, &c.

Nempe irrepsit viro pietate doctrinaque insigni falsa imaginatio: absit enim ut dixerim error: Nam neque ignoravit Mariam Deiparam ab Ecclesia, sanctisque Patribus habitam, atque æstimatam semper fuisse virginem: neque minus aliquid sensit in oppositum, ut fecerant Ebion & Elvidius. Hoc tamen eo fine subnotare placuit, ne cui minus cauto viri tam celebris imponeret auctoritas.

11 Denique quod Sanctus Joseph in Christi Nativitatis tabulis depingatur senex innixus baculo, & veluti à longe recens natum puerum conspiciens; ineptum omnino est, ne quid dicam gravius. Quòd enim depingatur omnino senex, error est suo loco notandus: (*) totum verò reliquum prorsus ineptum. Satius enim esset, longeque magis pium, depingere illum cum Maria Sponsa genuflexum, Puerumque Mundi Opificem recens natum adorantem: præsertim cùm id, si bene ponderentur verba, multò magis congruat Evangelio, ubi de Pastoribus Christum adorantibus dicitur: (b) *Et invenerunt Mariam, & Joseph, & Infantem positum in præsepio.* Ubi Mariam & Josephum, quasi idem agentes, & veluti idem Homini-deo recens nato præstantes obsequium, videtur datâ operâ conjungere. Alia verò, quę ornatus causâ ibidem adduntur à Pictoribus, ut sunt munuscula rustica, aut pastoralia, oblata ab ipsis Christo; nil erroris, imò neque ineptiæ continet; quare reprehendendæ non veniunt, si tamen in his (quod fieri in omnibus convenit) modus servetur. Circa revelationem verò hujus mysterii factam Pastoribus ab Angelo, quam sæpius vidimus depictam, & quidem eleganter; cum nulla ferè occurrent, de quibus admonere Pictores necesse sit, differendum mihi non arbitror: quippe qui non susceperim scribere Commentaria, sed tantum admonitiones opportunas Pictoribus minus eruditis.

(*) Lib. V. p.X. n.

(b) Luc. 2. 16.

CAPUT II.

DE PICTURA CIRCUMCISIONIS CHRISTI Domini: & de crassis, prorsusque imperitis erroribus, qui in hoc mysterio repræsentando admittuntur à non alioqui indoctis Artificibus.



1 IMMANIA profectò sunt, quæ propter rerum aut nullam cōsiderationem, aut non exactam, & traduntur à provectioribus, & à pueris ipsis edisciuntur; ut proinde præclarè dixerit poëta, morum haud malus institutor; (a)

Plurima sunt, Fuscine, & fama digna sinistra,
Et nitidis maculam, ac rugam figentia rebus,
Quæ monstrant ipsi pueris, traduntque parentes.

(a) Juvenal. sat. 14.

Hoc verò vel maximum mihi locum habere videtur in eo, quod suscepimus instituto, pictura Circumcisionis Christi Domini. Quippe Pictores nostri, qui aliquando audierunt Legis veteris circumcisionem quodammodo æquivalere Legis Gratię Baptismo, ipsi assueti in Ecclesia cernere celebrari Christi Sacra, & præcipue Baptismi Sacramentum; miris modis

Circumcisionis Christi Domini historicam narrationem effingunt, aut potius dilacerant. Et quidem tribus pręcipuè in rebus errores admittunt imperitos circa hoc mysterium depingendum: nempe *in loco, in ministro, & in instrumento.* Quapropter cùm res hìc magni, siqua alia, momenti agatur, operæpretium erit disserere de singulis.

2 Quod enim ad locum attinet (cujus quidem rei nonnihil supra memini me dixisse *) Pictores magni prorsus nominis, ac celeberrimi, depinxerunt Circumcisionem Christi, quæ fieret in Templo, & coram ipsa Virgine Deipara. Quod totum, si penitius inspiciatur, errorem continet, non minus quàm contra Evangelium, adeoque Catholicam Fidem. Ex Evangelio quidem certum est, quamvis id pauculis verbis Sacer Historicus perstrinxerit, Christum Dominum circumcisum fuisse octavo die nativitatis, aut ipso expleto. Sic enim habet: (b) *Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus*; satis innuens eodem tempore circumcisum fuisse: tùm quòd nomen in ipsa Circumcisione puero per Legem moresque imponebatur; ut constat ex ipso Evangelio in nativitate Baptistæ dicente, (c) *Et factum est in die octavo venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam*: Tùm etiam quòd hoc expressa lex erat, cujus ipse Conditor homo factus se præstitit observantissimum; ita enim habet: (d) *Et die octavo circumcidetur infantulus.* Atqui neque ipse puer Jesus, neque ejus Sacratissima Mater ingressi sunt in Templum (quod unicum erat pro tota gente in Jerosolymis) ante diem quadragesimum à sacro & intemerato partu: tùm quia id vetitum Lege erat, ut dissertè constat ex sacris literis ita docentibus; (e) *Ipsa verò* (de puerpera loquitur) *triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Omne Sanctum non tanget: neque ingredietur in sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suæ.* Statimque, *Cùmque impleti fuerint dies purificationis suæ, &c.* Tum etiam quòd neque hoc omisit Evāgelista, qui ita habet: (f) *Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini.* Ergo relinquitur collectione atque illatione legitimâ omninò erroneum esse, atque contra ipsius Evangelii Fidem, repræsentare vulgi oculis factam aut celebratam Christi circumcisionem in Templo. Patens profectò ex Scripturę & Evangelii verbis fit hæc conclusio: adeò, ut qui ejus certitudinem veritatemque luce meridiana clariorem non videat, stipes & truncus sit, aut rudior stipite atque trunco. Taceo prudens alia, quæ in hoc mysterio depingendo ac repræsentando adjunguntur à Pictoribus; & quæ

——*Velut ægri somnia, vanę*
Finguntur species: ——

Taceo enim Templum insolitis planè, atque ingentibus fultum columnis, & (quod caput est) humanis, integrisque per parietes ornatum statuis: de quo alius fortasse dicendi locus erit. * Taceo Sacerdotem, & quidem summum, ut ipsi conantur effingere, depictum: de quo statim. Taceo pueros genuflexos, cereos præ se ferentes, ipsosque rubris indutos syrmatibus, & superindutos tunicis albis, quas nos vocaremus *Roquetes*: aliaque sexcenta hujus furfuris, quæ dinumerare hìc nil opus est; quando ex dictis satis superque constat, errorem crassissimum esse depingi Circumcisionem Christi veluti gestam aut celebratam in Templo.

3 Igitur cùm ea, quæ falsa sunt, planeque absurda rejecerimus, superest ut statuamus quæ vera sunt, aut longè magis verosimilia. Qua in re Circumcisionem Christi Domini factam esse in ipso antro, aut caverna Bethlehemitica, longe mihi videtur probabilius. Etenim sanctissima Deigenitrix, quæ in omnium oculis se gerebat, atque præstabat præscriptorum Legis à Deo quondam latę firmiter observantissimam; totis illis septem diebus, qui à virgineo partu diem Circumcisionis præcesserant, quamvis ipsa esset munda puraque; imo (ut ita dixerim) munditiâ ipsâ ac puritate mundior ac purior; se gessit in omnium oculis ut immunda. Immundæ autem feminę, veluti ejus quæ fluxum menstruum patiebatur, toto illo quo perdurabat tempore, lex

* Lib. 1. c.1.n.3.

(b) Luc.2 21.

(c) Luc.1. 59.

(d) Levit. 12.3.

(e) Ibid. v.4.

(f) Luc.2. 22.& 23.

Horat. in Arte. poët.

lex erat, ut maneret ſeparata, & veluti ſegregata ab omnium conſortio: quippe quæ quolibet ſui contactu cuncta fœdaret inquinaretque; ſive ſenſibile eſſet, ſive inſenſibile. Quocirca non fit veroſimile, virginem humillimam atque ſanctiſsimam voluiſſe ab eo ipſo loco, quantumlibet incommodo atque abjecto, in quo Chriſtum pepererat, pedem efferre, toto illo tempore quo putabatur immunda. Addo, quod ipſa Magorum adoratio (de qua inferius) facta eſt, ex mente non paucorum ex Patribus, in eodem ipſo Nativitatis loco, (g) ſive in ipſo antro aut receſſu diverſorii Bethlehemitici: multò igitur magis, (juxta hos ſaltem) Circumciſio Chriſti, quæ planè prior adoratione Magorum fuit. Longè id, inquam, mihi probabilius, quamquam non omnino exploratum atque certum. Neque enim improbabile eſt, ceſſante per octo dierum ſpatium populi frequentia, qui ratione occaſioneque deſcriptionis convenerat, diſceſsiſſe Mariam cum puero Jeſu, ſanctoque Joſepho, vel ad unam oppidi domunculam, vel ſaltem ex illo loco belluis deſtinato, ad alium ipſius diverſorii minus humilem, minuſque incommodum. Quod agentes de Magorum adoratione, amplius, Deo favente, elucidabimus. Quare quod attinet ad locum Circumciſionis Dominicæ hæc ſatis fuerint, ut longè ſaltem eliminetur error eorum, qui eamdem factam in Templo depingunt.

(g) Vid. ...t. Mar. Colloq. Triph. ...ryſoſt. ...m. in ...tth. 7. ...th. Op. perf. ...m. 2. ...g. ſer. & 2. de ...iph.

4 Quod verò attinet ad Miniſtrum hujus myſterii, & primi Chriſti humanitatis cruenti ſacrificii: error in primis eſt quod deſcribatur à Sacerdote ſummo inſignibus perornato Sacerdotis ſummi. Error eſt hoc, merumque pictorum ſomnium: nihil enim horum præſtabat ſummus Sacerdos, ut noverit quilibet, etiam infra mediocritatem eruditus: imo ne Sacerdos quidem aliquis; cùm hoc neque deducatur, neque deduci poſſit ex ſacra Scriptura, neque populi uſu aut conſuetudine: cùm etiam de hoc altum ſilentium ſit apud Judæorum doctores magiſtroſque quoſque eruditiſsimos. Imò Judæi, qui ſuorum morum atque inſtitutionum ſunt, quantum valent, ubique locorum retinentiſsimi; hodie in regionibus aut partibus, in quibus libertas illis eſt religionem ſuam, imò damnatam jamjam, mortiferamque ſuperſtitionem, exercendi, miniſtros ad id muneris deputatos habent, quos Sacerdotes nullo modo putant: illos autem *Mobeles*, aut *Mobelos* vocant, ſuntque hujus operationis exercendæ peritiſsimi, illam ab aliis in arte exercitatis addiſcentes. Totum hoc magna ſaltem ex parte illuſtrari poterat ex Evangelio loquente de circumciſione Baptiſtæ, loco quem ſuperius annotavimus. * Sed res certior eſt, quàm ut multa expoſitione indigeat: præterquamquod de ea inferius redibit ſermo. Stabilito ergo quòd Miniſter Circumciſionis Chriſti non fuerit ſummus Sacerdos, qui unus omninò erat in tota Judæorum gente, quod eſt certiſsimum, & propè, ſi bene res perpendantur, de Fide: imò ne Sacerdos quidam alius, quod facile etiam conſtat: inquiritur, quis miniſter fuerit Circumciſionis Chriſti?

*Sup. n. 2.

5 Relicta ut minus recepta, certè minus plauſibili ſententia, quæ adſcribit Sancto Joſepho immaculatæ nempe Virginis ſponſo, hujus myſterii in Chriſto operationem; potior mihi præ aliis omnibus viſa eſt aliquando ſententia, non alias omnino manus fuiſſe miniſtras hujus tenerrimi ſacrificii circumciſionis Chriſti Domini, niſi ejuſdem Beatæ atque immaculatæ Virginis. Hanc ſententiam aliquando ſumus amplexi, illamque ex ſacro ambone declamantes (h) docuimus populum, probare niſi ex Patribus Hieronymo, Bernardo, aliiſque; (i) videlicet ut pietati ac devotioni nimis conformem. Quin & ob hoc quidem aliquando cum non ſine magnorum virorum exemplis Latinas Muſas, præſertim in rebus ſacris coleremus, eumdem ſentiendi atque opinandi modum ſequuti ſumus verſibus Hendecaſyllabis, quos hìc tranſcribimus; cùm præſertim eos facilè præterire poſsit lector, qui poëtices non teneatur ſtudio. Ipſi autem ita habent.

(h) In Aſceter. Sãctimonia. Ordinis S. Bernardi, Salmanticæ 1703.
(i) Quod cõſtat ex ſermonibus editis Matriti 1720. ſer. 9. pagin. 215.

Plorat parvulus, heu parens! puellus
Plorat octiduus tenellus Infans;
Plorat, ejulat, & gemit, tremenſque

Fan-

Fundit lacrymulas venustiores;
Quàm Gangeticus amnis uniones;
Quàm vel Occiduum fretum lapillos;
Infans candidulus, tener, decorus,
Infans cælitibus decus beatis,
Et qui prænitidi micans Olympi
Uno sidera continet pugillo:
Nunc inter paleas jacens rubentes,
Flendo turgidulis rubens ocellis
Spargit lacrymulas amariores,
Quàm carpunt salices leves capellæ;
Quàm blando Cytisos apes susurro
Libant, dum placida vagantur umbrâ;
Ast nunc optima Mater hic serenæ
Lucis sidereæ decor leporque,
Et terror pariter potens Averni,
Quem sanctissima plus parens benigna
Castis ipsa tuis amas ocellis,
Quem plus visceribus facis pudicis,
Quæris quem timeat, trematque totus?
Ah si dixero! Sed tamen tacete
Tristis Fabula, fictio, theatrum,
Et quidquid veteres avent Tragœdi;
Et vos este procul scelus, nefasque,
Natorumvè madens manus cruore.
Non hic Tantalico locus furori,
Non hic Phasiacæ manet parenti,
Non Pandioniæ sororis iræ:
Totum nam pietas amorque poscunt:
Te, Mater, timet hic puer severam;
Heu! nimis Domini Deique nostri
Addictam rigidæ, vel obsequentem
Legi, non equidem sibi, sed acri
Prolatæ veteri semel colono.
Et jamjam niveam videt, tremitque
Acuto pavidam nitere cultro
Dextram, qua sibi cernit imminere
Vulnus, quod putridis potest abundè
Nostris ictibus efficax mederi.
Quare sustineas, puer, precamur
Matris virgineæ manum cruentam:
Hæc te res memorem juvabit olim.
At tu, quandoquidem lubet decetque,
O nostri generis, decor, corona,
Fac id quod placitum est: tamen memento;
Tuum hunc puerum, ferire quem vis,
Quanto jure putemus esse nostrum.
Quod si nil genitrix beata tristi
Nostro forsitan angeris dolore;
Saltem parce tuo, videns ut altè
Plorat parvulus, heu parens, puellus.

6 Sed & insuper hæc sententia seriò probari poterat ex eo, quòd in Scriptura constet; matres aliquando ipsas filios suos circumcidisse. Tale est quod de Sephora refertur, illis verbis: (j) *Tulit illicò Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium filii sui.* Et ne per alia divagemur, simile est quod refertur in Machabæorum gestis, quod ita habet: (k) *Duæ enim mulieres delatæ sunt natos suos circumcidisse: quas infantibus ad ubera suspensis cùm publicè per civitatem circumduxissent, per muros præcipitaverunt.* Ergo cùm novum non sit, matres in filiis suis hòc man-

(j) Exod. 4. 25.

mandatum circumcisionis exercuisse, sat probabile videtur, non ministrum alium, quàm Matrem longè purissimam atque sanctissimam hoc idem in filio suo exercuisse, qui Filius pariter erat Dei: præsertim cùm ex hujusmodi actione haud parùm Mariæ pietas & erga Deum reverentia atque obedientia prædicari atque commendari videatur. Præterquamquod hanc eamdem opinandi viam, ut supra innuimus, amplectuntur ex Patribus Hieronymus, (l) sive quisquis est, vetus certè & eruditus Auctor tractatus de vera circumcisione ad Therasiam; Bernardus, tractatu de Lamentatione Virginis, (m) aliique fortassis, quos hucusque non vidimus. Ex interpretibus autem Scripturæ, certè impensè doctus Pater Sylveira, Carmelita, hanc dicit recentiorum Doctorum esse communem. (n) Itaque eamdem, veluti communem, & non tantùm plausibilem, sed veriorem etiam, amplectitur non semel laudatus, atque huic nostro instituto confirmando perspicax & idoneus testis: est enim ipse Pictor eruditus, Franciscus Pacciecus Hispalensis, qui sententiam hanc utraque, quod ajunt, ulnâ lubens amplectitur, pro eaque allegat non solùm interpretes & Theologos, sed doctos etiam aliquot viros Societatis, inter quos esse poterat plurium instar P. Ioannes de Pineda. Videatur hic Author loco quem indigitamus ad marginem. Sed quoniam in hoc loco solidiorem planioremque intendimus inire viam, relicta etiam in sua probabilitate sententia hac, utcumque plausibili atque pia; asserimus ut longe probabilius, Christi Domini Circumcisionem factam fuisse à Ministro aliquo publico, ex his qui erant ad id muneris destinati; insuper & assistentibus ex populo, aut senioribus aliquot, aut ut minimum gravibus viris. Hoc enim semper in usu erat in consuetudine, ut modò etiam est hodie. Duo enim in Circumcisione quærebantur. Primum: quòd operatio fieret citra infantis tenerrimi periculum, ab homine hujusmodi operationis exercendæ satis perito. Deinde, quòd fieret coram testibus fidei incorruptæ, & minimè suspectæ; quales erant, aut senes civitatis, aut ut minimum viri, qui ætatis tricesimum annum jam excessissent. Quos certè credere par est, haud difficile fuisse invitare atque advocare Sancto Josepho, in urbe aut oppido unde ipse trahebat originem. Totum hoc illustrari, probarique posset ex eorum scriptis, qui res Judaicas moresque notarunt, atque observarunt accuratius. Sed hæc aliis relinquamus exacte discutienda. Omnibus enim sat esse potest Evangelii textus loquentis de circumcisione Baptistæ, quod sic habet (o) *Et audierunt vicini & cognati ejus*, (scilicet Sanctæ Elisabethę) *quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, &c.* Et statim subditur: *Et factum est in die octavo venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam.* Ubi satis in oculos incurrit quod dicitur, *Et venerunt*; hoc est, non minister solùm, sive is cujus manu peragenda erat circumcisio; sed alii, & quidem non pauci, ex vicinis nempe atque cognatis, de quibus evidens sermo est: ut propterea vel ex hoc uno solo omne dubium amputetur ad credendum, circumcisionem Domini factam fuisse à Ministro exterius advenient, non sine præsentia aliquorum ad idem adventantium, & coram ipsâ Virgine purissima, sanctoque Josepho, qui pater ejus putabatur: ut probari etiam posset ex paritate desumpta circumcisionis Præcursoris Baptistæ. Quare hic, quod ad locum & ministrum attinet, erit erudito Pictori pingendi & delineandi potissimus modus ab omni erroris suspicione longissimè immunis.

7 Quod denique ad instrumentum spectat; creditum est, non vulgò tantùm, sed aliis, qui ob eruditionis nomen doctrinęque, secernuntur à vulgo, instrumentum circumcisionis Christi Servatoris cultrum fuisse lapideum, aut novaculam factam ex petra sive ex chalybe. Hujus sententiæ fundamentum est, quòd instrumentum quo Sephora filium suum circumcidit, acutissimam petram fuisse, dissertè constat ex lectione nostra Vulgata, verbis illis supra relatis; *Tulit Sephora acutissimam petram, & circumcidit prępulium filii sui.* Quod idem probatur ex præcepto dato Josue, quo dictum est: (p) *Fac tibi cultros*

Marginal notes: (l) ...m. 9 ...20. ...mihi ... Sub ...nit. — (m) ... — (n) Sylv. ...1. in ...uęst. ...3. — Pacc. ...b. *Ar-* *de la* *ura*, ...508. — (o) Luc. 1. 59. — Exod. 4. 25. — (p) Iof. 5. 9.

tros lapideos, & circumcide secundo filios Israel. * Sed habita quæ par est reverentia Versioni Vulgatæ, viri sunt pii atque orthodoxi, qui non sibi facile persuadeant, circumcisionem factam à Sephora, vel ab ipso Josue, fuisse in rigore literæ factam cultris proprie loquendo lapideis; sed novaculis, cultrisve ferreis probè acutis & fabrefactis. Quod probant: tum quia tempore ipso Moysis & Josue satis superque notus erat usus ferri atque chalybis, gladiorum, novacularum, cultrorum, & id genus omnium: cùm ab ipso penè mundi exordio constet, quod Tubalcain fuerit *malleator & faber in cuncta opera æris, & ferri.* (q) Et in ipso deserto leges latæ sunt populo, quæ satis supponere videntur ferri, gladiorumque usum; ut est illa: (r) *Si quis ferro percusserit*: & illa quæ loquitur de ferro securis, illis verbis; (s) *Et in succisione lignorum securis fugerit manũ, ferrumque lapsum de manubrio amicum ejus percusserit.* Insuper & non multo post tempore sermo est de novacula radente pilos, quæ profecto fieri ex petra, vix aut ne vix quidem concipi potest. Quocirca Samson de se ipso loquens, (t) *Ferrum*, inquit, *numquam ascendit super caput meum.* Jam quod attinet ad Scripturæ verba, reponi illud posset, quod dictio illa, *Tsur*, quę sæpè denotat petram aut silicem, sæpius etiam significat id quod acutum est atque scindens; proindeque gladium, cultrum, vel novaculam probè atque affabrè cote exacutam. Quod, ne per multa abeamus, illustrari satis potest ex illo psalmi, (u) ubi dum dicitur in Vulgatis nostris, *Avertisti adjutorium gladii ejus*, Hebręa ita habent, *Tasbib tsur charebbo*, quod magni nominis Interpretes vertunt, *Retudisti aciem gladii ejus*: nempe id quod Hispanicè diceremus, *Embotaste el filo de su espada.* Additque eleganter Caietanus, sumptam metaphoram à gladio, cujus acies hebes & inepta redditur, eo quòd à linea illa quam sequi deberet acies, aversa est, quod Hispanicè dicimus, *Tener buelto el filo.* Ubi certe si loco dictionum *tasbib tsur* redderetur, *Retudisti petram, aut silicem*, & non potius *Retudisti* aut *evertisti aciem*, ut facit etiam Versio Xantis Pagnini; minus congrua videretur sententia, quæ

* Vid. ad hos locos Cai. Hier. Oleast.

(q) Gen. 4. 22.

(r) Num. 35. 16.

(s) Deut. 19. 5.

(t) Judic. 16. 17.

(u) Psal. 89. 44.

certè plana est, & parens, quo exposuimus modo. Quapropter in loco illo allegato Josue, ubi dicitur *cultros lapideos*, aut Hebraicè *charebbot tsurim* vertit Chaldæa paraphrasis, *izmellin chariphin*, *cultros acutos*, quod & præstant alii, quos hîc lubens prætereo. Quare ex his aliisque, quæ consultius omitto, haud malè, ut videtur, conjici poterat, etiam circumcisionem filii Moysis, & Israelitarum, factas fuisse cultris propriè & literaliter lapideis, sed tantùm ferreis, beneque & affabrè exacutis.

8 Cæterum Vulgatæ lectionis reverentia facit, ut admittamus, concedamusque ultrò nihil ambigentes, Circumcisiones nuper prædictas, factas fuisse cultris lapideis: præsertim cùm minime nos lateat in Arabia Petrea reperiri & fabrefieri petras acutissimas, quæ vim secandi habeant non ineptam: quin etiam satis constet, non solùm ad circumcisionem, sed etiam ad usus alios, quorum unus erat ad virilia amputanda, adhibitos fuisse à profanis ipsis siliceos & petrinos cultros. Quod ex Catullo apparet loquente de Atty, Cybeles impuro sacrificulo, illo versu (x)

Devolvit ille acuto sibi pondera silice.

In quam rem cumulatissimè elucidandam congessit plurima eruditione solita Dominus Ramirezius de Prado, (y) cujus plenas paginas transcribere huc nec licet nec lubet. Hæc tamen omnia nihil urgent, ut proinde admittere debeamus, Circumcisionem Christi Domini factam fuisse cultro lapideo: imo hoc negamus: asserimusque saltem ut longè probabilius, factam fuisse cultro ferreo atque chalybeo. Etenim tempus, quod sensim provehit, & perficit Artes, jam, ut putamus, diu erat quòd effecerat, ut Iudęi non lapideis aut siliceis cultris, sed ferreis probè factis atque apprimè acutis ad id muneris uterentur. Utebantur jam certè Romanorum tempore; id enim evincunt illa Petronii, ubi de Iudæo loquens, inquit (z)

Ni tamen & ferro succiderit inguinis oram,
Et nisi nodatum solverit arte caput.

Sed

Sed damus graviores & meliores testes, Divum Justinum, qui in Dialogo suo percelebri ita habet alloquutus Tryphonem: (a) „ Proinde „ beati nos circumcisi cultris lapideis „ circumcisione secundaria * : nam „ prima illa vestra, quia ferro facta „ est, & fit hodieque, permanet in „ in vobis eadem cordis duritia: at „ nostra, quæ secunda post vestram „ circumcisionem numeratur, fit per „ acutos lapides, hoc est, per verbum Apostolorum illius angularis „ lapidis excisi sine manibus: Et prę cunctis (tanta est enim uiri planè Angelii gravitas & doctrina) Divum Thomam, qui ita habet: (b) „ Dicendum quod cultellus lapideus „ non erat de necessitate circumcisionis: unde non invenitur tale instrumentum præcepto divino determinatum. Neque etiam communiter tali instrumento Judæi utebantur ad circumcidendum, sicut „ neque modò utuntur. Leguntur tamen aliquæ circumcisiones famosæ, „ cultello lapideo factæ: sicut legitur „ Exod. 4. quod tulit Sephora acutissimam petram, & circumcidit „ præputium filii sui. Et Iosue 5. dicitur: Fac tibi cultellos lapideos, „ & circumcide secundò filios Israel. „ Per quod figurabatur circumcisionem spiritualem esse fiendam per „ Christum: de quo dicitur 1. Corinth. 10. Petra autem erat Christus. Hucusque Divus Thomas. Ut proinde non admittenda videatur ea non sat fundata opinio, quæ adstruit in Circumcisione Christi Domini adhibitum esse cultrum, non ferreum, sed lapideum. Neque lapideus culter sed ferreus describendus est in tali mysterio atque opere à Pictore erudito.

PRÆCEDENTIS CAPITIS APPENDIX

DE PICTURA NOMINIS IESU FULGENTIS INter solares radios.

SI verba Evangelistæ rectè atque exactè perpendantur, non tam expressè continent, nec tam cathegoricè (ut Scola loqui amat) Circumcisionem Christi Domini, quàm impositionem Nominis Sanctissimi. Sic enim habent Evangelii verba, quæ in prædicto festo leguntur: *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Iesus, quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur*. Quoniam autem non solum ipse Christus Iesus, sed & hoc nomen ejus benedictum atque ineffabile consuevit in Ecclesia depingi, operępretium me facturum arbitror, si de Picturâ hac, atque expressione Nominis Iesu nonnulla hic saltem perstrictim annotavero. Fuerunt igitur Ecclesiæ seculo XV. qui Picturam hanc Nominis Iesu inter radios solares præfulgentis, ut erroneam damnarent, & planè idololatricam. Quod ut planius patefiat, res est paulò ab origine repetenda. Igitur Seraphicus ille, & cœlesti ipse lumine plenus S. Bernardinus Senensis cùm per totam Italiam Conciones haberet ad populum ingenti cum animarum fructu, illud inter cetera consuevit reprehendere, in illudque, quo pollebat ardore animi atque spiritus, invehi; quòd nempe homines blasfemi Sanctissimum Iesu Nomen ore suo conspurcarent per illud, aut mala, aut falsa, aut saltem vana & inania deierantes: quod ut penitus extirparet, reverentiamque ingereret populo Nominis non nisi venerabunde proferendi, consueverat in suis concionibus vir insigniter sanctus atque doctus ostendere populo tabellam bene perornatam, in quâ nomen Iesu cernebatur inscriptum, consuetis & iam receptis literis, quod, veluti sol, radios undequaque diffunderet. Hoc verò tam pium factum invidi homines, atque in virum sanctum pessimè animati, accipientes in deterrimam partem, non solum eumdem infamare, populoque deridendum, seu verius execrandum, cæperunt propinare. Sed res adeo excrevit, ut eumdem Bernardinum apud Summum Pontificem Martinum V. veluti reum pernicio-

ciosæ novitatis, &, quod plus est, violatæ fidei, & Idololatriæ fautorem, deferre atque accusare pergunt. Veritus vero Summus Pontifex, ne fortè sub pietatis obtentu perniciosi alicuius dogmatis novitati pateret aditus virum sanctum ad se vocatum ab hujusmodi tabellæ prolatione, & à tali Pictura compescuit. Rem narrat fusius S. Antonius, cujus ea sunt verba: (a) *Cum ex pia devotione* (S. Bernardinus) *tabulam parvulam, in qua scriptum erat nomen Iesu literis aureis, circumdatum quasi radiis solaribus, sed auro depictis, populo in prædicatione ostenderet, ut veneraretur illud, ad imprimendum nomen illud mellifluum, & non minus significatū eius in cordibus audientium: Martinus Pontifex, veritus ne ex ea novitate aliquid superstitiosum aut scandalosum in Ecclesia suscitaretur, de maturo consilio sapientium, viro Dei ad se vocato, mandavit talem tabulam deinceps non ostendere populo, & ritum illum dimittere. Quod, ut filius obedientiæ, humiliter implevit.* Hucusque S. Antoninus. Sed bene habet quod idem Summus Pontifex Martinus, cùm ab eo Bernardinus humillimis precibus obtinuisset, ut sibi cum adversariis de re hac copia fieret coram Sanctitate suâ dissefendi, comperta victoria, quam non sine ope atque adjumento alterius ejusdem Ordinis Seraphici, nempe S. Ioannis Capistrani, de adversariis invidè sibi obtrectantibus, reportavit; rem eamdem, tabellamque cum aureis literis Iesv nomen exprimentibus impensè probavit, commendavitque, ut fusius narrant Scriptores Seraphicæ familiæ: ex quibus pro multis videri potest Annalium Franciscanorum tam doctrina & elegantia, quàm dignitate Illustrissimus D. F. Damianus Cornejo. (b)

(a) S. Antonin. p. 3 histor. tit. 44. c. 5. §. 2.

(b) Tom. 4. l. 4. c. 10 & 12.

2 Atque hæc quidem, quod ad argumentum nostrum attinet, dixisse sufficiat: ex quibus abundè pateat, non solum citra erroris notam, sed maxima etiam cum solidæ pietatis laude & commendatione tabellam, de qua diximus, solere ac debere depingi, quin ad oppositum moveant quidquam olim adversantium ratiunculæ excogitatæ, aut potius calumniæ. Neque enim in tabella hujusmodi, quæ jam frequens est, à piis & cordatis datur intelligi quod in literis ipsis nude sumtis nominis Iesv, sicut neque in aliis cujusvis nominis, insit vis seu virtus, aut divinitas, sed potius in significato per nomen: cùm aliunde non rarum neque infrequens sit in Scripturis, nomina pro ipsis significatis interdum accipi: quo certè nihil frequentius atque usitatius est in Veteri Testamento, præcipuè cum de Deo sermo fit. Cujus rei interpres luculentus extitit ipse Moyses, Legis latæ conditæque à Deo promulgator, illis verbis: (c) *Nisi custodieris & feceris omnia verba Legis bujus, & quæ scripta sunt in hoc volumine, & timueris nomen ejus gloriosum & terribile; hoc est Dominum Deum tuum, augebit Dominus, &c.* Quin etiam de aliis rebus, putà hominibus, cùm loquitur Scriptura, nomina interdum pro nominatis accipit. Tale illud est quod habetur in Apostolorum Actibus, ubi pro eo quod est in Vulgatis: *Erat autem turba hominum ferè simul centum viginti*, in Græcis exemplaribus non *hominum* habetur, sed *nominum*; nempe ἦν τε ὄχλος ὀνομάτων. *Erat autem turba nominum.* Et in Apocalypsi tam in Latinis, quàm in Græcis, *Et occisa sunt in terræ motu nomina hominum septem millia*, quod idem omnino est quàm septem millia hominum.

CAPUT

CAPUT III.

DE PICTURA ADORATIONIS MAGORUM: ET quid in ea probanda veniant, aut improbanda.



1 ADoratum Christum Dominum à Magis tantùm ex Evangelistis Mattheus, revelante sibi Spiritu Divino, Ecclesiæ patefecit; adeò tamen disserte & luculenter, ut nihil suprà. Quare mysterium hoc præcipuo cultu celebratur, & celebratum est à primis exordiis ab Ecclesia Epiphaniæ, aut manifestotionis nomine. An verò contigerit hæc Magorum Adoratio eodem ipso die quo ab Ecclesia ipsa percolitur, hoc est XIX Kal. Februar. sive tertia decima Januarii die, res est, quam, licet affirmativa pars gravissimis & penè inconcussi ponderis argumentis stabilita sit; de Fide tamen dicere non oportet. Hoc tamen pro nostri instituto Operis adverto, quòd scilicet, qui Adorationem hanc nimium distulerit (nempe ut fuerit facta post Christum Dominum præsentatum in Templo (cogetur dicere; aut factam esse extra Judęam in urbe Nazareth, Galilææ oppido (quod falsum putaverim) aut nunquam potuisse fieri, quod nefas est, atque adversus Fidem ingens piaculum. Nam quod Sanctus Epiphanius, (a) gravis alioqui, doctissimusque Author sequutus fortè Eusebium Cæsariensem, * asseruerit Adorationem Christi factam post biennium ab ipsius Christi nativitate: quanvis ipse id conetur evincere ex Evangelii verbis, ubi dicitur de Herode, quòd (b) *Videns quod à Magis esset illusus, iratus est valde, & mittens, occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem & in omnibus finibus ejus à bimatu & infra, secundum tempus quod exquisierat à Magis.* Quamvis, inquam, id disserte asserat; illud tamen tam gravibus penèque insuperabilibus difficultatibus est refertum, ut meritò deinceps posteriores omnes, cùm Patres, tùm etiam Interpretes ab illo opinandi modo discesserint. Totum hoc convinci ostendique poterat irrefragabiliter: sed divagaremur nonnihil à proposito nostro. Quare Ecclesiæ mentem sequutus, suppono atque statuo, factam atque præstitam esse hanc Adorationem à Magis in urbe ipsa Bethlehemitica, eo nempe die quo ab Ecclesia tanto honore celebratur & colitur. Ut enim sapienter, quod solet, annotavit Chrysostomus (c) Christus manere voluit in urbe Bethelehemitica totos fermè quadraginta dies; ut Iudæis ministraretur opportunitas noscendi (si voluissent ipsi vera perquirere) locum nativitatis ejusdem: ipsi enim Judęi, aut per summam ignorantiam, aut per familiarem sibi nequitiam, id negare, aut de eo dubitare videbantur; putantes, aut in vulgus efferentes, ortum esse in Galilæa: id quippe apertè innuebant, cùm dicere ausi sunt, (d) *Numquid à Galilæa venit Christus? nonne Scriptura dicit, quia ex semine David, & de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus?* Atque ob tantæ rei dignitatem & celebritatem decrevit Christus in Bethlehem manere toto illo tempore, atque ibidem ab ipsis Gentilibus & Magis pręstari sibi debitum illud obsequium.

(a) S. Epiphan. de hæres. Hæres. 30. &c.

* Quod probari potest ex Eusebius Chronico.

(b) Math. 2. 16.

(c) D. Chrys. t. 7 in Mat.

(d) Ioan. 7. 41. & 42.

2 An autem Magi Christum adoraverint in eo ipso in quo natus est loco, scilicet in antro Bethlehemitico, non una est mens Patrum & Interpretum. Plures enim, inter quos antiquiores, disserte asserunt adorationis locum non alium fuisse, quàm ipsius nativitatis. Ita docet Iustinus Martyr, (e) cujus, ut pote scriptoris doctissimi pariter & antiquissimi, non grave erit verba hic exscribere. Ea autem sunt: *Ibi* (scilicet in spelunca Bethlehemitica, cujus ipse meminit) *Maria Christum recens natum in præsepe deposuit; ibi & à Magis inventus est ex Arabia venientibus.* Eamdem sententiam amplectuntur Hieronymus, (f) locorum illorum assiduus spectator & cultor, qui de antro Bethle-

(e) S. Iust. Mart. in Dialogo cum Tryp.

(f) Div. Hier. Ep. ad Marcellam.

thlehemitico verba faciens, *In hoc*, inquit, *parvo terræ foramine cœlorum conditor natus est; hic involutus pannis; hic visus à pastoribus; hic demonstratus à stella; hic adoratus à Magis:* Augustinus, (g) Author Operis imperfecti, (h) Euthymius, aliique non pauci: adeo ut clarus inter paucos Evangeliorum Interpres (i) afferat, hanc esse ferè communem Patrum sententiam. Cæterùm quia Evangelii authoritas (præsertim cùm defendi potest ratione commoda & congruente, & insuper interpretatione authoritateque non caret) pluris esse omnino debeat, quàm quævis alia: idcirco ego aliter dicendum facilè existimaverim.

(g) Div. Aug. ser. 1 & 2. de Epiphania (h) Auth. op. imp. homil. 2. in Mat. (i) Ioan Maldon.

3 Censeo igitur Magos reperisse Christum, non jam in præsepio, aut in antro Bethlehemitico, sed in honestiore commodioreque aliquo loco; nempe in aliqua domuncularum oppidi; aut, si id magis arridet, in ipso diversorio, jamjam multitudine ac turba hospitum non perinde ut antea occupato. Quòd enim Christi Domini majestas in antro, quod vicem stabuli gerebat, voluerit nasci, & reclinari in præsepio, mysterii fuerat atque exempli: quòd verò postmodum nonnihil decentius collocatus fuerit: ad pietatem amoremque spectavit piorum & Sanctissimorum Parentum. Ducor ut ita sentiam: primò, ipsius Evangelii verbis ita dicentis: (j) *Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria Matre ejus:* ubi jam non antrum, non speluncam; sed signatè, imò & luculenter domum audis. Ducor etiam authoritate Chrysostomi, (K) qui id non obscurè indicat, penèque clarissimè exponit, illumque sequitur dissertius adhuc loquens perpetuus ejus assecla Theophylactus (l): Sed ducor, ut idem asseram minus trepidè, authoritate (quæ profectò magna apud me est) nuper laudati Evangeliorum Interpretis. (m) Is enim, postquam omnia quæ diximus compendio prosequutus esset, subjungit: *Mysterio jam erat satisfactum. Necessitatem cessasse credendum est, & Mariam aut Joseph omni diligentia commodiorem locum quæsivisse, suadet ipsorum pietas.* Et ad argumentum quod fieri certè potest ex Patrum authoritate, respondet: *Authores verò illi superiores, concionando fortasse magis, quàm interpretando, in præsepio adoratum dixerunt, quod id & mysterium & admirationem, & Magorum fidem augere videretur.* Ex quibus omnibus, ut ad institutum nostrum veniamus, efficitur, quod Pictores, qui Christum à Magis adoratum describunt & depingunt in ipso stabulo, bene & citra reprehensionis notam se gerunt: qui verò id ipsum depingunt in domuncula aliqua, aut honestiore quovis loco, bene etiam, & fortasse melius, propter dicta. Quod verò utrique Iesum puerum paucorum dierum, nudum omnino in hac etiam adoratione depingunt; atque ita exhiberi à Matre Sanctissima adorandum: error, aut potiùs ineptientis phantasiæ ludus est, quem jam supra agentes de Christi Nativitate * perstrinximus: Incredibile enim est piissimam atque amantissimam Genitricem in hiberna statione temporis, atque in ea regione haudquaquam frigoris experte, puerum recens natum omnino nudum, aut gestavisse brachiis, aut exposuisse Magis, aliisvè, ad contuendum & adorandum: ut interim taceam ejusdem Virginis Puerperæ modestiam, pudorem, circumspectionemque dignam Dei Matre. Pingi verò solet hæc eadem in hoc mysterio puerum tenens brachis. Bene hoc quidem; sed non adeo bene quod aliquando pingitur stans: mallem enim quòd sedens pingeretur: quippe quod multo magis dignitati congruat Matris tanti Regis, quem Magi, regesque (quod statim videbimus) à dissitis regionibus venerant reverenter adoraturi.

(j) Mat. 2. 11.
(K) Div. Chrys. h. 8. in Mat.
(l) Theop. ad c. 2. Math.
(m) Ioan Maldon. ad hunc loc. col. 56.

4 De Magis verò ipsis Christi adoratoribus plura quæruntur, quæ certè propositi & instituti nostri non sunt: cùm ea neque repræsententur, neque repræsentari valeant ulla ratione in Pictura. Quocirca ea tantùm attingemus, quæ Pictura ipsa exhibere oculis valet & solet. Principiò igitur: satis constat eos fuisse plures; non quidem duodecim, quod sensit Auctor Operis imperfecti, ex apocrypha quadam scriptura, quam suo etiam tempore nomine Seth affirmat extitisse: sed plures tamen quàm duos: cùm Evangelista (aut saltem Evangelici Textus, qui in Bibliis Vulgatis extat Græca versio) non duali numero utatur, quod facile erat; sed plurali simpliciter. Igitur communiter

munis, receptaque, non solùm vulgo, sed Sanctis Patribus, (n) est sententia, fuisse tres; atque adeò neque plures neque pauciores tribus esse pingendos. Quod verò ad quasdam corporis qualitates attinet: exempli causâ, quòd eorum unus erat nimiùm senex, alius juvenis; unus eorum omnino niger, non secus atque merus Æthiops: res sunt parùm, aut certè nihil exploratæ: adeo ut has, & siquæ sunt aliæ ejusdem generis, Cardinalis ipse Baronius dignas non censuerit quas suis Annalibus insereret doctis & eruditis. Quapropter circa hoc Pictoribus, quam ipsi sibi vendicant liberaliter licentiam, libenter relinquimus: quamvis, ut verum fatear, illud postremum de omnimoda nigredine unius ex Magis mihi arduum videatur, & nimis insolens, sive illi venerint ex Perside, ut placet plurimis ex Patribus (o) atque Interpretibus; sive ex Arabia, quod mihi non sine magno authoritatis & rationis pondere fit magis verosimile. Ita enim senserunt Justinus Martyr, (p) Tertullianus, (q) Cyprianus, (r) Epiphanius, (ſ) atque alii: quod ipsum oblata munera produnt, aliaque non pauca.

(n) Div. ... ser. ... & 33. ... tempo Leon. ... plur. ... Epipha ... Rup. ... Com... ... ad ... c lo...

(o) Chrys. ... 7. in ... t. Au... Op. ... to. 2. ... Ale... lib. 4. ... ai. Ju... poet. ... q. pas...

(p) Justin. in Dia... cum ... ph. (q) Tert. contr. ... eos, c. ... & lib. contra ... rcion. ... 13. (r) Cypr. ... de ... a & ... gis. (ſ) Epiph. ... pit. ... Theo... (t) Beza ... nnot. ... hunc ...

5 Illud porrò videtur majoris momenti statuere, an nempe fuerint Reges, vel non; & an proinde pingendi veniant cum regiis insignibus, an secus? Hetherodoxus, atque ob id non solum malus, sed etiam magis tumidus, quàm par erat, Interpres, (t) Ecclesiam Catholicam irridet & traducit, quòd credat (ut ipse ait) Fide Catholica Magos reges fuisse. Sed fallitur. Et quidem illud in primis mentitur, quòd nempe asserat Ecclesiam docere hoc, & tenere tamquam de Fide certum. Non est ita. Etsi enim eadem probabili opinione persuasioneque in id propendeat, ut reges fuisse Magos autumet; atque in hunc sensum in Officio Epiphaniæ usurpet illa verba Psalmi 71. *Reges Tharsis & insulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent*: tamen nusquam docet docuitque numquam id tenedum esse de Fide: imò judicium circa hoc liberum cuique relinquit; quo usus (ut modo taceam Authores severiores) Poëta Catholicus, atque ipsa professione pius, aliquando cecinit, (u) *Nec reges, ut opinor, erant.* Deinde si libet hæretico traducere & ridere Ecclesiam, rideat, si volet, veterum Patrum agmen id asserentium. Sed age. Et quamquam nonnihil à nostro præcipuo instituto digressi, videamus hoc, & inspiciamus accuratius. Ita enim fiet, ut non solùm obstruatur os hæretico nimis effronti, sed etiam fortasse meliora sentiant viri alioqui pii atque Catholici; ex quibus aliqui vocant hunc sentiendi modum, opinionem populi. Igitur Magos, qui ad Christum Dominum adorandum stella duce pervenerunt, fuisse reges, non quidem magnos, ut Persarum Reges, Indorum, aliarumvè nationum erant, sed Regulos tamen, Dynastas, & non magnis ditionibus imperitantes, plurium certè Patrum, ex his quos videre mihi licuit, concors & plausibilis sententia est, quam ego libenter amplector. Etenim Arabia, unde advenisse Magos supra annotavimus, presertim ea quæ *Felix* dicta est, ipsaque etiam *Petrea*, imò etiam quæ ob oppletos arena campos, patentesque vastitates dicta est *deserta*; hujusmodi Regulorum ac Dynastarum, quos hodie etiam Dominos, aut *Emires* vocant, tota plena est, semperque fuit. Id quod non solum ex sacra Scriptura sumus probaturi, sed quod per se patet etiam legentibus profanas historias. Strabo præcipuus inter Geographos, id docet non uno in loco. De Scenitis, gente, quæ partem Arabiæ efficit, aut certe Arabiæ adjacet, id habet: (x) *Etenim reguli, qui ex utraque parte flumen accolunt, cùm regionem habeant non valde feracem, ac minus inopem colant, suum quoque dominium tenentes, suum etiam singuli vectigal exigunt, idque non moderatum.* Et dissertius de ipsis Arabibus incolis sermonem habens, (y) *Urbes*, inquit, *singulę uni suo principi parent, & felices sunt, templaque, ac regias optime structas habent; domicilia verò lignorum compage, Ægyptiacis similia.* Quod idem alii docent, & mox probabimus. Demus enim interim Patrum testimonia, qui haud rarò regiam dignitatem Magis adstruunt. Cyprianus, (z) *Non satis*, inquit, *quòd Angeli locuti sunt Pastoribus, quòd apparuit stella regibus, quod nativitati, & personæ, & loco consona prophetarum oracula perfidę gentis indicio, Christo perhibentia testimonium in*

(u) Bapti... Man... nus in ...tis.

(x) Strabo Georaph. lib. 16. pagin. 748.

(y) Eod. lib. p. 768.

(z) Cypr. Orat. de Baptismo Christi, & manifest. Trin. ipso init.

in unam convenere sententiam. Ubi Magos; quibus stella apparuit reges appellatos clarissimè cernitur. Hilarius, cùm de Magis Christi adoratoribus loqueretur, sic habet: * *Magis divinæ virtutis operationes falsa rerum specie metientibus, potissimus impiæ religionis honor à seculo scilicet omni deferebatur. Iisdem Magis ex mercatu Æthopum & Sabain, auri, & thuris, & myrrhæ munera deferentibus: quod quidem ipsum & alius propheta præmonuit, dicens: In conspectu ejus procident Æthiopes, & inimici ejus limum lingent. Reges Tharsis munera offerent, Reges Arabum & Sabain munera adducent, & dabitur ei de auro Arabiæ.* Chrysostomus (a) desidiam & torporem, imò & duritiam reprehendens Judæorum, *Oportuerat*, inquit, *eos continuò sentire, quantum sibi esset additum dignitatis, de tanti scilicet nativitate Regis, qui Persarum ad se Regem ortu suo triumphante traxisset.* Et ibidem paulò inferiùs, *Erat*, subdit, *omninò consequens, ut si nihil de occultioribus altioribusque didicissent, felicitatem tamen suam ex ipsa præsentium novitate perdiscerent, meritoque dicerent: Si jam Regem nostrum Persæ natum tantummodo contremiscunt, quantò eum magis poterunt timere firmatum, ejusque imperiis obedire?* Ubi eloquens Pater non intendit ut aliquis Magorum Rex esset Persarum, sed Regulos eosdem, præcipuosque apud Persarum regna Dynastas, satis superque ostendit. Hoc nimirum est quod Patribus Ecclesiæ non immerito adnumerandus Juvencus Hispanus Presbyter, qui primus, tam ex Græcis, quam ex Latinis Evangelia metricè conscripsit, graviter juxta atque eleganter cecinit, (b)

* Hilar. lib. 4. de Trinitate vers. fin.

(a) Chrys. hom. 6. in c. 2. Matt.

(b) [Juvenc.] lib. [1.] Ev. h[ist.]

Gens est Eoi, Phœbo orto, proxima regni
Astrorum solers, ortusque obitusque notare;
Hujus primores nomen tenuere Magorum.
Hinc lecti, proceres, Solymas per longa viarum
Deveniunt, regemque adeunt, orantque doceri,
Quæ regio imperio puerum Iudæa teneret
Progenitum, & sese stellæ fulgentis ab ortu
Admonitos venisse viam, quo supplice dextra
Exortum terris venerabile numen adorent.

Ubi luce clarius Magos Orientalis gentis primores conspicis, eosdemque lectos eorumdem proceres appellatos. Plurium aliorum testimonia adduci possent. Sed horum satis fuerit concors sententia.

6 Neque verò quempiam moveat, quòd Evangelista eos non Reges appellat, neque Regulos etiam, sed Magos tantum. Ex quo duo videntur confici. Primum quidem, quòd ex Arabia, contra id quod nuper statuimus, non venerint, sed ex Persia: Magorum enim nomen, non Arabicum, sed Persicum est. Secundum, quod reges non fuerint: alioquin enim hanc dignitatis conditionem non videtur fuisse Evangelistam silentio traditurum. Non, inquam, moveant. Nam primò quidem Magis, sapientibusque, quales ii erant (non enim hoc nomine præstigiatores aut malefici intelliguntur) delata esse imperia etiam majora, docet idem Strabo, cujus illa sunt verba: (c) *Et apud majores nostros Sacerdotibus Ægyptiorum, Chaldeis, Magisque sapientia alios superantibus, honores & imperia delata sunt.* Deinde: in Arabia Magos extitisse non secus atque in Persia, nosse poterit quicumque legerit, præter laudatum Strabonem, Plinium (d) qui dissertè asserit, non aliter Pythagoram atque Democritum evasisse sapientes, nisi *peragratis Persidis & Arabiæ Magis.* Quod idem affirmat Porphyrius allegatus à Cyrillo Alexandrino. (e) Sed quid plura? Adeo in Arabia, ea præsertim quæ vocata est *Felix*, Magorum erat copiosa turba, ut nomen fecerit sinui maris cuidam adjacenti ad Felicis Arabiæ partem magis orientalem, ut disserte indicat Ptolomeus, (f) imò & cuidam insulæ in ipso mari Eritræo sive Rubro existenti, teste eodem præstantissimo Geographo. (g) Certe Sanctus Job, de quo Scriptura refert, (h) quod *vir ille magnus erat inter omnes Orientales*, Arabs erat, ut disserte & cathegoricè, quod ajunt, affirmat Chrysostomus, (i) aut

(c) Strab. l. 1. Geog.

(d) P[lin.] l. 25. hist. [n]a[t.]

(e) Cy[r.] Alex. [l.] 10. co[ntr.] Jul. I[mp.]

(f) Pto[l. li]br. 6. G[eo]graph.

(g) Lib. [...] c. 8.

(h) Job 1.

(i) Chr[ys.] in P[s.] caten. Job 1. 14.

aut Idumæus, locis illis natus & innutritus non nimis dissitis ab Arabia, ut non ignorat qui sacras literas primis, quod ajunt, labris degustaverit. Ipse verò proculdubio rex erat, aut regulus, ut concors Patrum & Interpretum fert authoritas; imo & ex ipsius Libri verbis ostenditur. Et tres amici ejus, qui vocantur ab Scriptura Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites, Sapientes erant, & rerum naturalium cognitione, peritiaque Dialectices, Philosophiæ naturalis & Ethicæ, Astronomięque etiam instructissimi, ut satis liquet ex toto libri ejus contextu; adeo ut puerile esset aliquos hic locos congerere. De quibus omnibus tamen consuli potest eruditus & multa doctrina cumulatus ejusdem libri Interpres Pater Ioannes Pineda. (j) Atqui hos ipsos reges fuisse, aut saltem regulos & Dynastas adeò certum est, ut constet authoritate Divina: ita enim appellantur in Libro Tobiæ, ubi dicitur; (K) *Nam sicut beato Iob insultabant reges, ita &c.* Mirum ergo non est, neque esse debet; quod Magi Christi adoratores censeantur reges, aut certe reguli, quamvis id dissertè Scriptura non exprimat: quæ tamen (Evangelium nempe ipsum) conjecturis ingentem fecit locum. Eæ autem sunt; Quòd longo suscepto itinere, etsi ab Arabia felici venerint, quę thuris abundans est, & auriferax, accesserint Bethlehem Christum adoraturi: quæ privatorum hominum & philosophorum non videntur: Quòd thesauros habuerint & recluserint: Quòd privati homines (ut vidit Chrysostomus) numquam ausi fuissent coram tyranno apertè profiteri, legitimum Judæorum Regem jam esse natum. Quam eamdem conjecturam amplius firmat: quòd ab Herode ipso, simul ut venerunt, adventusque sui exposuere causam; non fuerint aut cum ignominia pulsi, aut in crucem acti: quòd certè fecisset, si sibi rem esse existimasset cum merè privatis hominibus. Maneat ergo, quòd Magi illi, qui Fidei suæ devotione tam clarum sibi peperere nomen, etsi non Reges potentissimi, tamen Reges utcumque fuerint: atque adeò cum aliquibus regum insignibus sint proculdubio depingendi: nobisque condonet eruditus lector, quòd præter morem in longiusculam dissertationem fuerimus delapsi.

Iob 9. 9.

(j) Videndus in Prolegom. & c. 1. Iob. à n. 15.

(K) Tob. 2. 15.

CAPUT IV.

DE PICTURIS PRÆSENTATIONIS CHRISTI in Templo; Purificationisque Beatæ Virginis; & quid in iis animadversione dignum occurrat.

I. Regibus solutos esse Principes, vetus tritumque Juris axioma est. (a) Quod quidem verum atque receptum in terrenis principibus, in cæli terræque dominis Jesu atque Maria, potiorem omnino locum obtinebat. Verùm quemadmodum Christus circumcidi voluit, quamquam foret à lege circumcisionis, ut ejusdem olim dator & lator, planè immunis: ita voluit Mariam communi more in Templo suo purificari, quamvis ea lege, utpote quæ virgo erat illibata prorsus, non teneretur. Mysterium autem hoc quamvis videatur Christo atque Mariæ aliqua ratione commune, illud inter Christi mysteria recensere maluimus; quòd ita factum atque observatum videatur esse ab Ecclesia: adeò ut festum illud à Græcis ὑπαπαντὴ, sive occursus Domini nuncupetur. Circa expressionem repræsentationemque hujus, immane est quantum fallantur Pictores nostri; cum quibus proinde lis mihi rursus atque jurgia. Amica tamen omnia: quippe his tantùm intendo, ut eruditiores reddantur, à viris peritioribus admoniti, siqui erunt qui nostra hæc dignentur evolvere. Quod ut evidentius fiat, placet primùm summa-

(a) L. Princeps 31. ff. de leg. & Digna vox 4. eo. cod.

matim proponere, qua ratione, quovè pacto mysterium hoc adumbrent & depingant Pictores magni nominis & Artifices. Igitur describunt & pingunt rem hanc fieri in Templo. Bene hoc & sapienter; sed non bene quòd Templum describunt omnino nostris simillimum, ingentibus suffultum columnis, undique desuper contectum, fastigiatumque illo ædificii genere rotundo, quod cupulam, aut *media naranja* Hispanicè loquentes nominamus. Taceo enim quòd integras imagines aut statuas parietibus interserunt, aut columnarum interstitiis; aliaque id genus plurima: ad alia enim transeo. Describunt enim Testamenti Arcam Cherubinis obtectam, adjunctis vectibus; & quidem non longè ab illa, summi Mosaicæ Legis Sacerdotis vestibus atque ornamentis indutum, Sanctum Simeonem ulnis suis Infantem Iesum gestantem atque complectentem. Denique ante mensam, pretioso tapeto perornatam Mariam Sanctissimam Sanctumque Joseph genuflexos; & super mensam ipsam, parvo canistro inclusum par illud turturum, aut pullorum columbarum, quòd pro Mariꝰ purificatione constat eosdem obtulisse. Et hꝰc quidem præcipua sunt, quæ debita animadversione egent. Nam quòd pueros etiam adjungunt genuflexos, tunicis indutos rubris, quas super candida lina, sive superpelliceos, aut *rochetos*, pro ornatu gerunt, ut omnino appareant nostratibus in nostris templis deservientibus perquàm simillimi; levitas est, quæ vix eget admonitione seria: cùm satis pervium sit etiam minus doctis atque eruditis, hujusmodi pueros, sicut alia multa, extraneos esse & inauditos in illo genere cultus, qui olim in Lege veteri, atque in Templo ipso exhibebatur. Pia, ut facile fatemur, hæc omnia, & à religiosæ mentis, quamvis non satis doctæ, imaginatione profecta: falsa tamen ut plurimum, & ineptissima, ut res ipsas majore examine contuenti constabit non admodum difficili negotio.

2 Igitur ut rem, quod proverbio dicitur, exordiamur ab ovo, admonitos Pictores volo (neque id sanè admonerem, nisi aliquorum extrema imperitia me redderet admonitum) in tota Judaica gente, in totaque ditione, quæ Lege veteri perdurante vero cultui Dei erat addicta, unum tantummodo pro Dei cultu extitisse Templum; nempe illud, quod primò ædificatum à Salomone, (b) postea quoquo modo instauratum fuit sub Zorobabele, (c) repurgatum autem à Gentilium abominationibus sub Juda Machabæo; (d) & denique noviter, quamquam in eodem loco, insigni & regia magnificentia constructum ab Herode illo, sub cujus regno, quamquam illegitimo, natus est Christus: (e) qui sanè rex, quantumlibet alienigena, grandibus impensis insigne opus & soli Salomonico cedens, absolvit non paucorum annorum spatio. Alibi in tota Israelitarum gente templum non fuit, neque id habere per legem licuit. Eâ quippe cautum erat & provisum Israelitis, adhuc in deserto commorantibus: (f) *Non facietis ita Domino Deo vestro; sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis: & offeretis in loco illo holocausta, & victimas vestras &c.* Et paulò inferius, (g) *In loco quem elegerit Dominus Deus vester, ut sit nomen ejus in eo; illuc omnia quæ præcipio conferetis, holocausta & hostias, &c.* Et expressius paulò infra: (h) *Cave ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris: sed in eo quem elegerit Dominus in una tribuum tuarum, offeres hostias, & facies omnia quæcumque præcipio tibi.* Quin omnes Israelitꝰ lege tenebantur in Templo comparere, in tribus, quæ quotannis celebrabantur, majoribus solemnitatibus: nempe in Paschate, in Pentecoste, atque in festo Tabernaculorum. Constat etiam id ex multiplici Scripturæ loco, ubi dicitur: (i) *Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo.* Et insuper; (j) *Tribus temporibus anni apparebit omne masculinum tuum in conspectu omnipotentis Domini Dei Israel.* Et illud: (K) *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit: in solemnitate Azymorum, in solemnitate Hebdomadarum, & in solemnitate Tabernaculorum.* Quod idem alibi repetitur. (l) Nihil enim hìc asserimus, quod non expressè constet vel ex solius Scripturæ divinæ lectione, modò ea sit ab animo non inadvertente, atque

oscitante. Hęc igitur adeò per se explorata ac manifesta, ex aliis amplius confirmantur. Hac quippe ratione, cùm Jeroboam primùm à Salomone, aut potius à filio suo Roboamo, defecisset; callidè atque astutè veritus, ne si populus secundum præscripta Legis in Jerosolymam quotannis ter pergeret, paulatim Roboamo obediret, ejusque ditioni se traderet: sacrilego commento excogitavit, fecitque vitulos aureos, quorum tanta mentio est in sacra Scriptura: cujus, quod ad præsens attinet, hæc sunt verba: (m) *Dixitque Jeroboam in corde suo: Nunc revertetur regnum ad domum David, si ascenderit populus iste, ut faciat sacrificia in domo Domini in Ierusalem: & convertetur cor populi hujus ad dominum suum Roboam regem Juda: interficientque me, & revertentur ad eum. Et excogitato consilio, fecit duos vitulos aureos; & dixit eis: Nolite ultra ascendere in Jerusalem. &c.* Qua ratione etiam sacer textus pietatem & religionem senioris Tobiæ commendat elogio illo (n) *Denique cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Jeroboam fecerat rex Israel, hic solus fugiebat consortia omnium; sed pergebat in Ierusalem ad Templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israel.*

(m) 3. Reg. 12. 26. 27.

(n) Tob. 1. 5. 6.

3 Neque verò latet, quòd aliorum regum temporibus, qui Salomoni successerunt, quædam erant loca in montium cacuminibus, quę juxta mentem plurimorum Patrum & Interpretum, (o) Deo vero dicata erant, etsi non omnia, saltem plura: & ob rationem situs, vocabantur *Excelsa*. Verùm hoc Deo non erat placitum, etsi non nihilominus ægrè ferre videretur. Quamobrem aliquibus ex regibus, qui in Scriptura laudantur, hoc quodammodo vitio datum est; nempe quòd non abstulerint Excelsa. Sic de *Asa* rege Judæ, de quo dicitur, (p) *Fecit Asa rectum ante conspectum Domini, sicut David pater ejus.* Paulò post subditur; *Excelsa autem non abstulit.* Sic de filio ejus *Iosaphat*, qui pari modo laudatur, eodem modo dicitur, (q) *Verumtamen Excelsa non abstulit, adhuc enim populus sacrificabat, & adolebat incensum in Excelsis.* Et denique de *Joas*, qui in regni sui exordiis laudabilis extitit, idem omninò dicitur; (r) ut proinde de Ezechia rege insigniter probo ingentis laudis loco dicatur: *Ipse dissipavit Excelsa.*

(o) Vid. Pag. nom Interpret. Tabul. ad c. 15. l. 3. Reg. à q. & Salian ad ann. mund. 3080. à n. 1. q. 5. & ad ann. 3138. à n. 1. Torn. Serar. &c.

(p) 3. Reg 15. 11.

(q) Ibid. 22. 44.

(r) 4. Reg 12. 3.

Quod idem inferius repetitur de *Josia*, rege, omnium quot post Davidem fuerunt religiosissimo. (s) Quæ omnia eo fine nonnihil prolixius commemorare libuit; ut constet, apud Judæos, imo (nam id magis patet) apud omnes Israelitas unum tantummodo fuisse Templum, atque unicum id per legem esse licuisse. Quod etiam supra agentes de Domini Circumcisione subnotavimus: timuimus enim, & modo timemus, ne imperitiores aliquot Artifices, assueti, in quacumque etiam non magna nostrarum urbium videre dicata Deo templa, quædamque magnifica, existimarent id potuisse contingere in urbe Bethlehem, & circumcisum proinde fuisse Christum in Templo, etiam si faterentur, Dominum, quando circumcisus est, non exivisse ejusdem urbis terminos & muros. Quod si postremis temporibus templum Deo etiam utcumque dicatum fuerit in monte Garizim (t) apud incolas Samaritanos; hoc nihil ad rem. Templum enim illud sacrilegum erat & schismaticum, altareque erectum contra altare: quod nefas fuit; cùm Ierosolymis tantum templum, quod Deo placeret, existeret. Ad quam rem allusit Samaritana mulier, quę cum Christo Domino colloquuta, (*) *Patres*, inquit, *nostri in monte hoc adoraverunt: & vos dicitis quia Ierosolymis est locus, ubi adorare oportet.*

(s) Ibid. c. 23. 5. & 8.

(t) Cujus hist. pete ex Iosepho l. 11. Antiquit. c. 7. & 8.

* Ioan. 4. 20.

4 Quo neque abs re, neque omnino inutiliter pręsupposito; dicimus, quod optimè, & juxta Evangelii Fidem, & rerum gestarum veritatem depingitur Marię Purificatio, & Pręsentatio Salvatoris in Templo: sed non item, quòd in Templo alius plane à Jerosolymitano rationis & fabricæ, & nostris, quæ modò videmus, omnino simillimo. Templum enim illud antiquum, intra quod tot victimarum, tot pecudum millia mactabantur & jugulabantur, tam nostris (ubi tot victimarum cruenta sacrificia, una Corporis & Sanguinis Christi incruenta complet oblatio, ut loquitur S. Leo Papa) erat prorsus dissimile, quàm quòd maximè. Porrò structuram Templi tam grandis tamque augusti multis, uti ferebat rei dignitas, describere hic non vacat. Quod enim de Roma dixit pręclarus Geographus, (x) scilicet, quòd si pro materia & dignitate describenda es-

(u) Ser. 8. de Passione D. post. med

(x) Pomp Mela l. 2. c. 4.

ſet, perficeret aut ſuperaret alterum opus; hoc idem de Ieroſolymitano templo uſurpari mihi bono titulo poterat. Dicturus ſum nonnihil fortaſſis alibi. * Sed interim, quod ad pręſens ſpectat, hoc Pictores ne neſciant, admonere fuerit operæpretium: Templum illud tribus præcipuè conſtitiſſe partibus; nempe Sanctuario, cum ſuo egregio veſtibulo, intra quod nulli niſi ſolis Sacerdotibus patebat aditus, ut amplius explicabimus: atriis ingentibus, tam Iſraelitarum, quàm Advenarum atque Gentilium; in quorum grandi atque præcipuo, perficiebantur ſacrificia atque holocauſta: & porticibus ex utraque parte, cum multis tàm inferè, quàm supernè exſtructis concamerationibus, aulis, atque habitationibus, pro miniſtrorum & miniſteriorum uſu multiplici. Atque ex his quidem ea tantum loca quæ vocabantur Sancta, & Sanctaſanctorum, cooperta tectis erant; atria verò omnino aperta & ſub cœlo patente, quę nos vocaremus *galerias*, coronabantur. Totum hoc verbis tantùm & citra rerum imagines, oculis ſubjicere ac repræſentare, nemo eſt qui non fateatur eſſe perquam difficile. Monebo tamen interim eos, ad quos hæc penitius noſſe magis ſpectat, ut accuratius oculis perveſtigent Templi deſcriptionem, quam latè proponit Doctor Benedictus Arias Montanus, & quam fecerunt poſtmodum viri conſpicui Patres Pradus & Villalpandus: (z) hac enim ratione melius rem ediſcent, quàm ſi hîc eamdem exponere multis verborum ambagibus conemur.

* Infr. c. 7. n. 3. & c. 10. n. 6. l. 6. c. 11.

(z) Prad. & Villalp. t. 2. in Ezech.

5 Hinc jam facile colligitur, quàm abſurdè Pictores faciant, qui Beatam ipſam Virginem Mariam depingunt intra ſanctiora Templi penetralia: cùm in illo loco nullo modo daretur ingreſſus, non ſolùm feminis, ſed neque viris quidem, qui non fungerentur Sacerdotio: cum hoc tamen ſemper memorando diſcrimine: quòd intra locum illum, qui *Sancta* vocabatur, patebat aditus Sacerdotibus, qui per hebdomadas ſingulas, vices explebant ſuas, ut alibi fuſius dicturi ſumus: * intra locum verò illum, qui ob profundiſsimam reverentiam *Sancta ſanctorum* vocabatur, ubi Arca fœderis (quandiu in Templo extitit) erat repoſita, & ubi majeſtas Domini adorabatur ſedentis ſuper Cherubim; nulli omnino hominum licebat ingredi, niſi ſoli Sacerdoti ſummo; idque non diebus, non menſibus ſingulis, ſed ſemel in anno tantummodo. Conſtat hoc expreſsis Legis latæ verbis, quæ (a) *Et deprecabitur*, inquit, *Aaron ſuper cornua ejus ſemel per annum, in ſanguine, quod oblatum eſt pro peccato, & placabit ſuper eo in generationibus veſtris. Sanctum ſanctorum erit Domino.* Et alibi (b) *Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur ſanctuarium, quod eſt intra velum coram propitiatorio, quo tegitur Arca, ut non moriatur.* Quod idem exponens, (c) *Eritque*, ait, *vobis hoc legitimum ſempiternum, ut oretis pro filiis Iſrael, & pro cunctis peccatis eorum ſemel in anno.* Quam rem Apoſtolus, uti harum rerum cognitione inſtructiſsimus, luculenter illuſtravit, inquiens: (d) *In priori quidem tabernaculo ſemper introibant ſacerdotes, ſacrificiorum officia conſummantes: in ſecundo autem ſemel in anno ſolus pontifex, non ſine ſanguine, quem offert pro ſua, & populi ignorantia.* Quod totum in ſublimiori ſenſu convenire Chriſto, volens aptiſsimè atque eruditiſsimè oſtendere, *Chriſtus autem*, ſubjungit, (e) *aſsiſtens pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id eſt, non hujus creationis; neque per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem, introivit ſemel in ſancta, æterna redemptione inventa.* Sed, quod vix alicui occurrat, majoris adhuc ponderis abſurdum, eſt, quòd ibi deſcribatur à Pictoribus Arca Teſtamenti: quandoquidem hæc, certum eſt quòd in Templo non extitit, neque fuit, poſt captivitatem Babylonicam; imò conſtat, quòd hac inſtante, Jeremias illam abſcondit, docente nos hoc Scriptura ſacra, illis verbis: (f) *Et veniens ibi Ieremias, invenit locum ſpeluncæ: & tabernaculum & arcam, & altare incenſi, & intulit illuc, & oſtium obſtruxit.* Ea verò, conſentientibus non Joſepho ſolùm Hebręo, qui diſſertè aſſerit, (g) temporibus ſuis nihil in eo loco qui Sancta ſanctorum dicebatur, prorſus reperiri; neque ſolùm Hebræis doctoribus, ſed etiam univerſim Patribus atque Interpretibus Catholicis: numquam comparuit, neque morta-

* Lib. 6. c. 11.

lium quisquam unquam scivit, ubi ea manserit, aut ubinam maneat. Id enim colligunt ex verbis illis, quæ statim subduntur: (h) *Et accesserunt quidam simul qui sequebantur, ut notarent sibi locum: & non potuerunt invenire. Ut autem cognovit Jeremias, culpans illos, dixit: quod ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat.* Hanc autem perfectam congregationem esse faciendam sub mundi finem, docent Interpretes: atque adeò tunc Arcam ipsam fœderis in cœlo esse videndam & manifestandam omnibus, colligunt: primò ex illo Apocalypsis: (i) *Et apertum est templum Dei in cœlo; & visa est arca testamenti ejus in templo ejus.* Deinde expresſius docent nonnulli, inter quos (ut plures qui allegari poterant omittantur) P. Franciscus de Mendoza, non segnis neque indiligens interpres. (j) Verùm, quidquid de hoc postremo sit, illud certum atque exploratum est apud omnes, Arcam fœderis nullo modo extitisse jam in Ierosolymitano Templo, tempore Christi: ut proinde ea in Templo non nisi crasso absurdo depingi posset.

(h) Mach. ib v. 6. 7.

(i) Apoc. 11.19.

(j) Mend. 2. in l. 1. Reg. c. 5. 1. annot 5. sect. 2

6 Iam quod Sanctus Simeon tenens puerum Iesum in manibus depingatur; indutus vestibus atque ornamentis Sacerdotis summi, error & ineptia est, ne quid gravius dicam. Oblationem munusque, quod Lege præscriptum erat à muliere puerpera accipere, pro eaque orare, ut mundaretur; Sacerdotis quidem munus erat, ut constat ex illo Levitici: (K) *Cùmque expleti fuerint dies purificationis suę pro filio, sive pro filia, deferet agnum anniculum in holocaustum.... ad ostium tabernaculi testimonii, & tradet Sacerdoti, qui offeret illa coram Domino, & orabit pro ea: & sic mundabitur*: Sed nullo modo summi, sive pontificis. Hoc enim unus tantummodo, neque erat, neque poterat his rebus tam frequenter, imò & tam assiduè contingentibus deditus atque intentus esse. Neque id aliquis in tota Scriptura reperiet. Quod si aliquid providentia factum esset, ut qui Iesum puerum suscepit in ulnas, pontifex fuisset summus; rem tam ingentem, tamque magni ponderis circumstantiam silentio non præteriisset Evangelista. Sanctus ergo atque justus Simeon, sacerdos summus non erat: imò, addo, quòd ne sacerdos quidem aliquis, ex tot millibus qui addicti erant muneri atque officio sacerdotali. Scio non defuisse Patres, qui Sacerdotem eum fuisse putaverint. (l) Sed ego in sententia persisto. Neque ob id existiment aliqui, quibus res hujusmodi minus exploratæ sunt, quàm fortasse par erat, me illis insolita obtrudere, adductum Neotericorum novitatibus. Audiant sępè à me laudatum, & identidem laudandum Interpretem, subacti semper & acris judicii: (m) *Sacerdotem* (inquit vir gravisſimus) *nonnulli fuisse credunt, ut Cyrillus Ierosolymitanus & Epiphanius. Contra Theophylactus & Euthymius existimant meliore, puto, judicio. Nam si sacerdos fuisset, non id tacuisset Evangelista, cùm tam diligenter hominem describere voluisset.* Hæc ille. Sed ego, præter rationem desumptam ex Evangelistæ silentio, quæ hoc loco magni ponderis est; probationes alias libens addo, haud (opinione mea) minoris ponderis. De Simeone enim sermonem agens Evāgelista, postquam dixerat, quod justus & timoratus erat, (n) subjungit; *Et venit in Spiritu in templum.* Hoc est, ductus & actus ab impulsu Spiritus Sancti (ut exponunt laudati nuper Theophylactus & Euthymius) aut monente, & illustrante illum, & certiorem faciente, quòd eum cujus adventum exspectabat, esset reperturus in Templo, ut explicat eleganter Iuvencus Hispanus, cujus verba temperare mihi non possum quin hic exscribam; sic enim habent. (o)

(K) Lev. 12. 6. 7.

(l) Cyril. Jerosl. h. de occursu Domini, & Epiphanius. in l. de Vita prophetar.

(m) Ioan. Mald. ad c. 2. Luc. v. 25. prop. fin.

(n) Luc. 2. 25.

(o) Iubenc. l. 1. hist. Evangel.

Sic ubi curvato defessus corpore, templum
Iam gravior penetrat, monuit quod Spiritus auctor,
Ecce simul parvum gremio Genitricis Iesum
Ad templum sensit venisse.

Nunc (ut nonnihil indulgeamus Scolæ genio) sic argumentor. Si Simeon sacerdos fuisset, nullatenus enuntiasset Evangelista, quòd ille actus & admonitus ab Spiritu Sancto fuisset, ut venerit in Templum; ea temporis circunstantia, eaque occasione. Etenim Sacerdotes, ut ratio eorum mune-

neris postulabat; adventabant in templum, in eoque perseverabant & habitabant tota integra hebdomada, per vices suas, non admonitu, neque inspiratione aliqua Spiritus Sancti; sed officio ipso atque munere: Ergo tam disserte asserens Evangelista, quòd venerit in Spiritu in templum, luce clarius innuit, imò supponit, ipsum non fuisse Sacerdotem; sed ex populo aliquem, quantumvis justum atque pium. Deinde: Nam veniens ille, actus & admonitus inspiratione ductuque Spiritus Sancti, accepit puerum Iesum in ulnas suas; non jam in ipso Templo in loco debito consistentem, sed (ut verbis loquamur Evangelistę) *cùm inducerent eum parentes ejus.* Tum rursus sic: Si aliquo sacerdotali munere Simeon fungeretur, fungi eo non poterat, priusquam lavaretur, vestesque mutaret, juxta præscripta Legis: (p) Atqui Evangelista nullam interponit moram inter adventum sancti senis; & susceptionem pueri Iesu in ulnas suas: Igitur non sacerdos erat, aut aliquo in Templo, saltem per illos dies, sacerdotis munere fungebatur.

(p) Exod. 40.12.13.

7 Sed age. Admittamus fuisse sacerdotem. Tamen, quod ad rem & institutum nostrum attinet, pingi non debet sacerdotalibus ornatus indumentis; multòque minus ornatu pontificis summi. Costat enim ex nuperrimè dictis, quòd adveniens in templum, aut sanè paulò post admodum, quàm advenisset: suscepit Iesum in ulnas suas: Non ergo vestitus sacerdotalibus indumentis: quibus Sacerdotes non utebantur, nisi in eorumdem dumtaxat ministeriis; ut apertè ex Scriptura patet: in qua summatim expositis sacerdotum vestibus, tam summi, quàm reliquorum, statim subjungitur: (q) *Et utentur eis Aaron & filii ejus, quando ingredientur tabernaculum testimonii, vel quando appropinquant ad altare, ut ministrent in sanctuario, ne iniquitatis rei moriantur.* Idemque expressius adhuc tradit immunis in rebus hujusmodi ab omni suspicione expertus, atque oculatus testis: ipse enim sermonem habens de his sacerdotibus, qui propter impedimentum aliquod, quod tamen impuritatem & immunditiam non inducebat, sacerdotio non fungebantur, etiam intra Templum & intra sacerdotale limen admissi: cōstanter affirmat, quòd non Sacerdotalibus, sed plebeis vestibus amiciebantur. Sed demus ejus verba: (r) *Qui verò*, inquit, *ex origine sacerdotum genus ducentes cæcitatis causa munere non fungebantur, cum incolumibus intra limitem aderant, partesque generis consequebantur: vestibus tantùm* (preme hæc verba) *utebantur plebeis: quoniam sacerdotali solus qui sacra celebrabat amiciebatur.* Fuerit ergo senex Simeon sacerdos, sive non; error est quod depingatur infantem Iesum ulnis suis complectens, habitu atque ornatu non solùm pontificali, quod longè majoris absurdi est, sed neque sacerdotali quovis. De quo alio loco, ut præmonuimus, alia pluscula delibabimus. Meliori igitur atque eruditiori cogitatu Mysterium hoc depingeretur, ad id præcipuè quod Evangelista describere intendit, si repræsentaretur in ipso ingressu atrii senex quidam gravis ac venerandus, in cujus ulnis esset puer Iesus; Matre Santissima, hujusque Sponso stantibus haud procul: ipse verò senex, veluti ingenti perfusus gaudio, intentis in cœlum oculis, verba illa gaudii & exultationis plena profundens, quæ referuntur in Evangelio. Simeonem quippe, tametsi quis ille fuerit non satis constet, multis multa hinc inde opinantibus, quæ tamen neque probare, neque refellere ad institutum nostrum spectat: satis constare videtur ex Evangelio ipso fuisse senem, & quidem provectioris ætatis: quod indicant illa verba: (s) *Expectans consolationē Israel,* & illa quæ subduntur: *Et responsum acceperat à Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.* Perfecta autem esset, & omnibus, quod ajunt, numeris absoluta mysterii hujus repræsentatio, si adjungeretur, neque ipsa procul, anus illa perquàm veneranda Anna nomine, cujus & ipse Evangelista tam præclaram mentionem injicit: hæc enim plena diebus ac meritis, eadem ipsa hora cùm venisset in templum, accepta abs dubio ab eodem Spiritu Sancto latentis majestatis divinitatisque sub humano corpusculo revelatione; gaudium suum planè profitebatur, agebatque Deo dignas immortalesque gratias. Quæ omnia ab ipso Evangelista rem describente nullo

(q) Exod. 28.43.

Ibid 6. 37.

nullo negotio peti possunt. (t) Dixi notanter, *ad id præcipue quod Evangelista describere intendit*: nam alia etiam, quę historiæ veritatem concernunt, repræsentare nihil vetat: ut sunt, exempli causâ, sacerdos tunica indutus, tiaraque, aut cidari coopertus (de quibus alibi commodius differemus), oblationem Beatæ Virginis opperiens, & puer eamdem oblationem portans, hoc est utrumlibet duorum (namque determinatè non constat) par nempe turturum, aut duos pullos columbarum: aliaque, si quæ videbuntur opportuna pictori docto atque erudito.

CAPUT V.

DE PICTURIS FUGÆ CHRISTI DOMINI IN ÆGYPtum: & de quibusdam in iis admonitione aut correctione dignis.

I. Fugam Christi Domini in Ægyptum, quam retulit Matthæus, fuisse post ejusdem præsentationem in Templo, judicio & opinione mea, de Fide est: Etenim ex hac rerum positione dependet utriusque Evangelistæ conciliatio & consensus. Qui enim fugam ante præsentationem temerè anticiparet, cùm Christus in Ægypto permanserit usque ad obitum Herodis; (a) cogeretur asserere, aut eumdem nunquam in Templo fuisse præsentatum, neque ut sisterent eum Domino parentes ejus curavisse, quod nefas est asserere: aut non fuisse præsentantum expleto quadragesimo post nativitatem die, (b) quod in idem recidit inconveniens. Fugerunt igitur cum puero divino in Ægyptum sanctissimi parentes, post præsentationem ejusdem factam in Templo Jerosolymitano, cùm prius Angelus per quietem admonuisset sanctum Iosephum, ut in Ægyptum fugeret. (c) Neque opus est ut admonitio eadem fuerit facta in urbe Nazareth, ad Galilææ ditionem spectante, ut volunt aliqui etiam insigniter eruditi; (d) sed sat est quòd contigerit, aut in quovis oppido ditionis Iudææ, ut videntur asserere authores quique gravissimi, (e) quos novissimè dissertè sequitur pius atque eruditus Scriptor; (f) aut in ipsa urbe Bethlehemitica, quò post præsentationem redierint parentes, ut alii autumant. Nam quòd Evangelista Lucas ait, quòd post præsentationem redierint parentes Christi ad urbem Nazaretham, illis verbis; (h) *Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam, in civitatem suam Nazáreth*: quamvis torqueat viros apprimè doctos, non nimis urget. Etenim objectionem hanc viderunt jam, atque solverunt alii. Prætermisit enim Sanctus Lucas Magorum adventum, fugamque in Ægyptum. Et solemne est, fuitque non semel Evangelistis, quando aliquid ex his quæ gesta sunt omittere visum est illis, quæ inter se revera disjuncta fuerunt; quasi immediatius gesta fuissent, connectere inter se atque conjungere. Solutionem omnibus præbuit Augustinus Parens, accuratè hic observandus atque legendus: qui ut hanc apparentem narrationum discordantiam ad debitam revocet concordiam, illud habet: (i) „ Hîc proinde cognoscendum est, quod deinceps ad cetera talia valeat, ne similiter moveant, animumque conturbent, sic unumquemque Evangelistam contexere narrationem suam, ut tamquam nihil prætermittentis series digesta videatur. Tacitis enim quæ non vult dicere, sic ea quæ vult dicere, illis quæ dicebat, adjungit, ut ipsa continuò sequi videantur. Sed cùm alter ea dicit, quæ alter tacuit, diligenter ordo consideratus indicat locum ubi ea potuerit á quo prætermissa sunt, transsilire, ut ea quæ dicere intenderat, ita superioribus copularet, tamquam ipsa nullis interpositis sequerentur. Itaque regressus in Galilæam ad urbem Nazareth, eo modo debet intelligi, ut contigerit non solùm post Christi nativitatem, Ma-

(a) Mat. 2 ...

(b) Luc. 2 ...

(c) Mat. 2 ...

(d) Ioan. Mald. ad Mat. v. ... &c.

(e) Div. Aug. De Concord. Evang. l. 2. c. 5. t. 4. p. 173. Be... Ian... Cai... l. c. 2. ...

(f) Paul. Pez. in Concord. Evang. t. ...

(h) Luc. 2. 39.

(i) Aug. De Conc. Evang. l. 2. c. 5. t. 4. p. 173.

Magorum adorationem; Præsentationem in templo; sed etiam post reversionem ex Ægypto, quam, sicuti & fugam, Lucas omninò silentio prę-teriit.

2 His igitur commodè ad majorem neque omnino importunam historię intelligentiam annotatis; si hic commentatoris officio fungeremur, plura erant quę deberemus animadvertere circa fugam Christi in Ægyptum. Sed alia est (ut sæpè monuimus, sæpeque monebimus) scopi nostri ratio; hoc est Pictorum & Artificum institutio, &, quoad rerum gestarum descriptionem, aliqualis major eruditio. Monebo autem hic obiter Lectorem, nullam prorsus mentionem me facere de Infantium cæde, quæ in Bethlehem, & in ejus confiniis facta est Herodis jussu, cùm se vidisset illusum à Magis; *qui admoniti in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam*; cùm tamen eos opperiretur rex impius æquè atque versutus, ut sibi de puero renuntiarent, quemadmodum illis præscripserat, eosdem affatus illis verbis: (j) *Ite, & interrogate diligenter de puero: & cùm inveneritis, renuntiate mihi; ut & ego veniens adorem eum.* Circa quę nonnulla inquirenda fortasis erant; quę tamen quia ad Pictorem sacrarum Imaginum non attinent, aliis discutienda relinquimus. Atque eadem de causa circa factum ipsum, cædemque iniquisimam & crudelisimam nil momenti est, quod hìc observari aut annotari debeat. Illud enim, velut in subjecta oculis tabula Augustinus Parens verbis elegantisimis descripsit, (K) admirandaque prorsus varietate, & operis pulcritudine descripsere plures: inter quos eminent P. Paulus Rubenius, & Iacobus dictus vulgo Tintoretus. Quare ad institutam de fuga Christi Domini narrationem redeo: in qua non multa sunt quæ admonitione indigeant, castigationeve. Itaque pingitur Infans Jesus in brachiis sanctisimę Matris (tantæ nempe majestatis ac sanctitatis throno dignisimo) ipsa verò sacra Deipara asello insidens, quem capistro ducit sacratus Sponsus. Nihil horum certè constat ex Evangelio. Fatemur id quidem. Sed quid? Indignabimur propterea, & morosi erimus in re, quæ licet alioqui non constet, tamen nihil contra se habet; & præterea innititur conjecturis satis superque probabilibus? Absit. Credibile enim non sit, quòd Virgo tenerrima, qualis erat sacra Deipara, tantum itineris quantum est inter Palæstinam & Ægyptum, pedibus potuisse conficere. Commodè ergo depingitur insidens, si non equo, saltem asello; præsertim cùm hoc moris fuisse, & quidem antiqui, ipsa sacra denotet Scriptura, ubi ita habetur: (l) *Tulit ergo Moyses uxorem suam, & filios suos* (scilicet admodum parvulos) *& imposuit eos super asinum, reversusque est in Ægyptum.* Jam soli fœcunditas, & camporum amœnitas, quæ in hoc itinere sępè depinguntur, res magni momenti non sunt, quamvis alioqui constet, campos, qui Palæstinam & Ægyptum interjacent, non esse eos qui amœnitate polleant, aut qui ferant uberiorem glebam.

3 Igitur Pictores, cùm nihil satis firmum & expressum occurrat, variis propriæ phantasię lusibus illud exornant, & quidem nonnumquam sat indecoris atque ridiculis. Hujusmodi est qui describitur à viro perdocto & purpurato: (m) Pingunt enim sacram Deiparam accepto in manu vasculo, cum quo aquam è fluvio haurit, ut porrigat Filio; sanctumque Josephum carpentem fructus ex arbore, quos divino infanti identidem administret. Puerilia sunt hæc, ludicra, & penè dixerim ridicula: in quæ tamen Pictores incidunt, qui præter decorum, nimiùm suis cogitatibus atque imaginationibus indulgent. Neque per id derogare volumus authoritati virorum gravium, qui duo in hoc casu adventus Christi in Ægyptum confirmata testimonio suo voluerunt. Primum est: quòd Christo in Ægyptum ingrediente idola corruerint Ægypti. Secundum: eidem urbem Hermopolim accedenti, ingentem & præcelsam arborem, obsequio veluti reverenti, demissam fuisse, atque inclinatam. Utrumque narrant atque commemorant Authores omninò fidedigni. Et primum quidem Palladius, si non facti, saltem loci testis oculatus, famæque perdurantis auditor: ita enim habet: (n) *Vidimus autem alium quoque virum sanctum in Thebaide in finibus Hermopolis; in quam Servator venit cum San-*

(j) Matth. 2. 8.

(K) D. August. ser. 1 de Innocentib.

Sancta Maria & Joseph implens prophetiam Esaiæ. Et paucis interjectis: *Vidimus*, inquit, *illic quoque templum, in quo, ingresso urbem Servatore, ceciderunt omnia simulacra in faciem super terram.* Quod idem referunt Sozomenus, Cassianus & Nicephorus: (o) & quidem non sine ingenti causa: omnibus enim præluxit vaticinium Isaiæ, qui, ut assolet, mira claritate res Christi complectitur: ita quippe habet: (p) *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægyptum: Et commovebuntur simulacra Ægypti à facie ejus; & cor Ægypti tabescet in medio ejus*: ut proinde mirum non sit, si ad hanc veluti historicam & literalem interpretationem concurrerint Patrum & scriptorum quique gravissimi. In primis enim sic interpretantur Athanasius, (q) & Hieronymus, (r) clariusque ac dissertius Eusebius, (s) qui citato Isaiæ loco, post plura hæc habet notatu digna: *Sed si supra omnem rationem, rebus fidem ipsa veritas facit, atque etiam rudissimis & sensu carentibus evidenter ostendit.... quid aliud jam superest, nisi ut fateamur, non aliter ista contigisse, quàm per Domini in Ægyptum adventum?* Paucisque interjectis: *Attamen cum etiam ipso corpore Salvator noster in terram Ægyptiam vectus sit, quo tempore oraculo monitus Ioseph, surrexit, Mariamque unà cum puerulo accepit, & cum occulta sua virtute atque efficacia in Ægyptū pervenit, malignas ibi prius habitantes potestates non mediocriter commotas fuisse par est, &c.* Quibus non omnino absimilia habet eleganter Ambrosius. (t) Itaque factum hoc adeò certum existimatur, adeoque illud multi referunt, ut in numero traditionum referri posse videatur authori sæpius laudato atque gravissimo: (u) proindeque nihil vetat quo minuus ab eruditis Pictoribus describatur.

(o) ...z. li... hist. Cas. ...cap. ...icef. ...o. c. (p) Isai. (q) Atha... de In... Verbi ...ro. (r) Hier. hunc ...oc. & ...xpos. ...6. (s) ...emō. ...Ev. ...c. 2. (t) Am... in ...t. ad ...to. 1 ...119. (u) ...n In... virg. ... Mald. ...ap. 2. ...th. v. col.

4 Secundum autem illud de præcelsa arbore Christo Domino Ægyptum ingredienti inclinata, reverenti veluti quodam obsequio, narrat dissertè Sozomenus; (x) cujus verba, utpote clarissima, hic non gravabor exscribere: *Nam*, inquit, *traditum est Ioseph cùm propter Herodem assumptis secum Christo & Maria sancta Deipara, fugisset, venisse Hermopolim, atque simul ut portæ appropinquavit, eam arborem, licèt planè maximam, adventu Christi turbatam esse, atque ad solum usque se inflexisse, & Christum adorasse.* Quare hoc etiam factum meritò in picturis hujusmodi licebit Pictori erudito describere. Quòd verò ad alias narratiunculas attinet, in quibus pleraque referuntur de Infante Jesu in Ægypto commorante, nil aliud quod dicam habeo, nisi transcribere hic ad unguem judiciosi Scriptoris verba, (y) quæ sic habent: *In qua autem urbe Ægypti manserit, quidvè ibi egerit, monendum lectorem judico, ut non solùm in inquirendo minimè curiosus, sed etiam in credendo, si quid invenerit, cautus sit. Multa enim de Christi in Ægypto miraculis, obscuris vulgò auctoribus circumferri video, quæ haud scio, an ex Alcorano Mahumeti manaverint, ubi eadem inter fabulas lego, & non decet Christianos à Mahumeto spurcissimo, mendacissimo authore, Christi discere miracula.* Et denique paucis interjectis, quæ paulò fusius commemoravimus, *Credatur*, inquit, *Sozomeno veterem famam referenti... Mahumeto tamen, & nescio cui de infantia Salvatoris libro toties ab Hieronymo, aliisque Patribus repudiato, ne credatur.* Quo nihil, ut mea fert opinio, magis plenum judicio maturitateque dici potuit.

(x) Soz. ubi supr.

(y) Mald. ibid.



CAPUT VI.

DE PICTURIS INFANTIÆ SALVATORIS: & quid in his vitare, aut prosequi debeat Pictor eruditus.

1 Luscula certè de his quæ ad hoc caput spectant, in præcedentibus, carptim saltem & transcursim loquentes, nonnullis in locis tetigimus: quæ proinde ignoscat velim pius lector, si hìc videantur fusius commemoranda: præsertim cùm in hujusmodi genere scripturæ difficile admodum sit non aliquid repetere, &, quod proverbio dicitur, non eamdem crambem quodammodo recoquere. Nihil porrò frequentius inter sacras cernitur Imagines, quàm infans & puer Jesus vario & multiplici modo depictus; sed non semper, ut ratio pietatis, doctrinę, ac devotionis exposceret. Jam monuimus non uno in loco, neque umquam id sæpius admonere gravabimur, quàm minus honestum atque decorum sit depingi *Iesum* omnino nudum: quod tamen Pictores præstant, non tantùm in infantili & tenerrima, qualis est paucorum mensium; sed etiam in puerili, & aliquorum annorum ætate. Non ita congruit suæ ipsius Salvatoris nostri modestiæ; non illius purissimæ ac virgineæ Matris candori ac puritati. Quocirca non ita depinxerunt Pictores veteres & Artifices, pietatis & modestiæ studiosi, quamquam in arte Graphica longè minus, quàm fuerunt recentiorum temporum, præstantes. Sed hi, quòd exhibere nuda corpora existimant fore excellentioris artificii, hanc pingendi viam atque rationem sunt sequuti; obliti fortassis, quòd in sacris Imaginibus, & præcipuè Christi, Matrisque purissimę, longè potior est, ut pietas, reverentiaque appareat, quàm Artis ingeniosa peritia. Verùm quia de hoc alibi disseruimus in genere, * gradum ad alia facimus.

* Lib. 1. cap. 10.

2 Frequentissimè pingitur Christus infans, imò puer nonnihil grandior, ludicra pueriliter exercens: veluti cùm describitur aviculam, aut passerem filo illigatum, tantisperque avolantem manibus gerens. Et quandoque equitans super agnum; aliisque simillimis modis. Sed hæc omnia, & si quæ alia sunt his finitima, ut vidit gravis atque insignis dignitate author (a) meræ sunt ineptię atque nugæ. Non his Christus Dominus, adhuc in infantili ætate, deditus, aut intentus erat: majora longè gravioraque, & quorum recordatione, si non suis passionibus excellenti dominaretur imperio, mœrere & contristari poterat; volvebat, agitabatque animo sanctissimo. Pollebat præterea perfectissimo rationis usu, non solùm recenter natus, sed etiam in primo animationis & conceptionis instanti; usque adeò, ut ab illo, & in illo ipso momento Patri suo æterno exhibuerit, atque præstiterit reverentissimam summissionem & obedientiam. Quod quidem ipse Apostolus Paulus cœlestibus luminibus satis superque imbutus animadvertit, cùm illud asseruit de Christo Domino, non solùm in mundo conversante, sed mundum eumdem ingrediente: (b) *Ideò*, inquit, *ingrediens in mundum dicit; Hostiam & oblationem noluisti, &c.* Quod divinè juxta atque eleganter concludens, ait, per hanc Jesu Christi ingredientis in mundum obedientiam summissionemque sanctificatos homines fuisse. (c) Quem propterea non infantilibus, puerilibusvè lusibus deditum credere omnino par est, sed meditationibus, cogitatibusque quibusque gravissimis. Sanè in Lege adhuc veteri, de viro sancto, beneque per omnia instituto, nempè Tobia, illud meritò commendatur (d) *Cum esset junior omnibus in tribu Nephthali, nibil tamen puerile gessit in opere*: in Lege verò Gratiæ, cujus Christus ipse fuit lator & conditor, satis superque scimus, non unum aut alterum, sed plerosque ex iis, quos, ut loquitur Psalmista,

mista, prævenit Dominus in benedictionibus dulcedinis; ab ipsa non solùm pueritia, sed penè infantia instituisse atque arripuisse perfectionis iter, qui tam obvii atque frequentes occurrunt evolventibus sanctorum gesta, vel ea solùm quæ in eorum solemnitatibus decantantur; ut omninò superfluum videatur eorumdem hîc contexere prolixiorem indicem. Quid ergo de Christo ipso totius sanctitatis fonte putandum est? Nihil certè, quod cum hujusmodi lusibus atque ineptiis commune sit, aut benè cohæreat.

3. Ad idem prorsus caput reduci potest, quòd puerulus *Jesus* frequentissimè cum cognato suo secundum carnem Præcursore Baptista puerulo etiam, colludens, ac lusitans describitur. Ad idem, inquam, caput: nisi quod hoc deinde, præter ipsius rei incongruam levitatem, falsitatem etiam satis apertam importet, quam à pueris ex picturis addiscunt Fideles: atque utinam non solùm rudiores, literarumque expertes; sed etiam si qui vulgò audiunt docti & literati. Quam quidem in utrorumque gratiam non erit abs re paucis exponere. Certè nec ex Evangelio, neque ex aliqua, quę plenam fidem mereatur, historia probari, aut deduci potest, Christum & Præcursorem ejus Baptistam, cùm pueri adhuc essent, alicubi concurrisse, aut sese vidisse mutuò. Non diffitemur igitur, hoc per temporis & ætatis rationem, absolutè sumptam, potuisse contingere; cùm Baptista, ipso Christo Domino sex tantùm mensibus esset major: si nempe Jesus aut in urbem illam Judę, ubi Baptista natus est, quæ à plerisque creditur Hebron, aliquando adventasset; aut Baptista ipse commigrasset in Galilæam ad Nazareth, trium ferme dierum itinere ab Hebrone distantem. Sed quòd illud re ipsa & de facto, ut loquimur, non contigerit, nimiùm fallimur, nisi ex ipso Evangelio plusquàm apertè constet, &, penè dixerim, evidenter. Recens enim nato Præcursore Baptista, cùm adhuc Christus Dominus gestaretur in alvo purissima, reversa est domum suam ad Nazareth intemerata Virgo. Constat id ex illo quod in Evangelio dicitur (e) *Mansit autem Maria cum illa* (id est, cum cognata sua sancta Elisabeth) *quasi mensibus tribus; & reversa est in domum suam.* Ipsa eadem, occasione edicti, profecta est in Bethlehem; ubi Christum edidit immaculato partu. Hunc præsentavit in Jerosolymitano Templo, post solos quadraginta dies, post quos, neque multos alios, in Ægyptum jussa est non segniter, sed cum non modica festinatione proficisci. Quod constat ex illo Matthæi, (f) *Qui consurgens, accepit puerum & matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum*; ubi toto reliquo Herodis vitæ tempore permansit: quandoquidem *erat*, inquit, *ibi usque ad obitum Herodis.* Non ergo concurrerunt, aut fuerunt simul aliquando Præcursor ipse & Servator noster pueri, saltem ante profectionem in Ægyptum, imò ante reversionem ad terram Israel. Quod autem post reditum ex Ægypto numquam etiam concurrerint, fortasse exposcebat dissertationem ac disputationem aliquantò longiusculam: nempe ut reducerentur ad Chronologię calculum exactum anni quibus Christus manserit in Ægypto. Ego verò, cui his Chronologiæ spinosis disputationibus lectorem meum intricare atque implicare non est cordi, facilius id probaturum me esse confido. Christus enim in Ægypto, ut minimum quatuor, commoratum fuisse annos, Auctorum gravissimorum sententia est: (g) quam mihi absque evidentibus demonstrationibus convellere nec vacat, nec libet. Erat igitur Præcursor Joannes, eo tempore quo Christus cum Virgine Matre rediens ex Ægypto ad Nazaretham urbem accessit, agens jam quintum ætatis annum, quem non multò post omninò exegit. Nunc videamus, ac sedulò inspiciamus, quid de Baptista ipso per id ætatis observaverit Evangelista, qui ita habet: (h) *Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu; & erat in desertis, usque ad diem ostensionis suæ ad Israel.* Igitur mirabilis Christi Præcursor, quò purior, & quò dignior redderetur tanto ministerio, non adultioris pueritiæ, sed ipsius penè infantiæ annis, motus divino Spiritu, secessit in eremum; ut ibi austeram, & ab omni urbium atque hominum societate sejunctam vitam transigeret. Bene hoc quidem, atque sapienter disponente Deo: *Oportebat enim* (inquit Euthymius, i) *eum à teneris, quod dicitur,* um

(e) Luc. 1.

(f) Matth. 2.14.

(g) Vid. Ioan. Maldon. ad c. 2. Matth. v. 14. col. 57. & 58.

(h) Luc. 80.

(i) Euth. ad cap. Luc.

unguiculis ad virtutem exerceri, & ut liberè argueret, & ut Christi, qui à se annunciaretur, existeret testis fidedignus. Quibus similia habent Theophylactus, Titus Bostrensis, aliique passim. Quę omnia elegantissime complexus est Paulus Ecclesiæ Romanæ Diaconus: is enim fuit author hymni, qui in festo Præcursoris canitur, (j) qui sic habet.

(j) Vide Ger. Jo. Vossium de Music. c.10.p.40

Antra deserti teneris sub annis,
Civium turmas fugiens, petisti,
Ne levi posses maculare vitam
Crimine linguæ.

4. At, ut urgeamus rem magis stricte, inquirere placet: quoto anno ætatis suæ innocentissimæ in desertum aufugerit? Qui magis hanc rem protendere videntur (nam alii plurimi citius esse factam sibi persuadent) (K) vix ad Baptistæ quintum annum ętatis exactum pertingunt. (l) Fit ergo consequens, quòd per id temporis in quo, & non ante, regressus est Christus ad urbem Nazareth, ad eamdem urbem Baptista Præcursor, neque collusurus, neque colloquuturus, neque visurus etiam Christum accesserit: Quod probandum erat: ut clarè ostenderetur, puellum Iesum bimum, triennem, aut ut summum, quadriennem (sic enim pingitur atque describitur) cum puero Præcursore numquam lusitasse; imo neque cum illo umquam puerilem ætatem agente concurrisse. Hæc verò (quod dicimus, ne rerum istiusmodi severiores Critici sibi persuadeant, illud omnino nescientes atque ignorantes præteriisse, aut dissimulasse.) Hæc, inquam, disseruimus, juxta vulgatam communemque Epocam rem tractantes. Neque enim nos fugit, quòd si aliâ, & fortassis exactiori via ineatur calculus & supputatio anni, in quo incidit Christi ortus, juxta quam vera Epoca & supputatio anni natalis Christi vulgatam nostrā biennio ante cessit: quod placet viris eximiè doctis, atque in hoc campo insigniter exercitis, quorum agmē ducere bono jure potest egregius de *Doctrina temporum* scriptor Pater Dionysius Petavius Soc. Iesu; (m) aut secundum alios, toto quadriennio; quod prior statuisse videtur pius atque doctus ejusdem Societatis author: (n) Non dubium est quòd juxta hos calculandi, & supputandi modos, res præsens alio modo, quàm hic descripta est, potuisset contingere. Sed in primis has de Chronologia investigationes, quæ raró, aut ferè numquam conveniunt instituto nostro, libenter aliis relinquimus consectandas. Deinde: dato quòd ita quoquo modo accidere potuisset; quòd tamen ita re vera acciderit, non facilè credendum est; adeòque neque pingendum à Pictore cordato & erudito; si non ob aliud, saltem propter ipsius rei indecoram levitatem; quam maculam sola gravis, atque urgens auctoritas deberet, aut potuisset abstergere. Quæ omnia sicut & alia, si Pictores animadverterent, aut studuissent addiscere, non ita frequenter depingerent, contra historiæ & rerum gestarum veritatem. Ipsi tamen (quod eorum pace veniaque dixerim) non admodum ea curant, dum assueti rebus hujusmodi, genio tantùm indulgeant & ingenio. Neque verò mihi aliquis subiratus aut omnino stomachabundus objecerit, dicens: Quid tu istud ais? Sequimur majorum vestigia. Sic pinxerunt Artifices ubivis gentium celebrati atque peritissimi: sic Michael Angelus, sic Ticianus, sic Raphael Urbinas, sic Rubenius; sic ferè omnes, quorum Opera frequenter celebrantur. Ne, inquam, id objecerit: Nam respondebo ego tam verè quàm facile: Quid tum postea? Pinxerunt sanè. Ego verò dicere non intendo quid illi fecerint, sed quid facere debuissent, si magis studuissent attendere ad rerum gestarum veritatem. Quare magnos & insignes Artifices impensè colo, & demissè veneror: quòd verò hęc aut illa pinxerint, pro his, quæ esset depingere consultius, non laudo. Similiter eorum successores, quòd tanta exempla sibi proposuerint, quantum ad pingendi peritiam spectat, quotusquisque erit qui non collaudet? Verùm quod in rebus repræsentandis in eorumdem, quantumlibet magnorū hominum, errores impegerint, neque laudari, neque dissimulari potest; quamquam fatendum est hos postremos majori esse excusatione dignos; quandoquidem natura ipsa comparatum est, sive potius erroris vitio, quòd passim sectemur cæcam imitationem: namque, ut præclarè sæpèque etiam Seneca dixit, (n) *Inter causas malorum nostrorum est, quod vi-*

(K) Orig. homil. 9. & 11. Nicephor. l. 1. c. 4. Cedrenus in Compend hist. &c.
(l) Franc. de Marronis ser. de Bapt.
(m) P. Dion. Petav. t. 2. l. 12 cap. 7.
(n) Ioan. DeKerius in Opere,

vivimus ad exempla; nec ratione componimur, sed consuetudine abducimur. Sed nos eò undè digressi nonnihil sumus, revertamus.

5 Quòd puer Jesus depingatur in libro, quem gerit in manibus, literas addiscens à Matre Sanctissima; intolerabile absurdum est, quod supra annotavimus, * satisque, ut mihi videtur, explosimus. Et erunt fortasse mentes nimiùm simplices; aut, quod verius est, mirandum in modum ineptę, quibus hoc pium admodum videatur. Quasi verò Verbum caro factum, etiam in quantum homo (ut utamur verbis Scholę) aliquid didicerit, aut discere potuerit ab aliquo hominum, Angelorumvè: cùm idem, etiam in quantum homo, frueretur non solùm scientia beata, sed & infusa, omnium perfectissima. Sanè si à Matre purissima ac prudentissima prima elementa literarum discere potuit, non erit, aut non videbitur inconveniens, etiam ab eadem didicisse alia graviora, & sublimiora, quæ (ut de Theologicis ac divinis taceam) spectant ad cognitionem philosophicam tam Naturalem, quàm Moralem; imò & ad ipsas disciplinas Mathematicas: in quibus omnibus Christus supra omnes homines excelluit, ut non solùm docent Theologi, sed non obscurè ipse Christus nos docuit illis verbis: (o) *Ecce plusquam Salomon hic.* Quare hæc pingendi ratio referenda est, non tantum inter ineptias, sed etiam inter errores, eosque magnopere periculosos. Quòd verò idem Christus Dominus in infantili, aut saltem admodum puerili neque satis adulta ætate depingatur, serram, aut terebram tractans, adjuvans in opificio Sanctum Josephum, qui illius putatus est pater; non errorem dixerim, sed puerilem & parùm credibilem ineptiam. Non eo loco habitus est à parentibus sanctis, ut in tenera ætate id facere atque præstare juberetur aut permitteretur. Neque ipsum illis rebus operam dedisse credendum est, quæ ætatis erant non propriæ; &, quantùm ferebat humani corporis imbecillitas, erant infirmis viribus non seriò, sed per jocum tractandæ. Quod hoc modo depingi maximè conveniet in ætate robusta ac juvenili, postmodum explicabimus; * in admodùm verò puerili, secus censeo.

* Lib. 1. c... n. 5.

(o) Mat. 12. 42.

6 Relinquuntur ergo Imagines aliæ infantiæ atque pueritiæ Christi Domini, quæ non tam ad historiam pertinent, quàm ad expressionem piorum cogitatuum. Hujusmodi sunt: quòd depingitur super Crucem dormiens, subjecto pro pulvinari humano cranio: Quòd expansis brachiis Crucem allatam & oblatam ab Angelis suscipit: Quòd instrumenta Passionis humeris atque manu gestat: aliæque id genus. Quas omnes Imagines nemo jure repudiet; cùm omnes, etsi non in facto aliquo determinato fundamentum habeant; habent tamen illud, neque leve, in eo quòd Christus Dominus à primo etiam suæ conceptionis instanti mortem, passionemque acerbissimam sibi à Patre injunctam lubens acceptaverit, atque in eam paratus, imò eamdem sæpius recogitans, vixerit: satis sciens, quòd per eam mortem, ipsam diabolumque esset superaturus. Itaque hæ omnes libenter amplectendæ, si tamen nihil contra præjactas regulas admittatur; ut esset nimia corpusculi nuditas, aut vel levis etiam in momenti tanti rebus absurditas major. Hoc verò postremum propterea dixi, quòd, si malè non memini, viderim aliquando atque observaverim depictum puerum Iesum genuflexum ante Crucem, illamque adorantem. Illud verò non ita repræsentari debere, ex eo constat, quòd Crux ipsa per se respectu Christi Domini, non erat subjectum adorabile, quamvis eamdem ferventissimo amore, demissaque Patris obedientia fuerit amplexus; & quamvis ipsa postmodùm decorem & pulcritudinem, & justissimum ejus, quam nos impendimus, adorationis titulum, de membris Domini susceperit. Quare longè melius describitur orans Patrem, Crucem amplectens; aut super eam etiam genuflexus, ut sæpè describitur. Et hæc sunt, quæ de Picturis atque Imaginibus Christi Domini in infantili, & puerili ætate dicenda habuimus. Pergimus ad notiora.

* Infra c. sequenti, n. 4.

CAPUT VII.

DE PICTURIS CHRISTI DOMINI IN TEMPLO reperti, ſedentis in medio Doctorum.

1 

NIHIL hominibus tam pronum & proclive eſt, quàm res, etiam ſi illæ aliter ſe habeant, propriis cogitatibus, imo & affectibus metiri. Hoc in picturis Chriſti Domini in templo reperti, ſedentiſque in medio doctorum, ſatis oſtendi ex his quæ ſtatim dicemus, omnino dignoſcitur. Narrat divinum Evangelium, quòd exiſtens Ieſus annorum duodecim, comitatus parentes in Ieruſalem, ibidem clam ipſis remanſit; *Et*, quod ad rem præſentem attinet, (a) *factum eſt, poſt triduum invenerunt illum in Templo ſedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos.* Hæc Evangelii narratio à Chriſtianis Pictoribus, religioſis quidem, & de Domini dignitate ac majeſtate, ut par eſt ſentientibus, quamquam rerum minus quàm eoſdem decebat imperitis, ita deſcribitur: Depingitur & repræſentatur puer Ieſus throno elevatiori inſidens: doctores autem Legis circum depinguntur, ſedentes ſuper ſcamna multum inferiora; ad eum ferè modum quo depingitur, aut pingi poteſt Academiæ anteceſſor aut cathedrarius in actu ipſo docendi diſcipulos. Hæc verò pingendi ratio recepta eſt admodum, atque antiqua. Recepta, inquam: nam, ne longius abeam, in Bibliis ſacris ipſis quibus utimur, ita deſcribitur, & ſæpè alibi ad eumdem modum repræſentatur. Inſuper & antiqua. Admonet enim me vir doctiſsimus Antonius Boſius in inſigni opere Romæ Subterraneæ, quod admodum illuſtravit Ioánnes de Sancto Severino, Oratorii Romanus Presbyter; reperiri in Cæmeterio Calliſti via Appia & Ardeatina in primo ejuſdem cubiculo imaginem marmori, ut videtur, inſculptam, quæ narrationem eamdem modo quem expoſuimus, repræſentat; (b) licèt alioqui ſatis oleat inſcitiam & ruditatem illius in quo facta eſt temporis. Nempe id eſt quod dicebam nuper, Chriſtianos Pictores rem geſtam ſuis cogitatibus, & plenis in Chriſtum Dominum reverentia affectibus, fuiſſe dimenſos.

(a) Luc. 2. 42. & 46.

(b) Rom. ſubterran l. 3. c. 23. pag. 302. editionis Italic.

2 Hanc verò rem concipiendi atque deſcribendi rationem ineptam eſſe; imò apertè falſam, Pictores omnes quot ſunt atque fuerunt, noſſe potuiſſent facile, ſi placuiſſet illis ipſius Evangelii verba penitius introſpicere. Signatè enim, & quâ major eſſe non poteſt perſpicuitate ac claritate docet Evangelium, puerum Ieſum repertum eſſe, non docentem, erudientemvè doctores Legis: atque adeò, non ſuper ſublimiori cathedra collocatum, quod proprium doctoris ac magiſtri eſt; ſed *audientem illos, & interrogantem eos*; quæ partes ſunt diſcipuli, atque adeò in humiliori loco conſiſtentis; imò ſedentis ſuper ſcamna, aut gradus, quæ ſub pedibus doctorum erant, ut mox videbimus. Vidit hoc & notavit acris maturique judicii ſcriptor, (c) quem numquam ſine honoris præfatione nomino. „Neque enim, *inquit*, ut „opinor, ſignificatur illum in loco „doctorum conſediſſe, ut quidam „intelligunt. Nam neque Evange„liſta tamquam doctorem, ſed tam„quam diſcipulum ſediſſe indi„cat, cùm audiſſe tantum & in„terrogaſſe dicit, quæ diſcipuli ſunt „partes. Et poſt pauca: Sed in me„dio doctorum ſediſſe dicitur: quia „credibile eſt, doctores in orbem „juxta parietes editiore ſediſſe loco: „auditores verò in medio, humilio„ribus ſubſelliis, ut multis etiam lo„cis fieri videmus. Neque hanc interpretandi viam è cerebro ſuo, quamquam alioqui grandi, vir magnus protulit: Eccleſiæ Patres, ut illi mos eſt, duces atque magiſtros habuit, qui pluribus locis id ſatis innuunt; quorum ſelectiora libare ſaltem hic licet ac libet. Origenes, (d) *Quia parvulus*, inquit, *erat, invenitur in medio, non eos docens, ſed interrogans;*

&

& hoc pro ætatis officio. Atque ibidem: *Exemplo suo docuerit, ut magistros suos discipuli potius audiant, quàm doceant, nec se vana ostentatione jactent.* Sed pressius adhuc atque elegantius Gregorius; (e) *Vigilanti,* inquit Magnus Pater, *consideratione pensandum est, quòd cùm Iesus duodecim annorum dicitur in medio doctorum sedens, non docens, sed interrogans invenitur. Quo exemplo scilicet ostenditur, ne infirmus docere quis audeat, si ille puer doceri interrogando voluit, qui per divinitatis potentiam verbum scientiæ ipsis doctoribus ministravit.* Quibus similia habet Beda, (f) habentque alii. Cùm verò in Magni Gregorii verbis audis, quòd *doceri Iesus voluit*, hoc benigne interpretandum est; ut intelligatur, non verè id & propriè contigisse, sed juxta hominum æstimationem apparentiamque externam, ut ætati Christus condescenderet, modoque illius sese conformaret. Aliunde enim ex Evangelista colligitur, ita illum discipuli sustinuisse personam, ut dum responderet interrogatus, multa illos eosdem, à quibus interrogabatur, respondendo doceret; quòd Evangelium clare denotat illis verbis quæ subjiciuntur; (g) *Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super doctrina & responsis ejus.*

(e) Div. Greg. in Pastorali, cap. admonit. 26

(f) Beda in. ad hunc loc.

(g) Luc. 2

3. Itaque, ut rem propius agamus nostram, Christus in hoc facto nullatenus depingendus est sedens in sublimiori cathedra, & doctores Legis sedentes in inferioribus minoribusque subselliis, sed contra, in uno ex his, aut in gradibus Christus; doctores verò in sublimioribus ad parietem cathedris. Quam rem ut illustremus, reddamusque, ut opinor, perspicuam, erit eadem à fontibus, quod ajunt, & ab ipsa origine repetenda. In templo Ierosolymitano, de quo nonnulla diximus supra, & alia, ut occasio poposcerit, fortassis dicemus, erant in ipsis porticibus, imo ad earum portas, ad diversa ministeria ususque, aulæ & habitacula. Ibi (ut nihil modò dicamus de loco supremi tribunalis, quod Hebræi vocant *Sanhedrin hagadolah*, in quo judices erant septuaginta duo, & majores omnino causæ tractabantur, sive ad religionem, sive ad politicam administrationem pertinentes; in quem locum feminis nullo modo patebat aditus; situs enim erat hic locus in interiori magis parte templi, & ut opinor, editiore.) Ut, inquam, de hoc nihil modò dicamus, erant præterea duo alia loca, sive aulæ duæ: una circa portam Occidentalem Templi, quæ dicta est *Susan*: altera ad portam atrii Israelitarum, quam vocabant *Nicanor*. Cuncta hæc, aliaque, quæ statim dicemus, illustrari, & probari poterant ex iis quæ apud bonos Auctores extant doctrinis & traditionibus Rabbinicis: Sed qui de omnibus erudiri accuratius velit, legat virum eruditissimum Ariam Montanum de his doctissime atque uberius disserentem. (h) Quòd verò aulæ illæ collocatæ essent juxta ipsas porticuum januas, omnino consequens est Hebraicis moribus. Erant enim illæ, non solùm aulæ, seu, ut ita loquamur, gymnasia, ubi docebantur quicumque discere volebant circa Legis intelligentiam & cæremonias: sed erant etiam tribunalia decidendis controversiis, & causis; cùm civilibus, tùm etiam criminalibus, quamvis pateret semper appellatio ad supremum Concilium. Tribunalia autem apud Hebræos, etiam in eorum urbibus atque oppidis, vix erit qui nesciat, antiquitùs etiam collocata fuisse in ipsis urbium portis, aut prope ipsas: atque ad eumdem modum statutas fuisse intra ipsum Templum has justitiæ atque doctrinæ aulas. Plurima possent id confirmare: sed satis pro nunc fuerit unum vel alterum. Tale est illud psalmi, (i) *Non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta.* Et tale illud Proverbiorum; (j) *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ;* aliaque passim, quæ perstrictim dixisse sat est circa locum aularum harum, in quarum una repertus est Iesus puer duodennis, doctores atque magistros audiens & interrogans. Igitur in unoquoque horum sedebant Hebræi doctores non minus quam viginti tres: sedebant verò in forma semicirculi super cathedras sublimiores, ad parietes dispositas & applicitas: juniores verò qui altius & operosius erudiri cupiebant, super inferiora scamna, aut potius super gradus illos, qui cathedris suppositi substernebantur; ita ut contingeret sedentes illos conspici ad magistrorum & doctorum pedes. Ceteri verò pro-

(h) B. Arias Mõtan.

(i) Psal. 126.5.

(j) Prov. 31.23.

promiscui vulgi, qui curiositatis, aut honestioris finis gratia conveniebant audituri; super pavimentum ipsum stratum tapetibus sedebant, cruribus decussatis, ut moris adhuc hodie est apud nationes Orientis. Cuncta hæc, ut diximus, peti poterant aliunde: sed satis sit pro nunc is qui vulgò habetur Author Commentariorum super Epistolas Pauli, quæ communiter tribuuntur D. Ambrosio; sive is fuerit Hilarius, Romanæ Ecclesiæ Diaconus, satis celeber, ut videtur viris eruditis: sive alius quisquam, ut alii non improbabiliter censent; (l) sed certè antiquus & non ineruditus scriptor. Is enim in Epistolam ad Corinthios primam, (m) hæc inquit: *Traditio Synagogæ est, quam* (Apostolus) *nos vult sectari; quia Christianis quidem scribit, sed ex Gentibus factis, nō ex Iudæis, ut sedentes disputent seniores dignitate in cathedris, sequentes in subsellis, novissimi in pavimento super mattas.* Sunt autem *mattæ* tapetes, vel potius tegetes, sive storeæ curiosius fabrefactę ex foliis ramæ vel juncorum; (n) eæ nimirum (ut conjicere licet) quibus per æstatem utuntur apud nos ditiores aut nobiliores feminæ.

(l) Dion. Petavius in Bibliot.

(m) Tom 5. oper. D. Ambr. Commét. sup. Epist. 1. ad Cor. c. 14. col. 1924.

(n) Vid. D. Dufresne in Glossario med. & infimæ Latinit t. 2. col. 489.

4 Toti huic rei luculentissimè collustrandæ splendidam facem accendunt ea quæ ipse Apostolus, Doctorque Gentium de se ipso protulit verba, Ierosolymis ad populum in concione loquutus. (o) *Ego*, inquit, *sum vir Iudæus, natus in Tarso Ciliciæ, nutritus autem in ista civitate secus pedes Gamaliel eruditus juxta veritatem paternæ legis.* Ubi mos idem, qui in usu apud Hebræos erat, clarissimè ostenditur; ut nempe pueri, junioresque sedentes in infimis subselliis aut scamnis ad pedes seniorum magistrorumque docerentur. Meminit hujusmoris elegantia sibi familiari Philo Iudæus, quem etiam non obscurè confirmant Evangelii verba, ubi de Maria Magdalena, Christi discipula cùm sermo fiat, illud habetur: (q) *Et huic* (nempe Marthæ) *erat soror nomine Maria, quę etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius*: ut propterea circa rem hanc ambigendi locus nullus remaneat. Ex quibus ut factum hoc, quod tam accuratè retulit Evangelium, citra errorum nævos oculis subjiciatur, depingenda erit aula quædam elegans, satis capax; in cujus fronte in semicirculi formam depingantur sedes, aut una continua, quæ tamen tres supra viginti judices possit capere; & in gradu infimo qui illi subjicitur, sedentes juniores ac pueri: inter quos depingi debet ipse Christus Dominus ętate puerili, quem radians facies ab illis facilè discernat, veluti in actione ipsa Doctoribus respondendi. In pavimento ipso super tapetes, aut mundiores & elegantiores storeas, depingendi erunt plures sedentes decussatis cruribus: tandemque ad ipsum introitum portę inter alios ibidem stantes, sacra Deipara, sanctusque Ioseph, exultatione mira, gaudioque perfusi, quòd puerum dilectissimum, quem toto triduo quæsierant, tandem repererint in Templo.

(o) Act. 22. 3.

(q) Luc. 10. 39.

5 Nobis autem jamjam á templo dicessuris, annotare nonnihil placet circa id quod continet reliquum capitis. Sic enim habet: (r) *Et descendit cum eis* (scilicet cum Maria intemerata ejus Matre, sanctoque Ioseph) *& venit Nazareth, & erat subditus illis.* Multa quidem sancti Patres & Interpretes circa hanc Christi Domini mirandam prorsus obedientiam & subjectionem erga sanctos parentes utiliter, & ad loci interpretationem, & ad institutionem morum aptissima congerunt; quæ tamen omnia instituti nostri non sunt: est tamen illud, de quo supra nonnihil præmisimus; nempe quòd in hac, & in sequenti postmodum ætate juventutis atque adolescentiæ Christi Servatoris commodè atque eruditè pingi, & describi non tantum licet, sed planè convenit idem Christus adjuvans illum, quem habere dignatus est loco parentis: atque adeò vel cum illo, vel solus fabrilia opera exercens, ligna dolans, serravè scindens; aliave hujusmodi præstans, quę propria sunt fabri lignarii: hoc, enim potius quàm aliud munus atque officium fuisse sancti Iosephi, suo loco monebimus. Constat satis hoc non solùm ex ipsis Evangelii verbis, quibus asseritur quòd *erat subditus illis*, quæ planè denotant hoc munus exercuisse; quod præterquamquod laboriosum erat, & pauperis, quodque adeò maximè quadrare videtur in eum, de quo propheticè scriptum erat: (s) *Pauper sum ego, & in laboribus à juventu-*

te mea, aptum erat atque conducens ad comparandum ea, quæ ad vitam necessaria forent utcumque transigendam & tolerandam: Sed etiam ex illo probatur, quòd cives ejus urbis Nazareth, cùm eum audirent in synagogis sublimia disserentem, non solùm dicebant & notabant esse filium fabri, Græcè; τεκτων sed fabrum ipsum vocabant, ut liquet ex illis verbis (t) *Nonne hic est fabri filius? nonne mater ejus dicitur Maria, &c.* quæ idem clarius luce meridiana demonstrant. Exercuit se igitur Christus, nempe mundi totius Dominus, idemque artifex, in fabrili arte, multoque magis, ut putare fas est, in nostræ salutis negotio pertractando, longisque precibus ad Patrem fundendis, hominibus incognitus & mundo, usque ad tempus præfixum dispensationi suæ ac ministerio. Quod etiam proinde pingere licebit Artifici pio atque erudito; cùm aliud vix aut ne vix quidem sit quod depingendum occurrat solido fundamento, nisi id quod suo loco commodius memorabimus.

(t) Math. 55. Marc. 6. 3

CAPUT VIII.

DE PICTURIS ET IMAGINIBUS CHRISTI VIrilem jam ætatem ingressi, aut attingentis.

UT viam longam inituri, quæ eidem necessaria videntur maturè sibi comparent, rectè præscripta rationis exposcunt. Quamobrem qui ad describenda mysteria Vitæ ac Passionis Christi Domini jam accingimur, utile censuimus cum primis monere, quantum rerum probabilitas ferre potest, quis fuerit Christi Domini, virilem jam ætatem agentis, oris decor atque aspectus, & quæ vestes ejus, habitusque. Et quidem quod ad primum attinet: non hic intendimus, quæ nimis multa dicta sunt á Sanctis Patribus atque interpretibus hinc & hinc eruditionis quadam inani ostentatiuncula referre. Sanè qui ea volet operosius pertractata nosse diligentius, monendus est ut adeat non recentiores quosdam, qui, ut audio, alicubi & me legisse memini, de eodem argumento disputarunt asserentes, & id magno molimine, Christi Domini faciem non tantum non fuisse pulcram, sed deformem fuisse, infelici prorsus, aut, ut saltem mea fert opinio, male omnino feriato labore. Monendus, inquam, est ut adeat non hos, sed multæ prorsus & propemodum infinitæ lectionis atque eruditionis virum Ioannem Lorinum (a) de quo ego nescio quid magis admirer; an post tantam lectionem scripsisse tanta; an cùm tanta scriberet, lectioni tantæ tempus superfuisse. Adeò rem mihi sæpius cogitanti, verum est quod gravis philosophus scriptum reliquit illis verbis: (b) *Non exiguum temporis habemus, sed multum perdimus. Satis longa vita, & in maximarum rerum consummationem largè data est, si tota bene collocaretur.* Sed nos ad institutum iter. Quod antequam ingrediamur, notare convenit, Sanctum Irenæum, quantumcumque gravem, eruditum, & pium in paucis Ecclesiæ Scriptorem, fuisse deceptum circa ætatem, in qua Christus Dominus ministerium suum, ad quod missus fuerat, implevit. (c) Putavit enim vir magnus, ardore fort assis percitus disputandi, Christum Dominum, qui, ut sanctum memorat Evangelium, (d) trigesimo ferè ætatis anno inceperat, ad fermè quinquagesimum pervenisse. Quod probare nititur ex eo quod illi objiciebant Iudæi, dicentes: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* Imò adjicit, hanc sententiam esse veluti per manus traditam ab ipsis Ioannis Evangelistæ discipulis, quos ipse novit Irenæus, & qui vidisse potuerunt alios ex Apostolis. Quod si verum esset, Christus Dominus depingendus foret non in virili, sed in senili ætate; aut saltem jam

(a) Tom. 1. in Psal. ad ps. 44.

(b) Senec. de Brevit vitæ c. 1.

(c) Irenæus advers. hær. l. 2. c. 39. ad fin. & 40. non longe à princip.

(d) Luc. 3 23.

jam non parùm ad senium vergente: quod tamen nemo est qui hodie amplectatur; imò ne amplexus quidem est alius post ipsum Irenęum. Qua de re iterum se offeret annotandi & disserendi locus. Interim videatur ejusdem Commentator, illiusque operum editor. (e)

(e) Fevardêtius, ad prędictos Iren. loc.

2 Quo præjacto, aut omisso: Circa pulcritudinem vultus & aspectus Christi Domini, deformitatemvè illius, duæ sunt præcipuæ Sanctorum Patrum atque Interpretum sententiæ. Prima constanter asserit, Christi Domini, præsertim in ætate virili, faciem & aspectum, & quidquid pertinet ad corporalem perfectionem, non solùm non habuisse quidquam pulcri, aut elegantis, sed etiam fuisse deforme quid; ac prorsus illiberale. Cujus sententiæ duces sunt vetustissimi Tertullianus, Clemensque Alexandrinus. Prior enim de Christo Domino loquens, (f) *Vultu*, inquit, *denique & aspectu inglorius, sicut Isaias pronuntiaverat.* Posterior verò adhuc expressius, (g) *Ipsum*, ait, *Dominum fuisse aspectu deformem, testatur Spiritus per Esaiam. Et vidimus ipsum, nec habebat speciem, nec pulcritudinem, sed species ejus vilis ac diminuta præ hominibus. Quis est autem Domino præstantior? Sed non carnis pulcritudinem, quæ visione apprehenditur, sed veram animæ & corporis ostendit pulcritudinem: animę quidem, beneficentiam; carnis verò immortalitatem.* Sequuti sunt hos magni prorsus nominis viri, Athanasius, (h) Cyrillus, (i) Ambrosius, (j) Justus Orgelitanus, (K) aliique non pauci. Alia verò per oppositum sententia asserit, Christi Domini aspectum, totiusque corporis structuram, & quidquid hoc nomine complectimur, non tantum non fuisse deforme, sed pulcrum, decorum, atque concinnum. Adeò de eadem re sunt doctissimorum etiam, sanctissimorumque virorum opposita & diversa judicia! Quo fit, ut minus mihi mirandum sit quod ipsi Pictores Artificesque, & quidem non obscuri, neque inglorii, circa pingendum Christum Dominum in hac virili ætate, diversas, imo & dissitas inter se iniêrint vias. Eos non nomino, cùm neque rem ipsam laudare placeat. Vidi egomet Christi Domini imagines depictas; addo, & sculptas à præstantibus alioqui artificibus, in quibus ipse Dominus athletæ in morem depingitur robustus, torvus, musculosus, vix aliter quàm Milo ille Crotoniates: contra verò alias, in quibus descriptus erat comptus, elegans, & nimiùm venustus, non secus atque aliquis (si id dici liceat) Adonis, aut Amintas. Sed utrique errant, haud satis memores vulgati illius μεδὲν ἄγαν, quod eleganter præscripsit Satyricus illo versiculo (l)

(f) Tert. de Idololatr. c. 18.
(g) Clem. Alex. lib. 3. Pædag. c. 1. ad fin.
(h) Div. Athanas. lib. de Natur. hum. suscepta à Verbo.
(i) Cyrill. in Glaph. & de Adorat. in spirit. lib. 9.
(j) Div. Ambr. libr. 3. ep. 12. In Cãtica.
(K) Epist. 140. to. 3. pag. 394.

Virtus est medium vitiorum, & utrimque reductum.

Sed nos ad rem. Hanc postremam sententiam, præterquamquòd deduci ac colligi satis posset ex ipsius corporis Domini ęquali ac perfecto prorsus temperamento, quod Theologi communiter affirmant, & ob quod nunquam morbum contraxit, neque contracturus fuisset, etiam si ad extremam pervenisset senectam, ut docent præter Theologos etiam harum rerum professione periti. (m) Præter hoc, inquam, hanc sententiam disertè tuetur ex veteribus, quotquot ego viderim, vir alioqui severus, & cui nunquam placuerunt oculorum sensuumvè lenocinia, Hieronymus, (n) qui exponens Psalmum quadragesimum quartum, scribens ad Principiam virginem, ita habet: *Non quòd divinitas Christi, hominibus comparata, non formosior sit: hæc enim non habet comparationem: sed absque passionibus crucis universis, pulcrior est virgo de virgine, qui non ex voluntate viri, sed ex Deo natus est.* Atque in eadem persistens sententia subjungit ibidem: *Nisi enim habuisset & in vultu quiddam oculisque sidereum; nunquam eum statim sequuti fuissent Apostoli, nec, qui ad comprehendendum eum venerant, corruissent.* Huculque Hieronymus; qui sibi consequens, Commentario in Matthęum respondens impio Porphyrio & Juliano Apostatæ, quem modestè, ut par erat, vocat Augustum, ita habet: (o) *Arguit in hoc loco Porphyrius & Julianus Augustus, vel imperitiam historici mentientis, vel stultitiam eorum qui statim sequuti sunt Salvatorem quasi irrationabiliter quemlibet vocantem hominem sint sequuti.* Et post pauca: *Certè fulgor ipse & majestas divinitatis occultæ, quę etiam in humana facię relucebat, ex primo ad se videntes*

trahere poterat aspectu...

dentes trahere poterat aspectu. Quibus alibi (p) non absimilia docet. Prævenerant Hieronymum Origenes (q) & Chrysostomus; cujus aurea verba in hac opportunitate penè fuisset prætermittere piaculum. Ita enim scribit: (r) *Repellebat igitur turbam, quoniam erant ei affixi non pauci amantes, admirantesque ipsum, videreque ipsum semper cupientes. Et certè quis ab authore talium signorum non invitus recederet? Aut quis vel faciem solam aspicere, osque ipsum, ex quo divina præceptorum instituta profluebant, ingenti desiderio non arderet? Nam ut in faciendis signis erat mirabilis, sic visu gratiosissimus traditur fuisse: idque ipse Propheta significans multò antè clamaverat, Speciosus pulcritudine super filios hominum. Quod autem dicit Isaias, Non habebat speciem, nec pulcritudinem: aut quoniam ad Deitatis suæ ineffabilem gloriam, aut quoniam Passionis cruentam deformitatem, & lividos tumores respexit, id ita dixit: Vel etiam quia tenui eum & victu & vestitu usurum significare voluit.* Hæc Chrysostomus: quibus alia subjungit satis elegantia, & ad nostrum institutum accommoda.

3 Sequuti verò sunt eamdem sententiam quamplurimi: nam præter Augustinum Parentem, qui quanvis pro contraria allegetur sententia, hanc diversis in locis satis indicare & docere videtur: (s) Theodoretus, (t) *Admirantur*, inquit, *ipsum, & corporis pulcritudinem, quam stolam appellant. Est enim speciosus forma præ filiis hominum, quatenus homo. Nam, ut Deus, ea est pulcritudine, quæ ut inaccessa, nulla similitudine potest explicari.* Cassiodorus (u) exponens Psalmi quadragesimi quarti illa verba *Speciosus forma præ filiis hominum*, ait, Non aliter quàm de corporis elegantia forma intellexisse Augustinum Parentem. Posteriorum autem temporum Scriptores eamdem rem amplissime dilucidant. Divus enim Bernardus, (x) *Prædicantem*, inquit, *Dominum de civitatibus & castellis populi sequebantur: quorum salvabat animas, sanabat corpora, & adhærebant ei, affatu pariter & aspectu illius delectati: cujus nimirum vox suavis, & facies ejus decora, sicut scriptum est, Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis.* Quocirca Doctor Angelicus, sine cujus ductu, in rebus præsertim Theologicis, quidquam asserere nec licet nec volumus; exponens Severianum dicentem in Sermone Paschali, *Nemo putet Christum sua resurrectione sui vultus effigiem commutasse*; hæc subdit: (y) *Quod est intelligendum quantum ad lineamenta membrorum; quia nihil inordinatum & deforme fuerat in corpore Christi per Spiritum sanctum concepto, quod in resurrectione corrigendum esset: accepit tamen in resurrectione gloriam claritatis*, &c. Hæc D. Thomas. Ex quibus facilè conjicio, etiam Naziancenum, qui pro sententia opposita alicubi stare videtur, (z) hanc veram, &, quantum judico, conformiorem authoritati & rationi sententiam amplecti videtur, dum asserit, (a) restitutam Christo Domino per resurrectionem stolę corporis passi pulcritudinem. Et hæc quidem quod ad Sanctos Patres attinet hinc & inde excerpta suffecerint: nam quod ad modernos spectat, nihil est cur in iis referendis immoremur. Asseverant enim idem uniformiter, non unus aut alter, sed plurimi quos refert & sequitur laudatus supra Joannes Lorinus.

4 Maneat igitur alta mente fixum atque repostum Pictori atque Sculptori Christiano, quem admonendum in hoc qualicumque opere suscepimus, Christum Dominum, quod ad vultum, aspectum, staturam, denique ad totius corporis decorem & perfectionem attinet; liberali, honestaque forma fuisse, planeque pulcra: quamquam non ea pulcritudine, quę imbecillitatem, lenocinium, mollitiem, lasciviam denique atque nequitiam pręfert; seu quali formosus pingitur ab elegantis scriptore Fabulæ (b) Theagenes; sed virili planè & augustissimi decoris plena. Uno verbo: Decorus fuit atque pulcer Christus Dominus non effeminata aut muliebri quadam venustate, sed eâ quam vocat Cicero dignitatem virilem: Quod, antequam progrediamur ulterius, solidè admodum atque eleganter adstruit Doctor Angelicus, dum asserit; (c) *Pulcritudo consistit in proportione membrorum & colorum; & ideo alia est pulchritudo unius, alia alterius; & sic hanc pulchritudinem Christus secundum quod competebat ad statum & reverentiam suæ conditionis habuit.* Subdit autem statim perquàm ele-

(p) [Id]em ... 53. (q) Orig. ... lib. ... cont. ... (r) Chrys. ... 8. ... hom. ... 3. ex ... S. L.

(s) D. Au... enar. ... psalm. ... cõc. ... & in ... cõc. ... ca. & ... 9. de ... al. Do... i. (t) Theod. ... antic. ... pag. ... 319. (u) Cas. in ... mmét. ... 44. (x) D. Ber... d. ser. ... e Om... Sãct. ... long. ... inc.

(y) D. Th. 3. p. q. 54. art. 1. ad 3.

(z) Greg. Naz. Or. 1 de filio, & Orat. in Maxim. (a) Idem Orat. 2. in Sãct. Pascha circa fin.

(b) Heliodorus in Æthiop.

(c) D. Th. in expos. psal. 44. v. 3.

eleganter: *Non est ergo intelligendum, quòd Christus habuerit capillos flavos, vel fuerit rubeus, quia hoc non decuisset eum; sed illam pulchritudinem corporalem summe habuit, quæ pertinebat ad statum & reverentiam, & gratiositatem in aspectu: ita quod quoddam divinum radiabat in vultu ejus, quod omnes eum reverebantur, ut Augustinus dicit, &c.* Videtur autem mihi, pulchritudinem corporis Christi Domini, quæ tantum ac talem decebat Regem Imperatoremque, cujus non est hæc postrema laus, juxta illud Euripidis (d)

πρῶτον μὲν οἶδος ἄξιον τυραννίδος,

& cujus oppositum parum aut nihil inserviret fini doctrinę ac redemptionis nostræ: Videtur, inquam, mihi, hanc decoram gravemque pulcritudinem atque speciem utcumque comparari posse illi, quam describit Seneca in Hyppolito ita canens: (e)

> *Quàm grata est facies, torva viriliter;*
> *Et pondus veteris triste supercili?*
> *Phœbo colla licèt splendida compares;*
> *Illum cæsaries nescia colligi*
> *Perfundens humeros, ornat & integit.*

Quem locum tractans eruditus Tragœdiarum Senecæ scholiastes Pater Martinus Antonius del Rio, (f) hæc opportunè satis annotat: *Cultu fingitur, à quo sordes & immunditia absint, nec tamen superfluo ornatu comptus; quam mediocritatem & verè virilem habitum laudat Epictetus apud Arrianum.* Sed quoniam huc devenimus, neque inepta prorsus res est, utpote hausta à veteribus historiis priscisque monumentis; nihil vetat, ut hìc picturam Christi Domini oratione & narratione factam à Nicephoro subjiciam, non ejusdem verbis paulo longioribus, quæ videre potest quilibet in loco ad marginem notato, (g) sed alius Scriptoris eruditi, quibus eamdem contrahit: (h) Fuisse nempe Christum Dominum 1. *vultu vivido, dulci, egregio, non rotundo, neque acuto, sed aliquantum longiore, cujus color ad triticum accederet, modica fuscedine rubescens.* 2. *statura septenum palmorum, sive ternum cubitorum & semis (id est) satis procera. Nam maxima non solet octonos palmos, sive quaternos cubitos excedere.* 3. *Oculis fulvis cum aliquo nigrore splendescentibus, venustis, & acribus.* 4. *supercillis nigris, nec valde reflexis, barba flava, nec admodum demissa.* 5. *coma subflava prolixiore ad occipitium leniter declinante.* 6. *naso aquilino.* 7. *collo sensim declivi, ita ut non arduo & extento nimium corporis statura esset.* 8. *per omnia denique suæ genitrici similem.* Dixi, neque inconsulte, narrationem hanc desumptam esse à veteribus historiis, priscisque monumentis. Ita enim est: ut minimum enim ortum duxit sive à Scriptoribus, sive à Pictoribus, qui floruerunt octavo Ecclesię seculo. Fatetur id Author impensè doctus, atque eximiè criticus. (i) Sed parum est: addo enim, & meritò habere narrationem hanc longè vetustiores origines. Eusebius Cæsariensis, qui, quod olim de Sallustio dictum est, audire non immeritò potest primus in Ecclesiastica historia, dissertè narrat se vidisse in urbe Pancade æneam statuam Jesu Christi Domini, quam illi beneficii memor erexerat mulier illa hęmorrhoisa, quæ solo contactu fimbrię vestimenti ejus reddita est incolumis. Sed verba ejusdem, digna profectò sunt quæ hìc transferantur. Postquam enim de statua eadem & imagine sat multa dixerat, hęc subjungit: (j) „Hanc statuam, „effigiem Jesu exprimere dicunt, „quam ad nostram usque ætatem manentem, ipsi ad eam civitatem profecti oculis cernebamus. *Hucusque Eusebius, qui statim subjungit:* „Cùm „& nos Petri & Pauli Apostolorum, „& Christi etiam ipsius imagines in „picturis, colorum varietate expressas conservatasque aspeximus. Cur igitur ab his imaginibus, quæ, ut nimis fit probabile, viuente adhuc in carne mortali Christo Domino sunt effictæ, atque ab aliis, quæ in aliis locis abs dubio servabantur, aliæ similes non propagarentur, deducerenturque, quæ saltem adjunctis præsertim successivis & receptis narrationibus loco essent fidelibus tra-

(f) Ad hũc loc. n. 795

(g) Nicef. lib. 1. hist. c. 40.

(h) Gilb. Geneb. in ps. 44. n. 4 pag. 250.

traditionis non ineptæ, sed planè solidæ? ut proinde abrogari fides non debeat Nicephoro, quanvis non veteri multum scriptori. Quare hic qui ex Nicephoro, & ex aliis colligitur, (K) erit, judice me, Christum Dominum optimus pingendi atque effigiandi modus.

Vide ...Tu- de ...Mar lib.1. 1. &

5 Neque oppositum (ut non hoc intactum relinquamus) ullo modo suaderi, nedum convinci potest ex Patribus: quandoquidem eorum vetustissimi, quales sunt Tertullianus, Clemensque Alexandrinus, quos alii fortasse sequuntur, ad deformitatem in corpore Christi asserendam unicè moventur ex trito ac peruulgato Isaię testimonio, quod sic habet: (l) *Non est species ei, neque decor; sed vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum.* Et versu sequenti: *Quasi absconditus vultus ejus & despectus, unde nec reputavimus eum.* Hoc, inquam, unico Vatis Isaiæ moventur testimonio, ut patet eorum verba legenti. Atqui illud intelligi posse, imò & debere, de Christo Domino in acerbissima plenaque doloribus atque ictibus Passione constituto, quotusquisque est qui non videat? Videre certè hoc Patres ipsi, quos supra retulimus, & quorum verba dedimus; præcipueque Chrysostomus loco allegato: non verò intelligitur de vultu & aspectu Christi Domini, antequam tot tantaque perpessus esset: quanvis non negaverim in eodem, qui per totum vitæ sanctissimæ spatium jejuniis, vigiliis, orationibus, peregrinationibusque fuit exercitus, idem propemodum contigisse; quod quidam ex philosophis de se protulit: (m) ut scilicet continuatio literarii laboris omnem gratiam corporis deterserit, habitudinem tenuarit, succum exorbuerit, colorem obliteraverit. Et hac de causa, ut superius innuimus, grandior ætate judicatus est ab iis qui dicebant: (n) *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* Quod & in Davide Rege evenisse constat, qui belli laboribus, ærumnisque fractus appellatur in sacris literis senex valde, (o) quanvis septuagesimum ætatis annum non excesserit. Et hæc ferè sunt quæ perstrictim carptimque dicenda habuimus circa tam nobile argumentum.

(l) ...ai.53

(m) Apul. Apolog. 1

(n) Ioan. 8.57.

(o) 3. Reg. 2.2.

CAPUT IX.

DE VESTIBUS ATQUE HABITU Christi Domini.



ON abs re neque injuriâ Aristoteles inter decem rerum suprema genera collocavit unum, quod appellavit *habere*, vel *habitus*, quamquam id videatur aliquibus obscurum nimis atque ignobile. Nescio enim quo pacto rem consideratione dignissimam addat substantiæ, aut individuo alicui, quo tegitur ornatus vestitusque: non parumque interest ad cognitionem alicujus, præsertim Herois, aut Principis, armatum, togatum, palliatumvè depingi. Quod igitur attinet ad ejusdem Christi Domini vestimenta, quorum cognitio (ut decora veraque sit repræsentatio) ad Christianum Pictorem spectat; quæ moneamus hìc & advertamus non desunt, quanvis in iis tradendis non sit in votis nimiùm immorari. Ut verò cuncta cuivis sincerè legenti apertiora, imò & solidiora sint atque videantur, unum potissimùm hìc advertendum est, & præ oculis habendum: nempe Christum Dominum ad finem ad quem missus est, congruens magis magisque, ut ita dixerim, proportionatum vitę genus in cunctis, quæ ad externam conversationem pertinebant instituisse, coluisseque constanter. Finis autem, isque omnium maximus, alius non erat, quàm redemptio mundi, atque insuper doctrina & institutio hominum. Quòd cùm ita sit, egit vitam, severam illam quidem atque gravissimam, sed non nimis horridam & austeram, ab omnique hominum consortio sejunctam; quod jampridem Baptista pręstiterat: sed potius moderatam temperatamque, atque ob id hominum conversationi congruentem. Vidit hoc, docuitque, eo quo pollet judicio, Doctor Angelicus, qui planè unus sat

est ad rem saltem hanc evidentissimè demonstrandam. (a) Itaque *Dicendum*, inquit, *quòd (sicut dictum est) congruum erat Incarnationis fini, ut Christus non ageret solitariam vitam, sed cum hominibus conversaretur. Qui autem cum aliquibus conversatur, convenientissimum est, ut se eis in conversatione conformet, secundum illud Apostoli 1. ad Cor. 9. Omnibus omnia factus sum, &c.* Videantur tamen ejus interpretes, & præsertim is qui, quod ad hanc partem attinet, conspicuum locum obtinet, Pater Franciscus Suarez, non immeritò appellatus Doctor Eximius. (b)

(a) D. Th. 3. p. q. 40. art. 2. in corp.

(b) Suar. tom. 2. in 3. part. D. Thom. ad hunc loc. sect. 3.

2 Quo prius admonito & præsupposito: quamquam Tertullianus, (c) disserte asseruerit Christum Dominum vestitu incultum fuisse, quod idem alii Ecclesiæ Patres (d) satis indicant, præcipueque Euthymius, (e) qui rem, ut mihi videtur, nimis exagerat: censeo tamen primum, vestes ejus non fuisse quidem ullo modo pretiosas, aut ulla ratione exquisitas; quin imò ad vulgarem modum magis propendentes: hoc enim optimè annotavit, evidenterque ostendit Doctor Angelicus cujus ea sunt verba, (f) „Non est credibile quòd Dominus Jesus Christus pretiosis vestibus indueretur, qui Joannem commendabilem ostendit, quod non erat mollibus indutus. Alioquin Pharisæi, qui exteriorem sanctitatem ostendebant, sicut de eo dicebant, quòd erat vorator, & potator vini, & publicanorum amator: ita & de eo dixissent, quod esset mollibus indutus. Deinde, existimo fuisse illas non nimium viles, aut abjectas, multoque minus sordidas, aut laceras; sed mediocres atque communes. Sanè Præcursor Baptista rudibus omninò austerioribusque usus fuit semper integumentis. Hoc nos docent Evangelistæ: (g) *Ipse autem Ioannes* (Matthæus inquit) *habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos.* Et Marcus, (h) *Erat Ioannes*, ait, *vestitus pilis camelli, & zona pellicea circa lumbos ejus*: Christus autem Dominus non ita; sed vestes habuit ejus rationis, quam nuper exposuimus: eas scilicet quæ in more erant, etsi non apud divites & magnates, tamen communiter apud Judæos. Multa certè sunt, quibus ut ita sentiam planè permoveor. Principiò enim: Quia si Christus circa sese amiciendi modum aliquid singulare, & à consuetudine tunc temporis hominum remotum in se ipso usurpasset, non est, neque videtur verosimile, quod id omnes quatuor Evangelistæ obvolvissent silentio, cùm Baptistæ vestimentorum austeritatem duo, nempe Matthæus & Marcus dissertè proposuerint; imo magis dissertè ipse Christus Dominus commendaverit: nam vestimentorum rudior & horridior austeritas non satis cohærere videtur cum communi cibo, vulgato, atque usitato, & cum potu vini, quamquam moderatissimo. Christus autem Dominus tametsi, cùm solus prandebat, aut cum suis, vilibus aut vulgaribus cibis fuisse contentum credere par sit: quamquam etiam de hoc subesse poterat aliqua dubitatio, ex eo quod in quodam loco dicitur, (i) quod *Discipuli ejus abierant in Civitatem* (nempe Samariam) *ut cibos emerent*: Quamquam hoc, inquam, ita sit, certissimum tamen est, Christum non raro divitum & lautiorum hominum accubuisse mensis: (j) ubi certè id quod apparabatur, quamquam temperanter & sobrie admodum, manducabat, vinumque, eadem tamen semper moderatione, bibebat. Nempe hoc est quod idem Christus Dominus gravissime atque urgentissimè objecit invidis atque æmulis ejus Pharisæis, vitam suam cum Præcursoris sui vivendi modo comparans, illis verbis, quæ integrè apponere placet; sunt enim mirum in modum opportuna: (K) *Cui autem similem æstimabo generationem istam? similis est pueris sedentibus in foro: qui clamantes coæqualibus, dicunt: Cecinimus vobis, & non saltastis: lamentavimus, & non planxistis: Venit enim Ioannes, neque manducans, neque bibens, & dicunt; Dæmonium habet: Venit Filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus.* Ex quibus id deducô quòd nempe si Christus Dominus horrido, nimiumque austero, per omniaque vili vestitu usus esset, ansam, & quidem non modicam, præbuisset invidis & calumniatoribus eamdem rem exaggerandi atque incriminandi, dissonantiamque notandi ciborum & vestium: quandoquidem (ut nuper dicebam) cum rigidiore

(c) Tert. de Idololatr. c. 18.

(d) Chrys. hom. 28. in Matth.

(e) Euth. in cap. 19 Ioann. & 27. Matt.

(f) D. Th. opusc. 19. c. 8.

(g) Math. 3. 4.

(h) Marc. 2. 6.

prer-

prorsus, austeriore, vilioreque veste non admodum congruere videatur, etsi ea alii sponte offerant, escarum ciborumque lautitia. Quemadmodum igitur Christus Dominus his utebatur ob fines sanctissimos, in hominum quibuscum versabatur utilitatem commodumque: ita dici profectò potest, quòd usus fuerit vestibus, non mollibus, non pretiosis, non exquisitis, sed communibus, & utcumque decentibus, quamquam magis ad austeritatem, vulgaremque usum propenderent.

3 Denique: Nam alioqui milites, qui Christum Dominum Cruci suffixerunt; ad quos saltem ex veteri consuetudine, quam postea reformavit Adrianus Imperator, ut ex Iure constat, (l) pertinebant omnino Christi vestes: non tantam & tam sedulam adhibuissent operam, ut eas inter sese dividerent ac partirentur; caventes, ut ne cuiquam eorum fieret injuria: neque contenderent inter se, utri pars melior esset tribuenda. Hoc enim ex contextu Evangelistarum non obscurè constat; (m) ut proinde rectè observaverit Jansenius (n) id quod etiam insinuarunt Euthymius & Ambrosius, (o) super omnia vestimenta Christi sortem à militibus fuisse jactam, quamquam specialiter super tunicam; hanc enim, ut uni eorum cederet sorte, maluerunt quàm eam scindere, ne periret penitus. Et quamquam totum hoc ad vaticiniorum impletionem factum fuerit, ut notant iisdem in locis Evangelistæ; ex illo tamen deduci videtur, vestes Christi Domini non adeò fuisse viles planeque abjectas, ut non hanc curam diligentiamque militum quodammodo mererentur: fuisseque proinde easdem, ejus rationis quam exposuimus. Atque hęc est, esseque debet, communis sententia, si tamen non ducamur aliquo studio contendendi. De qualitate igitur vestium Christi Domini hęc satis annotare fuerit. De materia nihil est quod annotem, nisi quòd omnino fuerint ex lana contextę; quod operosius probandum non existimo; cùm ex hac, & non alia materia, non solùm apud Judæos, sed etiam apud alias quasque nationes omnium hominum fermè, vestimenta constarent & texerentur, nondum grassante luxu, qui postmodum sericum, aliosque peregrinos usus invexit. De colore diximus in superioribus satis multa, * quæ hîc repetere nec vacat, nec licet: eas nempe aut fuisse albas, quod non satis probo, aut potius fuisse (quod mihi magis arridet) coloris lanæ, ad fuscum, gryseumvè colorem accedentis. Quod modò confirmo ex eleganti loco Clementis Alexandrini ita dicentis: (p) *Quod si oporteat etiam aliquem alium colorem quęrere* (pręter album nempe, de quo loquutus erat) *naturalis veritatis per se tinctura sufficit.* Quibus post pauca hæc eleganter subjicit. *Tinctura itaque Sardiniaca, & alia omphacina, seu oleagina, & alia viridis, rosacea, & coccina, & aliæ innumerabiles tinctaræ fuerunt excogitatæ à perniciosis delectationibus; quo fit ut visus jam sit vestis, non autem integumenti.* Hucusque Clemens. Ut pictores eruditi videant, quàm multum à veritate aberrent, qui tunicam Christi Domini externam coccinei coloris plerumque faciunt, pallium verò superius hyacinthini aut cęrulei depingunt.

(l) Div. ...an. 6 ...bon. ...at.

(m) Mat. ...35. ...c. 15. Ioan. ...3.

(n) Jan-... ...n con... ...ia, c.

(o) Div. ...o. t. 5. ...com ...t. in ...lib. ...c. 23.

* Lib. 1, c. 9. à n. 5.

(p) Clem. Alex. l. 2. Pœdag. c. 10. post med. ex vers. Gentian. Herveti.

4 Quibus autem partibus constarent vestes Christi Domini, relictis nonnullis investigationibus nimium scrupulosis, hæc paucis habeto. Primum quidem usus fuit tunica interiori, quam nos interulam, sive subuculam nominamus: Namque an aliquibus subligaculis usus fuerit, res est minùs comperta, & quæ, ut facilè affirmari potest, ita ęgrè probari, ac difficulter: De hac expressa mentio est in Evangelio: dicitur enim de eadem: (q) *Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum.* Hæc autem, ut habent expressè prædicta verba, assuta non erat, quamquam constaret etiam manicis, ut mos erat Hebręis, in modum nostratium; sed omnino contexta, quod non desunt qui miraculo adscripserint; secus autem omnino se res habuit. Fiebant enim apud Judæos hujusmodi tunicę, & quidem frequenter, opere textorio: imò hodie etiam fiunt in Europa: & ut sunt homines Belgæ Artium atque operum exsculptores indagatoresque solertissimi, invenerunt Batavi, non multis ab hinc annis hujusmodi vestimenti texendi per totum artem, haud parum ingeniosam: de quo & librum integrum edidit Ioannes Braunius. (r) Illud ego mis

(q) Ioan. 19. 23.

(r) De Veste Sacerdotali. Amstel. 1680.

miraculo; eoque majestate Christi dignissimo, existimo facilè contigisse, quod à plerisque asseritur; illam nempe tunicam factam esse Christo à Virgine Deipara, dum adhuc ipse Christus Dominus esset infans, cum eo tamen crescente crevisse usque ad virilem etiam ætatem. Quod ipsum ego haud improbabiliter existimo de aliis Christi Domini vestibus. Neque enim ipsum decuisse videtur, ut per varia crescentis ætatis spatia novis atque novis identidem tunicis uteretur, indigus sartorum auxilio. Certè ipsius vestimenta, sive ante, sive post tempus ministerii & prædicationis ejus, non fuisse usu ac vetustate detrita, illud mihi, nec (ut puto) improbabiliter, persuadet, quòd idem Dominus omnium genti suæ Israeliticæ per desertum iter agenti præstiterat omnino idem beneficium, ut constat eo loco, ubi asseritur: (ſ) *Non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt.* Quod idem contigisse in Christi Domini vestibus quotusquisque pius erit qui non valde probabile existimet? Sed ad tunicam redeo. Illam enim fuisse laneam, & rudem, multi sunt qui censeant; quibus ego non ibo inficias: quamvis re in se ipsa spectata, nihil est quod certè definiri queat; imo potest etiam cogitari, quod reticulati operis fuerit, linea omnino, non (quod putarunt aliqui) confecta ex lino lanaque: cùm hoc esset Israelitis lege prohibitum illis differtè verbis: (t) *Non indueris vestimento, quod ex lana linoque contextum est.*

(ſ) Deut. 29.5.

(t) Deut. 22.11.

5 Super hanc verò interulam Christus Dominus, qui sese communi & usitato modo apud homines regionis & Nationis suæ accommodavit quantum potuit & decuit; usus est longâ & usque ad talos pervenienre tunica, ex vulgari prorsus panno confecta, quam zonâ aliquâ, vulgari etiam minimeque curiosa aut exquisita, arctasse & præcinxisse, mihi certum est, vel ex eo solùm quòd discipulos suos mittens ad evangelizandum, eosque præceptis necessariis instruens, (u) *Nolite,* inquit, *possidere aurum neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris.* Ferebant enim Apostoli, si quid conjecturâ assequor, in zonis ipsis, quibus præcingebantur (quod nostratibus etiam rusticis, & mulionibus in usu est frequentissimo) bursas, aut crumenas, quibus continebatur pecunia, non in magna summa, qua opus erat ad usus magis obvios & necessarios: quod tamen postremum de Christo Domino non crediderim, qui omnem hujuscemodi rerum curam, ut planè decebat majestatem & sanctitatem suam, à se penitus abjecerat; & si quæ nummorum erant servanda, aut verò in egenorum usus distribuenda, uni ex Apostolis, Judæ nempe Iscariotæ, curanda & servanda commiserat, ut differte constat ex ipsius narratione Evangelii. (x) Tandem: amiciebatur Christus Dominus ejusdem materiæ pallio, non nimis angusto, utpotè quod ab humeris pendens, aliquando ad ipsos humeros ejus extremitates reflecti, atque convolvi poterant; ita enim moris erat apud Iudæos, ut observare & cernere est apud Scriptorem eruditum, in æs etiam incisâ eleganti hujusmodi vestitus effigie. (y) Neque in hoc quod diximus, quod nempe Christus Dominus tunica superiori utebatur, & interula, putandus est idem contrarius sibi ipsi, aut egisse contra consilium præceptumvè, quod dederat Apostolis, quando eis prohibuit duas tunicas. (z) Ut enim optimè notavit Euthymius, ad eumdem Matthæi locum, Christus Dominus, non tunicas diversi usus, aliusve rationis, sed duas ad eumdem usum destinatas, & planè ejusdem rationis, prohibuit. Uno verbo: vetavit ferre secum vestes mutatorias, quas neque ipse Christus habuit, ut post multos differtè tradidit Thomas Vvaldensis. (a) Quod omne clarius, ut videtur, expressit Lucas illis verbis: (b) *Neque duas tunicas habeatis,* id est; non duplices, duplicatasvè, aut in usum mutandi repositas. Illud hic solerter observandum est, gessisse nempe Christum Dominum circa vestimenti sui (saltem pallii) oram, extremitatemque probè assutam, fimbriam illam, de quâ expressa, neque rara mentio est in Evangelio. Mulier enim illa sanguinis fluxum multo tempore patiens, fide plena, se immiscuit turbæ, *& tetigit fimbriam vestimenti ejus,* (c) quod iisdem verbis alius Evangelista narravit. (d) Insuper dicitur, quòd homines certatim accurrentes ad Christum Dominum,

(u) Mat. 10.9.

ro-

rogabant eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent. Et quicumque tetigerunt, salvi facti sunt. (e) Quod idem habet Marcus. (f) Sed non, ut puto, gessit unquam *phylacteria*, quę gestare soliti sunt Legis doctores. Quæ omnia elucidatione majore egent, ut res hujusmodi minus earum studiosis commodius patefiant, & saltem Pictori, quem instituimus, consulatur. Sciendum est igitur, præceptum esse Israelitis in Lege veteri portare ad oras vestimenti, saltem pallii, fimbrias, sive ornamenta quædam, non admodum explicatu facilia: fiebant enim hujusmodi fimbriæ ex vittis coloris cærulei, qui sæpe in Scriptura appellatur hyacinthinus. En verba Legis: (g) *Et dices ad eos, ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas.* Idem repetitur alio in loco; (h) ubi etiam fimbriarum est mentio; sive hæ assuerentur ad oram vestimenti; (quod ego sat probabile judico, ad eum fermè modum quo nos utimur ornamentis illis, quæ *franjas*, aut *guarniciones* nominamus) sive ab ipso vestimento penderent, sicut pendere cernimus ea, quæ nos vocamus *flecos*; aut *desbilados*, de quo videri potest erudite tractans Hieronymus Oleaster. (i) Gestabant autem hujusmodi fimbrias tempore Christi Domini Doctores & Pharisæi, sed magis amplas & extensas, quàm alii, quò se observantiores Legis profiterentur. Et hinc intelligitur facile Matthęi textus asserentis: (j) *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus*: cujus rei veluti rationem assignans, *Dilatant enim*, inquit, *phylacteria sua, & magnificant fimbrias.* Ii enim per omnia atque in omnibus, sanctitatis simulatores, prętérquamquod nitidioribus, & magis quam alii longis vestibus uterentur, quas Christus ipse appellavit stolas illis verbis, (K) *Attendite à scribis, qui volunt ambulare in stolis*; majores quàm alii faciebant, & vestibus adjungebant fimbrias, extendebantque magis phylacteria. De fimbriis jam diximus. Quid verò phylacteria sint, quod scire operæpretium est, & nostro instituto deserviens, paucis accipe. Lege Dei lata Israelitis sancitum erat, ut ipsi præceptorum Domini jugiter essent memores: quem ad finem hæc dicuntur: (l) *Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque, & movebuntur inter oculos tuos.* Hoc ipsi Judæi, qui tempore Christi degebant, à Pharisæis, legisque doctoribus nimis ad literam, aut potius nimis carnaliter eruditi, ut implerent; excogitarunt modum scribendi in membranulis præcipuos aliquos Legis locos, quas complicantes mediis quibusdam filis, aut levibus funiculis ex politiori materia confectis, brachio sinistro alligabant & fronti, ut ipsæ, & præcepta in iis scripta, ante eorum oculos moverentur. Cùm vero eædem membranulæ usum haberent Legis Domini conservandæ, vocatæ sunt *Conservatoria*, atque (quod idem est) Gręca dictione, *phylacteria*: quæ Pharisæi, ut se populo religiosiores ostentarent, majora atque ampliora, quadam veluti exactiore, scrupulosioreque, imo (ut arbitror) superstitiosa observantia faciebant. Quibus proinde usus Christus non fuit. Fimbriâ autem usum fuisse, demonstrant annotationes Evangelicæ.

6 Fateor (neque me fateri pudet, qui plura alia, eaque fortassis scitu digniora ignorare me non diffiteor.) Fateor, inquam, ingenuè atque candidè, omnino nescire, an Christus Dominus usus fuerit aliquo capitis integumento, an non? Quantùm enim lectione ac diligentia observare potui, de re hac, non solùm in Evangeliis, sed & in Patribus, scriptoribusque gravissimis altum est omninò silentium. Et quidem rem, quæ non modicum ad institutum nostrum attinere videtur, intactam penitus relinquere non tuli. Faciam igitur quod unicum superest; id est, in medium producere momenta, quibus res in hanc & illam partem suaderi potest: sperans fore, ut eamdem doceat à viris eruditis. Igitur affirmativa pars, quòd nempe Christus Dominus usus fuerit cidari, pileo, aut aliquo, quodcumque fuerit, tegumento capitis; ex eo potissimùm deduci potest, quòd, ut monuimus, idem Dominus ut plurimum adaptavit, accommodavitque sese, in his communibus rebus, usibus receptis suæ regionis, nationisque, cum quibus conversabatur atque tractabat. Docent autem nos auctores omnino graves, atque in his rebus pervestigandis admodum solertes, (m) quòd Judæi, etiam tempore

(e) Mat. 14.36.
(f) Marc. 6.56.
(g) Num. 15.38.
(h) Deut. 22.12.
(i) Ad locum proxime citatum.
(j) Mat. 23.5.
(K) Luc. 20.46.
(l) Deut. 6.8.
(m) D. Fleury de Morib. Israelitar. part. 2.c.10. P. Bernard. Lamy in Manud. ad Script. pag. 278.

pore Christi Domini, pileis ad regionis morem conformatis, capitumque tegmine utebantur, præsertim, aut saltem, cùm in publicum prodibant, aut Templum ingrediebantur, sive ipsorum synagogas: imò illi qui, ut clarius exhiberetur, rem totam in ære incidi curarunt, affirmant hujusmodi capitis integumentum constare ex pileo quodam plano atque rotundo, cui superposita erat oblonga fascia ex lino tenuiori, hinc & inde usque ad medium corporis descendens. Et sanè quod ad rei antiquitatem spectat, non male conjiciunt. Etenim extra dubii aleam omnino est, NationesOrientales consuevisse capita non tantum tegere, sed ornare; hodieque id ipsum observare. Prætermitto nunc extremi Orientis incolas, quos Sinas appellamus, qui id ita mordicus retinent, quàm quod maximè: gerunt enim plebeii homines pileos rotundos, aliquantulum in altitudinem porrectos; nobiliores verò ac magistratus, quadratos, & multò magis in altitudinem prominentes: Utrique autem semper eos capite gestant, neque deponunt, nisi in domibus, aut inter sese magis familiari aliqua consuetudine colloquentes: aliter numquam, præsertim in publico; nec sese invicem salutantes. Neque enim caput aperire nudareque, censetur inter eos urbanitatis signum, sed potius quid irreverens, ac penè inhonestum. De quibus sat multa ii, qui de illis regionibus scripserunt. (n) Prætereo, inquam, hos. Persas, Medos, Armenosque satis constat antiquitus usos fuisse integumento capitis, quem appellabant *Tiaram*; quod primum feminis in usu fuit, cessit autem postmodum viris præsertim regibus. Collige id ex Suetonio narrante: (o) *Dein* (Armenię regi) *precanti, tiara deducta, diadema imposuit.* Sed tandem apud Medos ipsos & Persas commune virorum fuit ornamentum: quod etiam ex sacró Textu elicitur illis verbis: (p) *Et confestim viri illi vincti cum braccis suis, & tiaris & calceamentis, & vestibus missi sunt &c.* Quid autem rei sit tiara, eleganter descripsit Hieronymus ad hunc eumdem Danielis locum, dum ait: *Tiara verbum Græcum est, & usu versum in Latinum, de quo Virgilius, Sceptrumquè sacerque tiaras. Est autem genus pileoli, quo Persarum Chaldæorumque gens utitur.* Quod idem magis ex instituto prosequutus, tiara quid fuerit, ita explicat ut penè graphicè depingat, scribens ad Fabiolam illis verbis: (q) „Quartum genus est vestimenti, rotundum pileolum, quale pictum in „Ulyseo conspicimus, quasi sphæra „media sit divisa, & pars una ponatur in capite: hoc Greci & nostri „τιάραν, nonnulli galerum vocant, „Hebræi *miznepheth*: non habet „acumen in summo, nec totum usque ad comam caput tegit, sed tertiam partem à fronte inapertam relinquit: atque ita in occipitio vittâ „constrictum est, ut non facile labatur ex capite. Idem autem non magno discrimine usurpasse alias per Asiam & Orientem gentes, esset probare atque ostendere non admodum difficile. Sed ad Israelitas Judæosque redeo; quos obtecto capite incessisse, suaderi potest vel solius Scripturæ verbis, ex eo quod in ipsa horroris cujusdam, & veluti alicujus punitionis signum est, incedere aperto & nudo capite. Hac enim ratione de leproso cautum est, ut quandocumque maculatum lepra judicio sacerdotis se esse compererit, capite nudo ambulet. Sed en verba: (r) *Habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum, &c.* Rursus discoopertio nudatioque capitis, mœroris atque luctus signum esse, apertè constat ex sacris literis. Ob hanc enim causam sacerdotibus, & præcipuè summo, interdicta severissime erat hujusmodi capitis denudatio, etiam cum in mœrore & luctu eorum domus, atque propinqui versarentur, & ob id vestimenta scinderent, & capita nudarent. Etenim narrante sacra historia, cùm Nadab & Abiu incendio perierunt, propter oblatum in sanctuario profanum ignem, permissum est populo, & præcipuè propinquis, lugere mortuos; sacerdotibus autem non item, sed severissime id interdictum illis verbis: (s) *Locutusque est Moyses ad Aaron, & ad Eleazar, & Ithamar filios eius: Capita vestra nolite nudare, & vestimenta nolite scindere, ne forte moriamini. Fratres vestri, & omnis domus Israel plangant incendium, quod Dominus suscitavit.* Quod idem generali præcepto alibi edicitur: (t) *Pontifex, id est, Sacerdos maximus inter fratres suos.*

(n) Vide Nic. Trigautium lib. 1. c. 7. Alvarum Semmed. 2. p. c. 8. Dominic. Navarrete.

(o) In Neron. c. 13.

(p) Dan. 3. 21.

suos.... caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet. Et ad omnem mortuum non ingredietur omnino; super patre quoque suo & matre non contaminabitur, &c. Ex quibus omnibus, si bene perpendantur, satis dignoscitur, Israelitas non nudo capite, præterquam in luctu, incedere solitos. Ad quod amplius confirmandum, consultò prætermitto plurima, quæ facili negotio peti possent ex sacris, profanisque literis. Atque ad hunc modum tegendi decenter capitis perdurasse adusque Christi tempora, imò hodieque vigere apud Iudæos, docent nos ii quos supra laudavimus. Cum ergo Christus Dominus, ut sæpè monuimus, semet conformavit, quantum decuit, patriæ receptis usu moribus, verosimile non est, incessisse præter, aut contra morem omnium, aperto & nudo capite. Et hęc, omissis non paucis, sunt quæ probare & statuere non enerviter posse videntur partem affirmativam.

7 Contra verò pro negativa illud in primis adduci urgenter potest, quòd Imaginum Christi Domini, earum etiam quas summi Artifices expresserunt, vix aut ne vix quidem ulla est, quæ exprimatur capite obtecto. Vix, inquam, ulla au ne vix quidem. Nam quod alicubi inspiciatur Imago Christi Domini crucifixi Lucensis, tunica talari vestiti, & capite tiarâ contecti; * cujusmodi imagines nonnullę apud Græcos fortasse conspiciuntur: nihil prorsus ad rem de qua agimus. Illud enim exprimit utcumque reverentiam nostram, non autem rei gestæ veritatem: alioquin dicere deberemus, Christum Dominum affixum cruci fuisse indutum suis vestimentis, quod est contra Fidem. (u) Ex hoc autem non leve argumentum conficitur ad probandum Christum Dominum nullo unquam fuisse usum capitis tegmine: alioquin non adeò credibile est, in aliqua ipsius Imaginum Pictores per tot secula id ornamentum aut indumentum per summam injuriam omisisse. Deinde: Christus Dominus, qui in cunctis rebus suo ipsius prudentissimo utebatur arbitrio, credibile est quòd voluerit in hoc non se conformare aliis, præcipuè divitibus, & magistratibus; vel saltem eò, quòd tegmen capitis, quale in usu erat apud Judæos, dignitatem authoritatem, que præ se ferebat; à cujus ostentatione longissimè aberat. Præterea: Dubitari nequit quin incedere nudo capite exposito ardoribus & imbribus, genus sit mirandæ constantiæ atque exempli: hoc autem ipse exhibere fortasse voluit: tùm ut ejus discipuli, qui orbem terrarum erant postmodum peragraturi, rudioribus hisce paulatim assuescerent: tùm etiam, ut molliores homines hac exercitationis via tacitus quoddammodo reprehenderet. Sanè ut multæ fuerunt nationes, atque hodie fere omnes sunt, quæ integumento capitis uterentur; ita multę fuerunt, quæ nudo omnino & aperto incederent. Neque prorsus argumento vacat, quòd hoc modo se gesserint Romani prisci & feveriores; quandoquidem in togatis imaginibus nunquam tale capitis tegmen conspicitur. Qua de re consuli potest Philippus Rubenius, Pictoris frater. (x) Sed hos relinquamus, neque quod ad præsens attinet meminerimus Americanorum, qui ut plurimum nullo tegmine contegebant caput. Certè Hispani nostri veteres non tantum hoc in pace aspernabantur, sed & in bello, pugnabantque nudis omnino capitibus; quod de Vasconibus Hispanica gente eleganter cecinit Silius Italicus, cùm ait: (y)

Galeæ contempto tegmine Vasco:
& alibi:
Nec tectus tempora Vasco.

quod idem de Germanis asserit Tacitus illis verbis: (z) *Paucis loricæ: vix uni alterivè cassis, aut galea.* Et Dio Casius de quadam Germanorum acie, (a) *Capitibus*, inquit, *nudis pugnabant.* Et Herodianus de eadem re agens; *Sagittariis nuda Germanorum capita petentibus.* Hæc communiter; quanvis earumdem nationum alii secus agerent. Sed qui plura velit, adeat eruditum Philippum Cluverium: (b) nobis enim in re hac satius est manum amovere de tabula. Illud verò præterire non possumus, quod nempe de Adriano Cæsare narrat Aelius Spartianus, cujus ea sunt verba: *Peregrinationis ita cupidus, ut omnia quæ legerat de locis orbis terrarum, præsens vellet addiscere.* Quibus statim subjungit: *Frigora & tempestates ita patienter tulit, ut numquam caput te-*

[Left margin:] * Con... u Ma... nsi Or... s Præ... torū, ... m de ... cha... unt.

(u) Mat. ... 35. ... c. 15. ... Luc. ... 34. ... n. 19.

[Right margin:]
(x) In Electis l. 1. c. 17. p. 20.

(y) Silius 1. de Bello Punico l. 5. & 11.

(z) Tacit. de Morib. Germanor.

(a) Dio Cas. l. 38. Herodian l. 6.

(b) Philip. Cluv. de Germania antiq. l. 1. c. 44.

geret. Sicut neque illud licet prętermittere quod de Gregorio Lopezio Hispano, qui apud Occiduos Indos deguit vitam insignis probitatis, non semel narrat Franciscus Losa Presbyter, ejusdem Vitæ scriptor: (c) ille enim numquam operimento aliquo caput obtexit, sed apertum & nudum penitus ostendit: sive hoc reverentia quadam eximia erga Deum Opt. M. quem semper ferebat in oculis, faceret: sive, ut idem de se ipso professus est, quòd putaret esse hujusmodi capitis tegmen non admodum homini necessarium. Quæ duo postrema ideo commemorare libuit, ut si non probari, saltem illustrari aliquo modo possit res hæc de qua agimus: ut proinde probabile appareat, sine ullo capitis tegumento, aut domi, aut foris agentem, incessisse semper Christum Dominum. Quod si ita fuit (rem quippe non ego diffinio) mirum est quod hujusmodi nullo modo meminerint ii qui res alias minutius atque scrupulosius sunt consectati. Illud hic dumtaxat nequeo non monere Pictorem; nempe, quòd dato atque admisso, priorem dicendi modum esse probabilem (certum enim atque exploratum non erit unquam, quantum ego arbitror) tamen deduci ad praxim nunquam deberet à Pictore cordato atque erudito: res enim esset nimiùm insolens atque exotica, quòd Imaginem Christi Domini galeratam, pileatam, aut quoquo modo capite contectam cerneremus, quam nudo prorsus capite à multis seculis adspeximus.

(c) Cap. 30. 37. & alibi.

8 Denique: An Christus Dominus calceamenta aliqua portaverit, an secus? atque adeo an pingendus sit quoquo modo calceatus, an vero omnino nudipes? quęstio est, quam agitarunt, modoque agitant plerique, majore fortasse conamine, quàm fructu. Ego verò qui partium studio nullo teneor, dicam sinceriter quod mihi videtur longè & quamplurimum probabilius. Principiò enim assero, Christum Dominum, ut plurimum & regulariter (ut dicimus) non ambulasse neque incessisse omnino nudipedem. Et quidem ad hoc probandum, & firmius statuendum, satis superque esse deberet id quod eximius Præcursor de Domino nostro atque suo omnino claris verbis asseruit, ea enim sunt: (d) *Veniet autem fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus.* Ubi Christum Dominum incessisse aliquomodo calceatum Ioannes supponere videtur, ut rem plane evidentem atque notissimam. Satis, inquam, superque deberet esse probatio hęc, si non subtilioribus interpretationibus contrairetur. Sanè negabit nemo prudens, ea verba quomodolibet posse detorqueri ad proverbialem loquendi modum; hoc est, quòd non se reputabat Ioannes dignum, ut Christo Domino, etiam in ministerio abjecto atque vilissimo, famularetur: id quod Hispanicè dicimus, *No merezco descalzarle.* Sed quivis etiam prudens & cordatus advertet, esse longe probabilius Ioannem Baptistam simpliciter omnino, & sine ullo rhetorices fuco aut arte loquentem, ea verba protulisse, quæ Christo literaliter (quod dicimus) & absque ambage ullo competerent, aut eidem possent ad literam adaptari. Atque ita planè intellexisse videtur Augustinus Parens, dum inquit: (e) *Nam de iis calceamentis, quibus calceati ambulamus, consolatur me idem Dominus meus. Si enim ille calceatus non esset, non de illo Ioannes diceret, Non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum.* Ingens prorsus argumentum hoc: quod tale visum est doctissimis hominibus; imo & videbitur semper iis, qui rem hanc non præjudicata opinione tractaverint. Sed & alia suppetunt non minus urgentia, quæ patebunt inter rem hanc plenius discutiendam. Itaque Christum Dominum, quem nudis omnino pedibus non incessisse factum argumentum evincit, soleis, caligis, aut sandaliis usum esse nemo prudens meritò dubitaverit. Conjunxi tria hæc nomina, quòd rem unam eamdemque planè significent; ut multis orbi literario persuasit vir eruditus, qui de re hac, nempe de *Caliga*, libellum, brevem quidem, sed multa refertum antiquitatis cùm sacræ, tùm profanæ cognitione, conscripsit. (f) Est igitur Caliga vel sandalium, ut in dicto Opusculo laudatus Auctor expressa etiam icone depinxit, quod item præstitit allegatus supra Pater Bernardus Lamy; tegumentum non cruris, neque pedis ad partem superiorem; sed plantæ, quam muniter soleâ gestabant in Palæstina vulgares

(d) Luc. 3. 16.

ter homines: ad eum ferme modum (ut rem faciamus evidentiorem) quo hoc calceamenti genere utuntur Patres Franciscani Ordinis, quos de Observantia nuncupamus. Alligabant igitur soleas, qui his utebantur, pedi, aut infimæ tibiæ parti, corrigiis hinc inde connexis. Et hoc planè est calceamenti genus, quod *Caligam* vocarunt, tam in exercitu milites, quàm vulgares præsertim homines alibi. Quod totum eleganter elucidat & adstruit laudatus nuper Auctor tota sua Dissertatione de Caliga. Ut igitur ad rem de qua agimus revertamur: usus est Christus Dominus proculdubio hoc calceamenti genere. Hoc probant supra allata Ioannis Baptistę verba. Alligabatur enim Caliga, aut solea, pedi corrigiâ aliqua, vulgari nempe, & parvi prorsus pretii; quod satis indicant verba illa Abrahami cum uno ex Pentapolis rege loquentis, (g) quòd *à filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt.* Id est, ne vilem quidem rem, ac minutam. Sed magis adhuc dissertè intentum idem probat pręceptum Christi datum Apostolis. Ubi enim juxta Lucæ Evangelium jubentur Apostoli non saccum portare, nec peram, neque calceamenta, habetur perspicuitate summa apud Marcum: (h) *Sed calceatos sandaliis*: quę genuina omninoque germana utriusque loci concordantia est, ut passim viderunt interpretes: Christus autem Dominus ea credendum est aliis injunxisse præcipisseque, quæ ipse exemplo præstabat, juxta scitum illud: (i) *Cœpit Iesus facere & docere.* Cum ergo discipulis jusserit, & pręscripserit, ut in prędicatione Evangelii procederent calceati sandaliis; dicendum prorsus est, his juxta communem morem usum esse eumdem. Quod amplius illustratur ex illo, quòd dormienti Petro in carcere, cùm Angelus eum excitasset à somno, (j) *Præcingere*, inquit, *& calcea te caligas tuas*; Gręcè τα' σανδα'λια σου. Quam vertendi rationem, ut scilicet caligis sandalia correspondeant, multis ostendit laudatus Nigronius. Nunc sic probare pergo. Apostoli, & præcipuè eorum Princeps Petrus, id vitæ instituendæ genus sequuti sunt, quod à Christo non verbis tantum, sed & magis exemplis didicerunt. Cùm ergo caligas, aut, quod idem est, sandalia gerens Petrus describatur, fit nimis consequens, iisdem usum fuisse eorum pręceptorem atque Magistrum. Vidit hoc vetus & severus Auctor Clemens Alexandrinus, qui eidem subscribens sententiæ, de soleisque sive sandaliis sermonem instituens, (K) *Tenuis*, inquit, *ac simplicis calceaturæ testis sufficit Ioannes, qui dicebat se non esse dignum solvere corigiam calceamenti Domini. Non enim curiosos aut superfluos habebat calceos, qui veræ philosophiæ typum ostendebat Hebræis.* Hucusque Clemens sat eleganter.

(g) Gen. 13.

(h) ...10.4. Marc.

(i) ...ct. 1.

(j) ...t. 12

(K) Clem Alex. Pœdag. l. 2. c. 11.

9 Neque verò ut opinemur aliter, movere satis possunt rationes aliquæ, quæ pro Christi Domini omnimoda pedum nuditate, non sine plausu aliquo, produci possunt. Quarum prima illa est: Quod Christus Dominus discipulos mittens ad prædicationem Evangelii, jussit ne calceamenta portarent, ut apertè constat ex Evangelistarum verbis. (l) Secunda: Quod quando Christus cruci fuit affixus, nudatus utique fuit vestibus, at non calceis: quo factum est, ut milites, qui leguntur divisisse sibi vestimenta, non legantur partitos esse sibi calceos. Hæc duo momenta eleganter juxta atque vehementer, ut moris ipsi est, in medium attulit Divus Hieronymus, dum inquit: (m) *Moyses & Iesus Nave nudis in sanctam terram pedibus jubentur incedere, & discipuli sine calceamentorum onere, & vinculis pellium, ad prædicationem novi Evangelii destinantur: & milites, vestimentis Jesu sorte divisis, caligas non habuere, quas tollerent; nec enim habere poterat Dominus, quod prohibuerat servis.* Quibus addi tertia veluti ratio momentumve potest: quòd nempe Magdalena recumbenti Christo pedes laverit, & quidem non alia prorsus aqua, quàm lacrymis. Hoc autem non videtur commodè potuisse fieri, nisi Christus esset nudis pedibus, atque ita communiter incederet. Verùm hæc omnia, aliaque fortassis hujusmodi, tanti non sunt, ut propterea à sententia, quam omnino probabilius adstruximus, recedamus. Ad primum enim: Iam supra ostendimus, Christum Dominum prohibuisse Apostolis calceos; eos nempe quibus utebantur ditiores, & qui

(l) Luc. 9. Mat. 10.

(m) Div. Hier. Ep. 22. Ad Eustoch. de Custodia virginitatis.

qui vitam degebant magis commodam: calceos, inquam, qui totum pedem omnino contegerent; non vero caligas, soleasvè, sive sandalia: imò oppositum constat relatis supra verbis: *sed calceatos sandaliis.* Unde non est cur in hoc diutius immoremur. Secundum facillime præcluditur: Nam vel Evangelistę vestimentorum nomine comprehendisse calceamenta verosimile est: vel milites, qui Christum crucifixerant contempsere soleas, exigui rem valoris, aut planè nullius pretii. Ad tertium non difficilior est solutio. Dicimus enim Christum Dominum in convivio quo exceptus est à Pharisæo, nudis omnino pedibus recubuisse: veterem prorsus antiquorum omnium, ipsorumque adeò Iudæorum morem sequutus; ut discalceati in lectis accumberent mensæ, ne fortè calceamentorum sordibus lectorum stragula macularent. Notum est hoc cuivis bonis literis mediocriter instructo. Hinc illud Martialis (n)

(n) Marcial l. 3. Epigr. 50.

Deposuit soleas: affertur protinus ingens
Inter lactucas oxyarumque liber.

ad quem locum congesserunt plura Pater Matthęus Raderus, & D. Ramirezius de Prado, quem etiam consule in Pentecontarcho. (o) Sed de re hac fortassis alibi sermo redibit. Manet ergo Christum Dominum communiter usum fuisse soleis sive sandaliis, & hoc modo fore pingendum: quo etiam ad concordiam reducuntur Theologi atque Auctores gravissimi; inter quos, qua par est reverentia, suspicimus S. Bonaventuram, qui sacrosanctorum pedum Christi Domini nuditatem videtur adstruere. (p)

(o) Cap. 12. pag. 130.

(p) D. Bonav. opusc. de Sandaliis Apost. c. 7.

10 Poterant videri satis hucusque dicta, ut hujus capitis titulo responderent. Verùm quia eidem non parùm deserviet; illud breviter addo, quod nempe cùm sæpe sæpius Christum Dominum comitantes depingantur Apostoli, hi ad eumdem ferè modum, quod ad vestitum & habitum attinet, veniunt depingendi. Levis igitur & imperitus error Pictorum est, quod illi rubris, cæruleis, aliorumvè colorum tunicis induti repræsententur multoque magis, quòd in iis tunica atque pallium coloribus, illisque nimium in oculis incurrentibus, differant: cùm hæc ipsa in ipso Christo Domino minime probentur, ut satis constat ex iis quę supra disseruimus. Ergo pingantur palliis & tunicis coloris unius, albi (si quis erit cui hoc magis placeat) quamquam nihil candidis & splendentibus: aut fusci (quod mihi magis arridet) non oblongis palliis, tunicisvè, neque amplis admodum, zonis vulgaribus præcincti; &, quod in dictis approbavimus, calceati caligis, sive sandaliis. Atque hic, nisi nimium fallimur, erit eosdem pingendi ac repræsentandi modus longe probabilissimus. Crediderim facilè illos, si non rudioribus in plurimum, saltem incultioribus vestibus usos, quàm ipse Christus Dominus: non quòd ille molles (absit hoc) pretiosasvè, aut exquisitas quoquo modo gestaverit; quin imò rudes, omninoque vulgares, id quod supra ostendimus: sed quod majestas sua, dignitasque, per omnia à sordibus abhorrens, nescio quid prę se ferebat, ut ego judico, quod illum aliquo modo secerneret, adhuc in hac re, ab incultissimis piscatoribus, proletariæque plebis hominibus, quales omnino fuerunt Apostoli, quantum attinet ad conditionem seculi. Dixi supra, quod ad vestitum attinet, & corporis habitum: Nam quod ad vultuum lineamenta figuramque, res prorsus incerta est, & permissa cujusvis arbitrio: nisi quod D. Petrus eâdem ferme oris specie semper atque constanter depingi solet; sive hoc ex quadam traditione proveniat; sive (quod magis arbitror) derivetur à pervetustis Imaginibus, de quibus, ut monuimus supra, meminit Eusebius. * Jacobum autem consanguineum Christi, qui propterea dictus est ab Apostolo *frater Domini* ipsum nempe qui postmodum fuit Ierosolymorum Antistes, fuisse ipsi Christo Domino facie vultuque persimilem, non desunt qui crediderint. Verùm de hoc suo loco nonnulla dicemus. * Interim quod ad ætatem spectat, depingendi Apostoli senes non sunt, sed viri ætatis integræ ac consistentis; inquâ sanè sunt à Christo delecti, ut conveniebat iis qui postmodum (& aliqui per annos non paucos) erant ipsi Christo Domino in carne mortali supervi-

victuri. Certè Joannes Evangelista juvenis erat, ut probari potest ex Ecclesiasticæ Historiæ monumentis; Petrus autem omnibus illis natu grandior, quamquam non (ut assolet pingi) planè senex: cùm, re ad supputationem reducta, probabiliter (quod nos ipsi alibi, quamquam non omnino exactè, tentavimus) (q) vix Petrus cùm à Christo Domino ad Apostolatum ascitus est, quadragesimum annum excederet.

(q) In nostris Concion. Hispanic. to. 2. ser. 1.

CAPUT X.

DE BAPTISMO CHRISTI DOMINI, EJUSQUE tentationibus in deserto; atque hujus utriusque rei Imaginibus.

1 Am propitio Deo, Christi Domini, quo potuimus modo, elaboratam imaginem absolvimus. Jam, inquam, quod satis visum est diximus de Christi forma, deque ejus habitu. Proinde recta procedendi methodus postulat, ut ejusdem vitæ sacrosanctę res gestas, quantum ad institutum iter spectat, prosequamur, quamquam id ipsum facturi simus, quo convenit delectu. Primum igitur sese offert Christi Baptismus, cujus, sicuti & aliarum rerum historiam, prolixius recensere, non est hujus Operis. Duo sunt in hujus rei Imaginibus, quæ observatione & admonitione egent: quorum primum, ut ingenuè fatear, mihi maximopere displicet. Illud est: quòd cùm Christus Dñs repræsentatur à Pictoribus à Præcursore suo baptisma suscipiens, non aliquanto profundius mersus aquis, ut par erat, depingitur; sed talo tantùm tenus, aut ut summum, vix ad medietatem tibiæ. Ineptum hoc, & penè dixerim ridiculum, quanvis factum spectemus à peritis, & magni nominis Artificibus. Principiò enim; non talis erat Jordanis fluvius, in quo Christus Dominus baptismum suscepit, imò & instituit, qualis (ut ita dixerim) hic noster, qui Matritenses arenas alluit, imò quandoque vix tingit: sed erat, estque, licèt non admodum grandis aquisque tumens, is tamen in quem poterant homines immergi profundius non admodùm à ripa provecti. Deinde etiam: quia, ut communiter explicant Interpretes, exponentes illa Matthæi verba, (a) *Et baptizabantur ab eo in Iordane*; non aliter homines baptizabantur ab illo, nisi fluvio fortasse non semel, sed bis aut ter sese totos immergentes, deducente illos Joanne Baptista, manuque eorum capitibus superponente, aut etiam aquam fundente super capita. Ineptum igitur est, ut depingatur Christus Dominus pedibus tantum tenus, aut mediis tibiis aquam attingens, & non potius (ut etiam melius depictum vidimus) pectore tenus immersus, eò præsertim titulo, quòd cum Christus Dominus in sui ipsius baptismate baptismi sacramentum instituerit in flumine Jordane immersus; (b) ex eo proculdubio ortum traxit, quòd Ecclesia antiquitus non solum Orientalis, sed & Occidentalis, per immersionem suscipientis, baptismum conferret, sive trinam, sive unicam, pro ratione consuetudineque locorum, & Ecclesiarum, quemadmodum præter antiquiores elegantissime docuit Gregorius Primus Pontifex & merito & nomine Magnus, cujus verba, etsi paulò longiora, si hîc transcripsero, pius doctusque lector æqui bonique consulet. *De trina*, inquit, (c) *mersione baptismatis, nihil responderi verius potest, quàm quod ipsi sensistis: quia in una fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa. Nos autem quòd tertiò mergimus, triduanæ sepulturæ sacramenta signamus, ut dum tertio infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur: Quod si quis fortè etiam pro summæ Trinitatis veneratione existimet fieri, neque ad hoc aliquid obsistit, baptizando, semel in aquis mergere: quia dum in tribus personis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismate vel ter vel semel immergere, quando & in tribus mersionibus perso-*

(a) Matt. 3. 6.

(b) Magister in 4. sent. dist. 3. Cayet. in 3. p. q. 66. art. 2. Sotus dist. 3. q. unica art. 2. &c.

(c) Div. Greg. to. 2. epist. 41 Regist. ad Leandr.

narum trinitas, & in una potest divinitatis singularitas designari. Cæterùm ad rem, de qua agimus; nempe quod Christus Dominus in baptismate suo, mersione in Jordanis aquas usus fuerit, elegans & notus est locus Nacianzeni, qui de Baptismo Christi Domini loquutus, (c) *Ascendit*, inquit, *Iesus de aqua, secum quodammodo demersum educens, & elevans mundum.*

(c) Naz. Orat. in sancta lumina.

2 Neque huic doctrinæ adversatur, quòd depingatur frequenter Baptista Præcursor aquam ex concha in caput Christi Domini profundens. Ut enim supra innuimus, adjuvabat Joannes eos quos baptizabat, manu leniter admota capitibus, ut toti nonnihil mergerentur; aut manibus conchavè effundens aquam super capita: Quod totum uno vel alio modo præstitum, ut per se fit evidens, pertinet ad lavacrum. Et hoc modo, qui majorem reverentiam exprimit, baptizans pingitur Christum Dominum; cui facto ratio alia, neque ea incongruens, subesse potest: ita namque docemur, muto modo loquente Pictura, mersionem non necessariam esse ad baptismi susceptionem: ut non pariter & eodem saltem prorsus valore fiat, si præstetur per modum effusionis aquæ, aut aspersionis: quod solidè, ut semper, docuit Doctor Angelicus illis verbis: (d) *Dicendum, quod aqua assumitur in sacramento baptismi ad usum ablutionis corporalis: per quam significatur interior ablutio peccatorum. Ablutio autem fieri potest per aquam, non solum per modum immersionis; sed etiam per modum aspersionis vel effusionis. Et ideo quanvis tutius sit baptizare per modum immersionis (quia hoc habet communior usus*) potest tamen fieri baptismus per modum aspersionis, vel etiam per modum effusionis, &c.* At qui de hujusmodi rebus operosius velit erudiri, adeat Doctores Theologos, de Sacramento Baptismi differentes: nos enim paulò longius sumus prolapsi, quibus pro instituti nostri ratione sat est monuisse, ineptum esse, Christum Dominum in sui susceptione baptismi depingi vix aquam pedibus attingens, aut ea vix supra talos ipsius ascendente. Jam quòd Angeli depingantur tenentes manibus Christi Domini vestes, dum nudus suscipit baptisma; quamquam non repræsentet exactam, aut narratam ab Evangelistis historiam; pium tamen admodum est, atque imitatione dignissimum, ad designandam eximiam reverentiam, quam Angeli exhibuere semper à Verbo Divino assumptæ humanitati: præsertim cùm paulò post visuri simus Angelos in deserto eidem Christo Domino ad mensam ministrantes.

(d) Div. Thom. 3. p. q. 66. art. 7. in corp.

*Qui adhuc vigebat tempore Doctoris Angelici.

3 Majore fortassis consideratione dignum existit quod secundo posuimus loco; quod nempe sæpius, imo semper, in quotquot hujus rei hucusque videre licuit Imaginibus, depingitur Christus Dominus æterni sui Patris suscipiens testimonium, Spiritu Sancto etiam sub columbæ specie adstante super caput ipsius, dum adhuc ingressus fluvium, baptismum suscepit. Hoc autem non ita contigisse, Evangelii suadent divina verba, si rectè & cum judicio perpendantur. Docent enim, testimonium redditum atque perhibitum ab æterno Patre fuisse Christo; non quidem dum actu baptizaretur, sed postquam baptizatus est, & jam egressus à Jordanis aqua. En Matthæi verba: (e) *Baptizatus autem Iesus, confestim ascendit de aqua. Et ecce aperti sunt ei cæli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam*, &c. quibus si clariora quis optet, ecce quæ reposuit Marcus, Matthęi veluti assecla, & interpres: (f) *Baptizatus est (Jesus) à Joanne in Jordane. Et statim ascendens de aqua, vidit cęlos apertos, & Spiritum tamquam columbam descendentem, & manentem in ipso. Et vox facta est de cælis: Tu es filius meus dilectus, in te complacui.* Ecce ut vides exactissimè rei gestæ ordinem & historiam: ut planè ex illa fiat evidens, non antè, sed postquam Christus Dominus ab aqua Jordanis exiverat, apparuisse Spiritum sanctum sicut columbam supra ipsius sacrosanctum caput; intonuisseque vocem paternam, quâ filius agnoscebatur, prædicabaturque. Cùm tamen Pictores nostri utrumque conjungant; nempe Christum Dominum actu ipso baptismum suscipientem, columbam, hoc est Spiritum sanctum sub hujus avis specie, supra caput ejus adstantem; & reserato cælo, Patris (quem etiam depingunt) vocem mirificè personantem: quæ quantumlibet effectus *ad extra*, ut Theologi loquuntur, quomodo aut qua ratione dici vox solius Patris possit & debeat, operosius disquirere, lon-

longissimè abest à præsentis operis instituto. Quibus tamen non obstantibus, censeo, reprehendendos non esse Pictores qui ita pinxerunt, aut eodem modo in posterum depinxerint: Tum quia res est jam nimium recepta, & quæ jam diu spectantium oculis ac mentibus insederit. Tum etiam, quia hoc de Christo Domino Patris æterni testimonium, & ipsius Spiritus sancti, statim exhibitum est atque Christus exivit ab aquis Jordanis, susceptique Joannis baptisma: & ut fert commune axioma, quod parùm distat, nihil distare videtur. Tum denique: quia si aliter factum depingeretur, non ita facilè homines agnoscerent id contigisse immediatè post susceptum à Christo baptisma, quod operæpretium est agnoscere; eo potissimùm titulo, quod cum Christus Dominus baptisma Joannis suscipiens, se gesserit ad oculos hominum (specie saltem & umbra) peccator, exemploque suo mirifico homines ad pœnitentiam alliciens & exhortans, ipse (quod re ipsa erat) tamquam deletor ac victor peccati, testimonio Patris probaretur.

4 Cæterùm quid si tota hæc res alio modo, non minus, imò magis commodè repræsentaretur, atque exhiberetur in tabulis? Quonam, inquis, modo? nempe hoc: quod depingerentur Jordanis fluenta, & ea circum plurimi, Joannes ipse Baptista melote sua indutus, Christus Dominus tunica vestitus, non siccis capillis, genibus ad Deum flexis, & supra ipsum, columbæ specie Spiritus sanctus, Paterque æternus, reserato cælo conspicuus. Quid? nonne totum hoc magis commodè prædicto modo depingeretur? Fortassis, inquies: at inauditum est, & novum proculdubio. Esto, inquam. Sed videamus, an fundamentum, idque gravissimum, habeat in narratione ipsa Evangelica. (g) *Factum est autem*, inquit S. Lucas, *cùm baptizaretur omnis populus, & Jesu baptizato, & orante, apertum est cælum: & descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum: & vox de cælo facta est: Tu es filius meus dilectus, in te complacuit mihi.* Totum locum integrum apposui, ut luce clarius meridiana videas ordinem seriemque rei gestæ, & clarificationem (ita enim appellare malumus) Christi Domini factam esse, non dum ipse baptizaretur, sed postquam baptizatus est; seu quod idem est, *Jesu baptizato*; neque id solùm, sed *orante*: quo nihil expressius dici potuit. Verùm restat, objicis, ut hic explicandi & rem declarandi modus alicui gravi placuerit Interpreti. Placuit sanè gravissimo, & qui mihi plurium est instar: tantùm viri apud me valet gravitas & authoritas, (h) *Lucas*, inquit, *orante Christo apertos cælos, & columbam descendisse narrat: itaque credendum est eum, simul atque in terram evasit, sese in genua provolvisse, ut reverenter Patris testimonium exciperet. Nam & filii bene instituti dum ipsos parentes alloquuntur, caput aperiunt.* Hucusque Maldonatus. Quod totum propono, ut maximè probabile: nam si qui erunt, quibus antiquior pingendi modus plus arrideat, defendereque velit Pictores veteres, cum his funem contentionis trahere non est cordi. Et hæc satis fuerint, quod attinet ad Baptismum Christi.

(g) Luc. 3. 22.

(h) Joan. Maldon. Comm. in Matt. c. 3. v. 16. col. 82.

5 Hunc autem statim sequuta est profectio ejusdem in desertum; quod quidem si rupibus horridum, iisque asperis atque præruptis depingatur, non ineptè fiet: sed & insuper addi oporteret inter ipsas proceras & sylvestres arbores, errantes feras; quibus, præsertim in desertis locis, Palæstina satis abundat. Hoc enim valde congruit cum eo quod Marcus narrat (i) *Erat in deserto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.... eratque cum bestiis.* Jam quod accedens ad illum tentator, visibili & humana forma depingatur, maxime placet viris doctis, qui insuper probant, ut repræsentetur specie viri sanctitatem profitentis. Sed neque illi, neque cordatus aliquis probabunt unquam, probarevè possunt, pingi illum indutum habitu omnino simili illi, quem gerunt Religiosorum Ordinum, seu quos Mendicantes, seu quos Monachales vacant, professores. Hoc enim magis, ut arbitror, hæreticam satyram impietatemque redolet, quàm quidvis aliud. De quo quia satis multa diximus supra, * nihil hìc addimus, arbitrantes sat esse quòd depingatur confectus macie, capillis hispidis, & rudiori aliqua pelle utcumque coopertus. Quòd verò ejusdem capiti parva affingantur cornua, aut pedibus gryphorum ungues, non

(i) Marc. 1. 13.

* Lib. 3. c. 10. n. 5.

non erit incongruens. Tametsi enim Christum Dominum latere nullo modo posset, quisnam esset, qui ad illum tentaturus accederet; tamen per hoc magis spectantium oculis consulitur; illudque monitum observatur frequenter traditum à peritis Theologiæ Mysticæ, quòd nempe diabolus, non solùm alicui apparens, sed & illum alloquens, vix aut ne vix quidem posit efficere, quin externè aut potissimum internè aliqua signa sui non relinquat, quibus illusionis falsitas sat caveri posit, & agnosci. Et hoc quidem quantum ad formam dæmonis visibilem spectat, in prima tentatione cum Christo Domino congredientis. Nam quod ad posteriores duas attinet (ne hoc relinquamus intactum) non improbabile est, & est insuper valde plausibile, quod, velut Protheus, induerit alias formas omnino dissimillimas; nempe, in secunda, radiantis Angeli speciem, utpote certamen iniens, in quo ad gravius enormiusque peccatum incitabat; scilicet ad vanam gloriam, ambitionem, tentationemque Dei; & erat magis congruum Angelo, assumere Christum in pinnaculum templi. Tandemque in tertia, in qua regna mundi, divitias, potestatemque promittebat; credibile est imperatoria quadam majestate, purpuraque semet exornavisse, ut valde probabiliter adstruit doctus oppidò atque eruditus Author. (j) Quæ quidem omnia, ut valde probabiliter asserta, vel maximè spectant ad Pictorem non ineruditum. Diabolum insuper depingunt hoc loco, atque in hoc primo certamine, Pictores, & quidem frequentissimè, tres quatuorvè lapides manu ferentem, atque ostendentem Christo Domino; eò quòd legerint in Evangelio prolatum illud ab ore diaboli: (K) *Dic, ut lapides isti panes fiant.* Non hoc ego erroris coarguo; sed moneo, quòd nec error esset, illum depingere manu signantem atque ostendentem lapides in solo jacentes circa Christum, vel ad pedes ejusdem: & hoc vel mamè insistendo in Latina significatione pronominis *isti*, quo Latinè propriè significatur, non quod nobiscum gerimus, in nobis est, aut valde prope nos, ut illud tangamus, aut possimus tangere: sed magis illud, quod indigitamus è regione positum, sive in conspectu nostro. Clarius: Pronomen *iste, ta, ud*, non correspondet Hispanico *este, este, esto*; sed potius Hispano pronomini *esse, sa, so*, quod quidem urgere, atque demonstrare facile possemus meliorum Authorum, & purioris latinitatis illustribus exemplis. Sed consectari nolumus minutias Grammaticas; præsertim cùm fateamur, apud Scripturam ipsam Ecclesiasticosque Authores, pronomina *hic* & *iste* sæpissimè confundi.

(j) Pat. Alphons. Salmeró, tom.4.tr. 22.

(K) Matt. 4.3.

6 Quod ad secundam tentationem attinet; decernere quis locus Templi fuerit ille, ad quem ductus est Christus Dominus à dæmone præcipitium suggerente, cùm dicitur: (l) *Statuit eum super pinnaculum templi, & dixit ei; Si filius Dei es, mitte te deorsum*: visum est viris impensè doctis explicatu difficile; & consequenter non facile decernere, qua sit ratione hoc factum depingendum à Pictore erudito. Ego verò omissis aliorum opinamentis, ajo, locum illum non alium fuisse quàm peribolum, aut quem Hispanicè nominamus, *el balaustre*, superius & magis elevatum, tectum circumdantem: qui ideò erat extructus, ne quis in ipso tecto consistens, aut ambulans, facilè laberetur aut caderet. Erant enim tecta ipsius Templi, quemadmodum & alia domorum in Palæstinæ regione, in aliisque Orientalibus, non acuminata & fastigiata, ut sunt nostratia per Europam; sed omninò plana: adeò ut in iis ambulandi, confabulandique commodus locus existeret. Peribolus autem ipse, pinna, aut pinnaculum templi, Græcè πτερύγιον dictus est, quia quodammodo ab ædificiis exibat, ac veluti in aëre pendere alæ similis videbatur. Igitur: *Statuit eum super pinnaculum templi*; idem est atque collocavit illum super ipsum peribolum: aut, ut Hispanicè loquamur hominibus præsertim Hispanis, *Le puso sobre el corredor, la barandilla, ò el balaustre* partis templi longè superioris: Ut proinde eruditi Pictoris fuerit, si hoc neque alio modo, depingatur id factum.

7 Quod ad postremam autem, quam diabolus machinatus est, tentationem attinet, quæ in Evangelio refertur illis verbis: (m) *Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde: & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, &c.* cum certo

certo certius sit, omnia mundi regna ex cacumine montis, quantumlibet alti, ostendi & videri nullo modo posse, non parum in hujus loci explicatione sese torquent Interpretes. Ego verò, quod ad institutum nostrum attinet, sicubi factum hoc aliquando oportuerit depingi, satis dicere arbitror, diabolum arte sua exsquisitè Magica, in objecta oculis aëris parte repræsentasse, atque ostendisse Christo Domino, ut in excellenti prorsus perspectiva fieri aliquomodo assolet, ingentes earum rerum apparatus, quibus mundus inhiat, & quas mundani homines maximè percupiunt. Tales profectò sunt, excelsa & magnifica palatia, auream, argenteam, gemmatamque etiam supellectilem, immensos pecuniarum acervos, purpureos, atque holosericos amictus, aureos thronos, triumphi ostentationem, triumphalesque currus; aliaque id genus plurima: Ad quæ diabolus respiciens, subjunxit; *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*: satis superque scius, quot & quantos harum, imo non adeò pretiosarum rerum avidè percupidos inueniat, faciatque earum potiendarum ostensione, sui adoratores abjectos, & indignos. Circa utramque verò illud etiam quæritur ut difficile, an nempe diabolus vi sua, quâ pollet, arripuerit Christum per aëra de deserto ad templum, & de templo ad montem? an verò non ita; sed tantum eo modo, ut pedibus ambulantem præiverit, & quasi manuduxerit? Neutrum, quantum memini, vidi depictum. Scire tamen quonam modo res contigerit, Pictoris intererit. Non pauci sunt Authores gravissimi, qui rem priori modo contigisse asserant: ut scilicet diabolus Christum Dominum arripuerit per aëra volantem: hujusmodi sunt Hieronymus, Gregorius, Stravus, Authorque Operis imperfecti. Alii verò, ut Origenes & Euthymius, quibus accedunt alii, posteriori modo rem factam existimant, quibus ego libenter accederem, nisi revera obstaret gravissimorum Patrum ratio atque authoritas. Ergo assero; Christum Dominum asportatum à diabolo per aëra perductum, atque volantem. Atque ut ita statuam, ut nuper dicebam, me cogit tantorum Patrum ratio atque authoritas. Authoritas quidem: est enim ingens Hieronymi, (n) Chrysostomi, Gregorii, & quod non postremum est, Divi Thomæ, (o) ut prætercam quod eidem sententiæ subscribunt Beda & Abulensis, (p) aliique passim. Ratio verò: Quia in ipso Evangelii textu expressius omnino dicitur, *Assumpsit eum*; Græcè παρέλαβεν. Quod licet aliquando idem significare soleat, & valeat atque *duxit*, Græcè ἤγαγεν, & hoc modo etiam Lucas se explicuit: tamen expressius est, & utrumque complectitur, quod dicitur *assumpsit*, sive asportavit, vel arripuit. Adde: quod si Dominus de deserto ad templum, & de templo rursus ad montem pedibus ambulans, & sequutus diabolum præeuntem incessisset, aliquot fortasse dies in facto hoc consummi debuissent; quod non nimis, mea quidem sententia, Evangelii textui atque menti conforme videtur. Urgentius denique videtur illud καὶ ἵστησιν αὐτὸν ἐπὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ *Et statuit eum super pinnaculum templi*: Nam si Christus sequutus tantùm esset diabolum præeuntem, potius dicendum esset, quòd in locum illum certè difficilem aditu ipse se ipsum collocasset, quàm quòd eum diabolus statuisset. Neque nimium movent, quæ in contrarium adducuntur, adducivè possunt. Primum, *Non videri verosimile tantum diabolo Christum erga se permisse, ut ab eo deportaretur*, quæ ipsissima verba sunt gravissimi interpretis. (q) Secundum: quòd neque etiam videtur verosimile, ut Christus Dominus permiserit sese à diabolo asportari per aëra, ita ut ab omnibus conspiceretur, quod eventurum erat, si hoc modo fuisset asportatus à diabolo. Non, inquam, movent. Ad primum enim: negari non potest, Gregorium Magnum optime respondisse, dum inquit: (r) *Certè iniquorum omninm caput diabolus est: & hujus capitis membra sunt omnes iniqui. An non diaboli membrum fuit Pilatus? an non diaboli membra Judæi persequentes, & milites crucifigentes Christum fuerunt? Quid ergo mirum, si se ab illo permisit in montem duci, qui se pertulit etiam à membris illius crucifigi?* Ad secundum Doctor Angelicus haud minus bene respondet illis verbis: (s) *Ad septimum dicendum: quod sicut Chrysostomus dicit, diabolus sic Christum assumebat in pinnaculum templi, ut ab omnibus videretur;*

(n) Div. Hier. ad hunc loc. Matth. Chrisost. hom. 5. in Mat. Gregor. hom. 16. in Ev.

(o) D. Th. 3. p. q. 41. art. 4. ad 7

(p) Bed. ad c. 4. Luc. Abul. ad c. 4. Matt. q. 34. & 35.

(q) Mald. ad cap. 4. Matt. n. 5. col. 92.

(r) D. Gregor. hom. 16. in Ev.

(s) Tert. Part. q. 41 art. 4. ad 7.

tur; ipse autem sciente diabolo sic agebat, ut à nemine videretur. Itaque quod ad rem nostram & institutum attinet, sicubi factum hoc oportuerit depingi, cùm certè Christus oculis exhiberi non possit asportatus à diabolo invisibilis; depingendus erit portatus in manibus, aut super humeros dæmonis, quod ex aliquibus refert D. Thomas. (t) Et saltem quatenus ad rem exprimendam spectat, non videtur excogitari improbabiliter. Et hæc quidem sunt, quæ circa hæc quæ exposuimus in titulo Capitis, annotatione atque observatione visa sunt digniora.

CAPUT XI.

OBSERVATIONES ALIÆ, QUÆ MAGIS DIGNÆ ut fiant Pictori videntur circa alia gesta Christi Domini, quę in Evangeliis referuntur.

1 
Ongun esset, neque tantùm longum, sed earumdem sæpè rerum inculcatione molestissimum, persequi minutatim gesta Christi Domini, quæ referuntur in Evangeliis ad erudiendum Christianum Pictorem. Quamobrem satis duximus annotare magis peculiaria, quæ rei gestæ historia & veritas poposcerit: ad eum fermè modum quo descriptores Orbis etiam chorographici, non omnia regionum loca intuentibus repræsentant, sed selectiora, & quę nosse magis ipsorum interest. Igitur ut res hæc, quam modò persequimur exemplis ipsis propositis planior fiat, nonnulla carptim attingemus, alia fusius & magis pro dignitate, cùm id exegerit opportunitas, tractaturi.

2 Itaque in nuptiis, quæ celebratæ sunt in Cana Galilææ, quò Christus ipse vocatus est, Materque ejus sanctissima, pinguntur discipuli Christi admodum plures. Hoc verò facti ipsius veritati non nimis congruit. Tametsi enim evinci & probari non possit, fuisse paucos; certum tamen est, tunc temporis ad ejus discipulatum, quod ex Evangelii verbis constet, non plures esse admissos ex iis qui postmodum ad Apostolatum provecti sunt, quàm tres; nimirum Petrum, Andræam, & Philippum, quibus adjectus est Nathanaël, ab ipso ante Philippo perductus ad Christum. Totum hoc ex Evangelii Ioannis lectione tam apertè constat; (a) ut clare deduci atque ostendi possit. Quare consultius erit paucos depingere, qui cum Christo Domino ejusque Matre Sanctissima ad nuptias illas vocati sunt, ut expressè patet, illis verbis: (b) *Vocatus est autem & Iesus & discipuli ejus ad nuptias.* Neque obstat, quod postmodùm in eodem capite (c) dicatur, quòd propter hoc miraculum crediderunt in eum discipuli ejus: sat enim est ad hoc verificandum, quod discipuli ejus aliquot essent, etiam ex his qui postmodum electi sunt in Apostolos, licet tunc temporis non fuerint plures: miraculum enim per eos qui interfuerant, vulgatum & nuntiatum est aliis. Eadem enim ratione dicitur, Christum Dominum hoc eodem miraculo manifestasse gloriam suam, cùm tamen pauci admodum (ut rectè observarunt Theophylactus & Euthymius) essent qui tamquam testes exactiores testificari possent de miraculo; nempe ministri mensæ: ita enim habet divinum Evangelium: (d) *Gustavit architiclinus aquam vinum factam, & non sciebat unde esset: ministri autem sciebant, qui hauserant aquam. Respondent enim iidem* (verba legis authoris gravissimi. e) *ex illis, nempe ministris, audivisse alios; atque ita miraculum evulgatum, hodieque vulgari authore Joanne: nobis præstat pagina, quod illis gerebat historia, ut ait Ambrosius.* Certè in aliis Christi Domini gestis & itineribus, quæ postmodum facta sunt, cùm jam crevisset nomen ejus, vulgataque esset ejus fama atque authoritas, inconveniens ullum non est, plures cum eo depingere discipulos: sat enim scimus fuisse eos, non tantùm multos, sed & plurimos: adeò ut eorumdem

(a) Ioann. 1.35.

(f) Luc.6.

dem numerus alicubi vocetur turba, ut ex illo constat; (f) *Et turba discipulorum ejus.* Sed in hoc facto, de quo agimus, cùm illud fuerit primum signorum ac miraculorum, quæ missionem ejus, ministeriumque divinum ostenderunt; & contigerit tantùm inter ferè cognatos & propinquos: congruentius (ut dicebamus) est, paucos aliquos tantummodò describere.

3. Quid *hydriæ* sint illę, quæ ibi erant, quasque impleverunt aqua ministri, quæ statim jussu atque imperio Domini in vinum versa est, idque optimum: scio non ignorasse Pictores, etiam ex iis qui audiunt non admodùm docti. Verùm ut res clarior omnibus pateat, dicimus easdem, quantùm conjecturâ assequimur, fuisse deliola ex lapide alabastrino constructa, non ansulata, neque cælaturâ aliqua gravia, sed plana: cujusmodi est illorum, ut fertur, unum quod hodie superest, & ostenditur in Regia Scoriali domo Sancti Laurentii. Non ita omnibus notum est, quid significetur illa voce *architiclinus.* Audivi ab homine alioqui non indocto, esse proprium viri alicujus nomen. Ineptum planè hoc, & risu aliquo potius, quàm ulla refutatione excipiendum. Alii, haud inerudito judicio, censuerunt, architiclinum illum esse, qui recumbebat in capite mensæ, dignior nempe ex concurrentibus, aut invitatis. Qui recumbebat, inquam: nam (ut jam notavimus, ampliusque sumus elucidaturi) veteres, etiam apud Judæos, non mensis assidebant, in sellis, aut scamnis locati; sed corpore, jacentum in morem super lectulos, qui fulcris insistebant, recumbente. Cæterùm hoc quanvis dicatur, aut cogitetur non improbabiliter, rei veritatem non omnino assequitur: quam certè assequetur quisquis cum Severo Antiocheno, in Græcorum Catena, (g) Chrysostomo (h) & Theophilacto dixerit, architiclinum non alium esse, quàm illum, qui præerat convivio; non quidem tamquam dominus, sed tamquam œconomus, ordinans ac disponens omnia, quæ ad convivium pertinebant. Præcipuam autem curam habebat vini, partem suam cuique distribuens, ne quid cuiquam deesset. Is mensæ non accumbebat, sed stabat, & convivium obibat, imperans ministris, quę facto opus erant.

(g) Orat. ...9.
(h) Ad hunc loc.

Idem vina antequam convivis præberentur, prægustabat, animadvertens quod cuique dari oporteret. Uno verbo: rector erat convivii; quem unice respexit Author libri Ecclesiastici, verbis illis: (i) *Rectorem te possuerunt? noli extolli: esto in illis quasi unus ex illis. Curam eorum habe, & sic considera.* Denique qui tali fungebatur officio, non solitus erat accumbere, nisi postquam, finito convivio, officio omni suo perfunctus esset. Quod idem allegatus textus explicuit sequentibus verbis: *Et omni cura tua explicita, recumbe, ut læteris propter illos, & ornamentum gratiæ accipias, coronam & dignationem consequaris corrogationis.* In quibus postremis verbis alia continentur, quæ omnia, sicut & præcedentia, fusius quàm pro more dilucidat sæpe mihi, non sine honoris præfatione nominandus Evangeliorum doctus Interpres, (j) cujus hîc pluscula verba, etiam præter morem nostrum, transcripsimus, quòd judicemus interesse Pictoris eruditi nonnihil exactius nosse, quid rei fuerit id quod denotatur eo nomine *architiclinus.*

(i) Eccli. 32.1.2.3.

(j) Mald ad cap. 2. Ioa. v. 30. col. 1316.

4. Paucis admodum verbis post hoc factum memoratum ab Evangelista refertur illud; quòd Christus Dominus, pecora, columbasque vendentes ejecit è templo, facto quasi flagello de funiculis. En Evangelii verba: (K) *Et invenit in templo vendentes boves, & oves, & columbas, & numularios sedentes. Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque & boves, & numulariorum effudit æs, & mensas subvertit.* Quid sint *numularii* (nam hoc notare fuerit operæpretium) satis discere poteramus ex verbis Hieronymi, (l) qui rem non solùm exponit, sed etiam fusius illustrat. Verùm quia alia tangunt, quæ ad præsens institutum non admodum conducere videntur, brevius exponemus. Itaque numularii illi erant, qui pecunias aliarum nationum permutabant in eas, quæ usui erant apud Judæam & Jerosolymas. Cùm enim solemnitatis Paschalis causa permulti, tam Judæorum, quàm advenarum ex aliis regionibus, præcipuè ex Ægypto, Babylone, aliisque trans Euphratem terris ad templum Jerosolymitanum convenirent: cum nemini eorum liceret adorare Deum sine mu-

(K) Ioan. 2.14.

(l) Ad c. 21. Matt.

nere; & aliàs pecuniæ, quas secum deportabant ad coëmendum victimas redderentur inutiles: accipiebant sub fœnore aliquo pecunias, ad victimas sibi comparandas, quisque pro facultatum modo: ita ut ne pauperibus quidem deessent humiliores victimæ, quales erant turtures, aut columbę. Qui mos pecunias permutandi hodie usitatissimus est in majoribus Europę urbibus, ut Neapoli, Venetiis, atque alibi; non sine aliquo, quanvis modico, ipsorum permutantium & fœnerantium lucro. Atque hi quidem erant illi, quos Evangelista nominat *numularios*.

5. Sed cùm tale factum depingitur, non id committendum est, ut negotia hæc, venditiones, coëmptionesque geri describantur in aliqua templi interiori parte. Non adeò negligentes erant Judæi cultus Deo debiti, ut id fieri permitterent, etiam in Israelitarum atrio: fiebant autem intra ipsum templum, in atrio ipso, quod appellabant Gentium, ad quod solùm Gentilibus, quanvis Deum colentibus, patebat aditus; qui ulterius progredi prohibebantur, etiam sub pœna & periculo capitis. Jam monuimus supra, templum Jerosolymitanum constare atriis sub cælo patentibus: uno, quod vocabant Gentium; altero, quod Israelitarum proprium erat: nec enim aliter perfici poterant tot victimarum mactatio & sacrificia. Ipsa vero atria circumdata erant egregiis hinc inde porticubus, quæ in non modicam altitudinem consurgentes, planis, pro regionis more, tectis & simul ambulacris obtegebantur. Igitur sub his porticibus, quæ circumdabant atrium Gentilium, illa, quæ summatim describit Evangelista, negotia gerebantur. Quæ tamen Christus Dominus Patris sui gloriæ, domusque zelo repletus, geri non sustinuit: quamobrem majestate atque imperio mirabili, uno tantùm armatus flagello, omnes ejecit è templo, illis usus verbis (m) *Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis.* Bonum factum! exclamare hic licet ac libet; sed & mirabile, si quod aliud fuit ex tot tamque insignibus, quę unquam Christus Dominus gessit: adeò, ut Hieronymus, severi judicii vir illud præferre non dubitet majoribus, & magis insignibus. Sed temperare mihi non possum, quin ipsius Maximi Doctoris verba hic transcribam; illustrant enim non parum alia quæ in superioribus diximus. (n) *Mihi*, inquit, *inter omnia signa, quæ fecit, hoc videtur mirabilius esse, quòd unus homo, & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, ut postea crucifigeretur, Scribis & Pharisæis contra se sævientibus, & videntibus lucra sua destrui, potuerit ad unius flagelli verbera, tantam ejicere multitudinem, mensasque subvertere, & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non fecisset exercitus.* Postrema Sancti Doctoris verba, in quibus facti totius rationem assignat, ut accuratè adnotet eruditus Lector, digna profectò sunt, & quæ vel maximè illustrant ea quæ superius diximus, agentes de majestate ac dignitate vultus Christi Domini. * (*Igneum enim quiddam* (concludit) *atque sidereum radiabat ex oculis ejus, & divinitatis majestas lucebat in facie.* Hucusque Hieronymus.

6. Iam quòd Christus Dominus cum Samaritana muliere colloquens describatur, sedens super illam putei partem, aut superstructionem, quæ putei os ipsum claudit; sive hæc rotunda sit, sive quadrangula, & pro munimento deservit, ne homines in puteum labantur, aut pecudes; quam Hispanicè loquentes appellamus *el brocal del pozo*; eò quòd legerint in Evangelio, (o) *Sedebat sic supra fontem*, quæ alioqui verba magnum negotium facessunt magnis Authoribus, teste clarissimo Interprete: (p) Indecorum est, & (quantum opinio mea fert) penè ridiculum, utpote minus congruens dignitati atque gravitati Christi. Melius, ut puto, ab aliis depingitur, sedens juxta puteum ipsum in aliqua petra, quæ juxta puteos, præsertim grandes, ad varios haurientium usus non infrequenter collocatur: eò vel maximè quòd ea sit vis dictionis *supra fontem*, perinde ac si diceret *juxta fontem*: eo fere modo quo in psalmo dicitur, *Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus*: (q) id est, ad illorum ripas, vel juxta illa. Quod autē à plerisque additur, ut cubito innixo super structionem illam, quā descripsimus, caput nonnihil declinatum sustineat; decorum est, & congruens, etiam ipsis verbis Evangelistæ, quibus ait: *Fatigatus ex itinere.* Reliqua, quæ plura sunt, quæ ab Evan-

(m) Ioan. 2. 16.

Evangelista in hoc ipso capite referuntur, expositionem exposcunt, sed quæ instituto nostro non deservit. Itaque hoc unũ hîc annotare placet hoc factum depingentibus: quòd nempe non longè ab illo puteo, juxta quem Christus colloquens cum muliere depingitur, describenda sit urbs Sichimorum: nec enim puteus longè distabat ab eadem: & in alia non admodùm remota distantia, depingendus opportunè erit mons ille celeberrimus *Garizim*, quem dubio procul mulier ipsa Samaritana nutu, ac digito demonstravit, cùm Christo dixit: *Patres nostri in monte hoc adoraverunt*: ipse enim non multum etiam distabat ab urbe *Samaria*.

7 Quòd in curatione illius paralytici, cujus Evangelistæ meminere, (s) dicatur secundum fidem & narrationem Lucæ, *quod non invenientes qua parte illum inferrent pre turba, ascenderunt supra tectum, & per tegulas summiserunt eum cum lecto in medium ante Iesum.* Nonnihil difficultatis inferre videri potest Pictori erudito, utpote quod dissidere videatur ab eo quod docuimus supra. * Diximus enim Iudæorum domos habuisse quidem tecta; at non acuminata & nostris similia, sed plana; ita, ut quandoque pro ambulacris & sub aperto cœlo cœnaculis quandoque deservirent. Cui rei non satis conforme videtur id quod nuperrimè ex Lucæ narratione retulimus: atque adeò non satis constare, quâ id ratione veniat depingendum. Hoc autem non nimis urget, nec explicatu videtur admodum difficile. Dicimus enim, plana quidem fuisse regionum illarum tecta, ut supra docuimus; tabulata nempe, firma prorsus, majorique compaginata molimine, sed quæ terra, calce, aliavè materia contegebantur, ob majores, si quando eos fieri contingeret, imbres: quæ nempè contegumenta usitatiori & notiori vocabulo, tegulas appellavit interpres. Cùmque fieri non posset, ut per scalas, per quas communiter ascendebatur ad tecta, portaretur homo in lectulo jacens, *qui à quatuor portabatur*, ut Marcus inquit, aut per easdem demitti ad inferius domus pavimentum: illorum fide factum est, ut ad id commodè faciendum, tectum ipsum ex parte nudarent, aperirentque quantum opus erat; ut funibus quatuor pendentem ipsum lectulum, in quo homo paralyticus jacebat, sensim demittentes ad usque inferius pavimentum, hominem locarent ante Christum. Quo bene intellecto, nil opus est, ut contra ea quæ supra diximus, dicamus, illarum regionum tecta acuminata fuisse, Europæisque nostris omnino simillima.

(s) Matth. 9.2. Marc. 2.4. Luc. 5.19.

* Cap. ...n.6.

8 Quòd in suscitatione filiæ Archisynagogi, quo nomine nihil aliud significatur, quàm is qui in Synagoga priorem obtinebat locum, & quem *Jairum* nomine proprio nuncupari notavit Marcus: (t) error fuerit, si cum Christo Domino miraculum tantum patrante, ut ad illius vocis imperium puella jam defuncta resurgeret, plures depingantur, quàm ii quos expresè Evangelista Lucas memorat admissos, illis verbis: (u) *Et cùm venisset domum, non permisit intrare secum quemquam, nisi Petrum, & Jacobum, & Joannem, & patrem, & matrem puellæ.* Notissima sunt hæc. Sed Pictores sunt, qui non pro dignitate existiment, Christum Dominum depingi nisi pluribus comitatum discipulis. In eodem verò facto *tibicines*, quorum Matthæus meminit, (x) illi erant, qui ad funera, præsertim potentiorum & divitum, à parentibus, vel à propinquis conducebantur. Sat quippe notum est, morem hunc fuisse Gentilium, ut funera sua non solùm conductis mulieribus lamentatricibus, quas vocabant *præficas*, quæ cantillabant cantiones lugubres, quas nænias vocarunt; sed etiam tibiarum cantoribus, aut tibicinibus prosequerentur. Hinc enim Ovidius, tamquam rei usu receptæ antiquis etiam temporibus, tibiarum & concentuum meminit, cùm dixit: (y)

Cantabat mœstis tibia funeribus.

Mos igitur hic, ut alii plures, à Gentibus ad Hebreos defluxerat: quod hic annotare pro instituti nostri ratione visum mihi est operæpretium. Depingi verò Christum Dominum in casu eodem, manu sua sacratissima puellæ defunctę manum apprehendens: præterquamquod elegans semper esset, ad veritatem rei gestæ vel maximè pertinet, narrante Marco notandam hanc circunstantiam verbis illis: (z) *Et tenens manum puellæ ait illi, &c.*

(t) Marc. 5.22.

(u) Luc. 8.52.

(x) Matth. 9.23.

(y) Ovid. lib. 4. Fastor.

(z) Marc. 5.41.

Ma-

9 Majoris momenti videri potest, quantum etiam attinet ad rationem Picturæ, quòd Centurio ille, cujus filii paralytici sanitatem ipse Centurio, non sine insignis fidei merito, à Christo Domino impetravit; depingatur ad pedes Domini provolutus pro filii salute incolumitateque deprecans. Nam licet Matthæus hoc modo simpliciter rem gestam designet, ut ipse per se ipsum petierit, & annuenti Christo, dicentique, (a) *Ego veniam, & curabo eum*, responderit verba illa planè miranda: *Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum, &c.* tamen Lucas aliter omnino gestam rem scribit, cuius ea sunt verba: (b) *Et cùm audisset*, nempe Centurio, *de Iesu, misit ad eum seniores Judæorum, rogans eum, ut veniret, & salvaret filium eius.* Et paulò inferius: *Et cùm jam non longè esset à domo, misit ad eum Centurio amicos, dicens: Domine, noli vexari; non enim sum dignus ut sub tectum meum intres.* Et presſius verbis, quæ immediatè subjungit: *Propter quod*, inquit, *& me ipsum non sum dignum arbitratus, ut venirem ad te; sed dic verbo, & sanabitur puer meus.* Ex quibus omnibus planè omnino videtur inferri, Centurionem illum cum ipso Christo Domino, non elatione quidem aliqua, sed reverentia summissioneque eximia contentum, ductumque, nunquam cum eodem Christo Domino pro filii sanitate impetranda fuisse colloquutum: sed rem omnino gessisse, non per se, sed per Judæorum seniores, cùm prius misit ad eum deprecandum: sive per amicos privatos ipsius, cùm posterius rogaret, ne laborem subiret ad domum ejus adventandi; eò quòd tanto favore tantaque indulgentia sese reputaret indignum. Quin ad hoc obitet Evangelistæ Matthæi narratio, in qua dicitur, per se ipsum pro filii incolumitate supplicavisse, & per se ipsum etiam suam ipsius indignitatem, ut Christus domum suam intraret, eidem Christo Domino proposuisse. Nam, ut rectè post Parentem Augustinum, (c) aliosque, vidit magni nominis Interpres, (d) „ Accedere dicitur, non solùm qui per se, sed „ etiam qui per alios accedit; ut comparere coram judice, non solùm „ qui per se, sed & qui per procuratorem comparet. Imò quemadmodum qui per alium accedit, accessisse; ita qui per alium respondet, „ respondisse dicitur. Hæc autem omnia hucusque discussimus, eo fine tantùm, ut appareat, quæ in hoc facto sit, aut sanè videatur major rei gestę probabilitas; non ut erroris coarguamus, si quomodo depictum occurrat, ad ipsum Christum Dominum accedens Centurio: hoc autem probabili non tantùm pingi, sed etiam dici & affirmari, ratione potest: Tum quia, ut notavimus, eo modo simpliciter Matthæus rem factam exponit: tùm quia utrumque contigisse propugnant Authores gravissimi; (e) ut scilicet verum sit primò Centurionem seniores Judæorum miserit, postea amicos suos, cùm audivisset Christum adventare: ad extremum autem, ingravescente morbo, per se ipsum accesserit, quod Matthæus exposuit.

(a) Mat. 8. 7. & 8.

(b) Luc. 7. 3.

(c) D. Augustin. de Consensu Evág. lib. 2. c. 10. & lib. 33. cō tra Faust. c. 7. & 8.

(d) Maldonat. ad hunc loc. Matt. col. 182.

10 Haud multò post contigit miraculum illud Christi Domini celeberrimum, quo elatum in feretro filium viduæ revocavit à mortuis. Circa cujus facti picturam (rem enim nostram exequi tantùm hîc curamus) illud adnotare fuerit operæpretium. Malè, imò erroneè omninò depingi rem hanc veluti gestam in alicujus urbis medio: tùm & pręcipuè, quia dissertè hìc pingendi modus opponitur Evangelistæ verbis ita narranti: (f) *Et factum est: deinceps ibat in civitatem, qua vocatur Naim: & ibant cum eo discipuli ejus, & turba copiosa. Cùm autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ: & hęc vidua erat: & turba civitatis multa cum illa.* Ubi luce clarius habetur, id factum, non in urbe, sed extra illam omnino contigisse, & extra illam mortuum efferri, suscitatumque fuisse, cùm Christus Dominus appropinquaret portæ civitatis. Tum etiam: quia quotusquisque est qui nesciat, consuetudinem fuisse vetustissimis moribus, imò legibus ipsis receptam, ut intra urbem cadavera non sepelirentur? Notum id, vulgatumque est lippis etiam, credo, & tonsoribus. Inde enim est quod in vetustis XII. Tabularum legibus cavetur hoc pacto, *Hominem mortuum in urbem ne sepelito, neve urito.* Circa cujus expositionem tot tantaque congerit Antonius Clarius Sylvius Advocatus Parisiensis: (g) ut hic

hìc velle multis exponere, nihil aliud esset quàm ineptire; &, quod plerique facere non verentur, aliorum scrinia parùm verecundis manibus expilare. Hoc unum addam in gratiam eorum, qui hæc, hisque similia nunquam attigerunt, quamquam vulgatissima; quòd scilicet sepulcra, eamdem ob causam plerumque juxta vias publicas, extra urbem collocabantur. Inde enim natum est, quòd Epitaphia viatores alloquebantur; sive ea fierent ex ipsorum mortuorum persona, per figuram quam appelant Rhetorici Prosopopeiam; sive ex cujuscumque alterius: hacque ipsa eadem ratione Juvenalis mortuos designavit eleganti periphrasi, illis verbis; (i)

— Experiar quid concedatur in illos,
Quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina.

(i) Juven. ... 1. in ... vid. ... ibi an ... vet. ... ol. & ... Brit.

Id est; qui jacent mortui juxta vias Flaminiam Latinamque. Et hęc quantum ad exteros. Nam de Judæis, sive Israelitis, æquè notum est, etiam iis qui sacras literas primis labris degustarunt, sepulcra tam nobilium, quàm ignobilium extra urbem consuevisse locari; sive in hortis, sive in agris. Hinc enim est, quòd ipse Iacob Rachelem suam sepelivit juxta Bethlehem; & Samuel Saulem alloquutus, (j) *Cùm abieris*, inquit, *hodie à me, invenies duos viros juxta sepulcrum Rachel in finibus Beniamin.* Et de Josia Rege dicitur: (K) *Et efferri fecit lucum de domo Domini foras Jerusalem in convalle Cedron, & combussit eum ibi, & redegit in pulverem, & projecit super sepulcra vulgi.* Sed quid opus multis? Sepulcrum ipsum Christi Domini, quod gloriosum futurum Propheta prædixerat, non in urbe, sed prope locum ubi Christus fixus cruci fuit, in horto paratum & collocatum erat, ut exacte narrat Evangelium; (l) *Erat autem*, inquiens, *in loco ubi crucifixus est, hortus: & in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat. Ibi ergo &c.* Hucusque divinus Evangelista: ut proinde nil opus sit aliunde emendicatis testimoniis rem patefacere.

(j) ...Reg. ...
(K) ...Reg. 6...
(l) Ioan. ...41.

11 Celeberrimum, mirabileque supra quàm dici potest, miraculum illud est Christi Domini, cùm hominum quinque millia, exceptis etiam mulieribus & parvulis, de quinque panibus, & duobus dumtaxat piscibus saturavit. Hoc autem non eo modo debet pingi, ut hominum confusa & nullo ordine distincta multitudo repræsentetur; quod sæpius videtur descriptum. Quippe non ita fuit; sed, ut Marcus opportunè nos docuit, ordine servato, quem semper Deus etiam in cunctis rebus amat, factum est, ut convivę discumberent. (m) *Et præcepit illis, ut accumbere facerent omnes secundum contubernia super viride fœnum. Et discubuerunt in partes per centenos & quinquagenos.* En sedendi servatum ordinem, & Christi convivarum custoditam opportunè seriem, quam mira elegantia proprietateque ipse Evangelista descripsit. *Secundum contubernia* enim dixit; quod paulisper hic notare non piget, quò magis vel ex hoc loco percipiatur proprietas exactissima locutionis Vulgatæ. *Contubernium* enim, testibus Festo atque Vegetio, (n) verbum est castrense, significans decem milites sub uno papilione tentoriové degentes, quibus præerat decanus, sive decurio, qui caput erat contubernii. Quare factum est, ut eadem vox pro convictu sodalitateque significanda acciperetur: quo sensu Tullius, (o) *Ubi*, inquit, *illud contubernium muliebris militiæ in illo delicatissimo litore.* Quod hodie propriè Hispani appellamus, imò appellant ipsi milites eodem utentes convictu, *el rancho*. Et quod subdit, *per centenos, & quinquagenos*, militiam etiam redolet: quod licèt magna ex parte factum sit propter Apostolorum invitatis inservientium commoditatem; innui etiam, nemo negaverit, Christi erga suos benignitatem ac providentiam, qui, velut Imperator egregius, tam largè commeatus præberet se sequentibus, & veluti sub illius signis militantibus.

(m) Marc. 6. 39. & 40.

(n) Veger. de re militar. lib. 1

(o) Cic. Action. 7. in Verr.

12 Notum deinde est Christi Domini illud mirabile factum, cùm super maris undas, non secus atque super solidum pavimentum, ambulavit haud modico spatio. Constat enim, ut minimum per viginti quinque stadia, seu quod idem est, per id quod nos diceremus, per leucam & dimidiam ambulavisse; quod docet Joannes illis verbis: (p) *Cùm remigassent ergo quasi stadia vigintiquinque, aut triginta, vident Iesum ambulantem supra*

(p) Ioan. 6. 19.

supra mare, &c. In quo quidem facto depingendo duplex error admitti potest, aut certè, si male non memini, admissus est aliquando à non malis pictoribus. Prior est, quòd Jesum Dominum depingunt ambulantem quidem super aquas, sed parùm provectum à litore: quod non satis cohæret cum verbis nuperrimè allegatis. Posterior: quòd depingunt, quasi accideret ingruente nocte, aut paulo post Solis occasum. Hoc enim etiam adversatur Evangelio. Ut enim inquit Sanctus Joannes, *tenebræ jam factæ erant, & non venerat ad eos Iesus.* Imò Matthæus expresè docet, venisse Christum Dominum ad discipulos quarta vigilia noctis, hoc est, tres horas integras, & amplius post dimidiam noctem. En Evangelistæ verba: (q) *Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare. Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: quia phantasma est.* Quare ut juxta veritatem historię depingatur hoc factum, oportebit, ut eo modo quo satis norunt peritiores Artifices, describatur ut nocte gestum, cœloque nubibus turbato, quod congruit Evangelistarum narrationi; Matthæi quidem, qui sic ait, *Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus*; & Joannis, qui sic habet: *Mare autem vento magno flante, exurgebat.*

(q) Matt. 14. 25. & 26.

13 Circa illud verò quo narratur possessi liberatio, qui imperio Christi dęmonum integram legionem evomuit, quos in porcos, ipsis flagitantibus, abire permisit; (r) illud accuratè servandum est, ut non solum porci depingantur miro, imò & horrendo veluti œstro perciti se in mare prę̨cipiti cursu conjicientes, sed & subulcos attonitos, in urbemque fugientes: hoc enim notavit Marcus verbis illis: (s) *Qui autem pascebant eos, fugerunt, & nunciaverunt in civitatem, & in agros.* Nam illud quod aliquos torsit interpretes (ut alios mittam, qui rem non nimis accuratè tractavisse videntur) quo pacto scilicet tam numerosus porcorum grex ad Judæos pertineret, qui porcina carne non vescebantur, imo qui ab illa tantum abhorrebant, teste Porphyrio, ut ne nominare quidem hoc animal auderent; (t) ad Picturam certè non spectat: sed tamen insolutum relinquere nolumus, propter eos saltem, qui hæc nonnihil exactius nosse percupiunt. Dicimus ergo, porcorum gregem non pertinuisse (cujus oppositum non rectè censuerunt nonnulli) ad Judæorum bona, possessionemvè, sed Gentilium: patratum enim est hoc miraculum, cùm Christus Dominus esset in regione Gerasenorum, aut Gadarenorum, ut habetur in Græco Lucæ, quod in idem recidit, & de quo non est hic disputandi aut disserendi locus. Regio autem hæc, quæ in se complectebatur urbem *Gadaram*, unam ex iis, imò & capitalem aliarum novem, quæ simul junctæ efficiebant regionem illam, quæ appellata est *Decapolis*; habitabatur à Gentilibus Syro-Macedonibus, qui nihil mirum est, ut apud se aluerint & paverint porcos. Cui rei nihil obstat quod Christus Dominus, qui de se professus est, venisse ad colligendas oves, quæ perierunt domus Israel; prædicaverit apud ipsos: erant enim harum urbium incolæ, non Gentiles solummodo, sed Judæis commixti; imò ipsi Gentiles & Syro-Macedones multam erga Judæos humanitatem comitatemque passim, & exercebant, & ostentabant, teste Josepho. (u) Quo satis fit probabile, fuisse quodammodo promeritos, ut Christus Dominus, misertus eorum, hominem possessum à tot dæmonibus liberaverit, qui totam circa regionem timore ac terrore perculerat; ut pote qui, ut Marcus narrat, (x) *domicilium habebat in monumentis, & neque catenis jam quisquam poterat eum ligare: quoniam sæpè compedibus & catenis vinctus, dirupisset catenas, & compedes comminuisset, & nemo poterat eum domare, &c.* Sed hæc, ut nuper innuimus, jam transiliunt terminos picturæ. Quæ proinde, sicut & alia pluscula, libenter relinquimus tractanda Evangeliorum doctis interpretibus. Ad hęc enim ferè reducuntur ea quę in his Evangelii narrationibus, nonnullâ, quanvis summatim factâ observatione atque annotatione videntur egere ad institutionem Pictoris eruditi. Alia enim, aut ad institutum nostrum, quod suscepimus, nullo modo attinent, quanvis alioqui fusa enarratione atque commentatione dignissima; aut elucidationem uberiorem exposcunt. Nam quod ad parabolas spectat, per quas

(r) Marc. 5. à v. 1. ad 20. Matt. 8. à v. 28. Luc. 8. à v. 26.

(s) Marc. 5. 14.

(t) Porph. de Abstin. animal.

quas ipsa Veritas Christus Dominus sæpè populos sibi faventes, sæpiusque Pharisæos, apertos nempe hostes, edocuit, longum esset annotare plurima. Quare manum, quod dicitur, amovemus de tabula; hoc tantùm admonere contenti cordatum Pictorem, ut in iis depingendis, præsertim illustrioribus, quales sunt iter-agentis, qui in latrones incidit, (y) filii prodigi, (z) divitis epulonis, * aliæque non paucæ, si quando quod narratur in illis oportebit depingere, id non faciant inconsulta narratione Evangelica, si Latinè sciant; sin minus, libris de Vita Christi, qui non infrequentes habentur etiam in vulgaribus linguis. Quare ad alia jam jam gradum facimus.

(y) Luc. ... à v.25

(z) Ibid. 15. à v.12

*Ibid. 16. à v.19.

CAPUT XII.

DE PICTURIS FEMINÆ PECCATRICIS ungentis pedes Christi Domini, eosdemque lacrymis irrigantis: & quænam hæc fuerit.



1 CUM Christus Dominus versaretur adhuc intra fines inferioris Galilææ (hoc enim ex narrationis serie, & ex aliis non levis momenti rationibus colligitur) sive esset in urbe ipsa appellata Naim, ubi suscitaverat juvenem mortuum, sive in alia ejusdem regionis quacumque: factum est id quod fusè Lucas Evangelista denarrat. (a) Invitatus enim à quodam ex præcipuis de Pharisæorum numero, ut cum illo pranderet, ingressus Pharisæi domum, discubuit. Ibi autem mulier repentè ingressa, quam Evangelista peccatricem appellat, præstitit Jesu ea reverentiæ, amoris, & obsequii signa, quæ Evangelium ipsum fusè narrat, & nemo est, nedum de Pictoribus, sed de Chtistiano populo, qui non noverit. Iam in hoc facto depingendo conveniunt omnes ferè Pictores nostri, sed mendosè omnes (quod illorum pace dictum sit) & præter, ne quid amplius dicam, ipsius rei gestæ, prout narratur ab ipso Evangelista, veritatem. Pingunt enim Christum Dominum in sella aut scamno sedentem, pedibus (quod consequens est) sub ipsa mensa collocatis: deinde feminam ad eosdem pedes provolutam, in soloque prostratam, pedes Jesu unguento, sive aromate perungentem, eosdemque lacrymis suis irrigantem, capillisque abstergentem. Quis hoc non viderit? Certe nemo. Sed quis etiam mediocriter doctus non viderit etiam esse extraneum ab ipsa narratione Evangelistæ? Principiò enim: ab Evangelista ipso non dicitur, quòd Christus Dominus ingressus Pharisæi domum, sedit ad mensam; sed notanter, ut mores ferebant, *discubuit*; quod statim repetit illis verbis: *Ut cognovit quòd accubuisset in domo pharisæi.* Deinde; de femina non dicitur, quòd sese in genua devolverit, aut se prostraverit: sed quòd *steterit*; neque (quod consequens erat, si res facta fuisset ut depingitur) quòd ante ipsum Christum accesserit, è regioneve illius; sed *retrò*: quod totum continetur luce clarius in verbis illis *Stans retro secus pedes ejus*: imò nonnihil significantius contineri videtur hoc in textu Græco, qui sic habet καὶ στᾶσα παρὰ τοὺς πόδας αὐτοῦ ὀπίσω κλαίουσα. Quod sic ad verbum sonat: *Et stans ad pedes ejus retro flens.* Vides jam quot errores in uno tantummodo facto depingendo à pictoribus alioqui doctis, aut non imperitis, admittantur? Videbit certè quisquis non volet spontè cœcutire. At hoc non alia de causa, quàm ea de qua sæpe monui, monemboque fortasse sæpius: nempe ab antiquarum rerum ignoratione, morum, & consuetudinum, quâ pictores sæpe laborant, etiam ii qui cordati solertesque passim & ab omnibus audiunt.

(a) Luc. 7. 36.

2 Igitur in memoriam revocanda sunt ea, quæ neque importuna, neque certè pauca superius adnotavimus * agentes de hoc veterum cænandi prandēdivè more atque ritu. Etenim etsi priscis omnino, vetustissi-

* Sup. l. 1. cap. 9. n. 9 fusè.

stissimisque temporibus, qualia heroica fuere, qui cœnabant, prandebant vè, non accumbentes, sed super sellas scamnavè sedentes, ad mensas accederent, ut more hodie communiter receptum est, præsertim apud Europæos, quod ex Homero constat, cujus Procorum convivium describentis ea sunt verba (b)

b)Hom. 1 Odyss.

At Proci ingressi sunt, qui mox inde superbi
Ordine sederunt scamnis, & ordine thronis:

tamen postea crescente, quod optime vidit Auctor eruditus, (c) balneorum & lotionum usu, cæperunt, non sellis assidentes, aut scamnis cœnare, sed thoris, lectulis vè accumbentes: de quo (ut dicebam) pluscula supra observavi, notavique, quæ proinde inepte facerem, si hic rursus repeterem. Illud est certum, morem hunc sequutos etiam Hebræos fuisse, quem respicientes Evangelistæ, signanter usi sunt verbis discumbendi & recumbendi, quoties Christum Dominum enarrant comedentem. Sic in hoc loco, *Et ingressus in domo Pharisæi discubuit*: sic aliis plurimis, quæ prolixum, tœdiosumque esset recensere. (d) Quo posito; qui ad convivas accedebant, aut ministraturi, aut præstituri quodvis aliud officium, retrò potius accedebant, quàm ante: hoc enim facilius erat atque promptius. Et servi ipsi leguntur assistentes ad comvivarum pedes. Sic Seneca, (e) *Vt primùm*, inquit, *diluxit, servus qui cœnanti ad pedes steterat, narrat quæ inter cœnam ebrius dixisset* Et idem alibi: *Tunc postquam & hæc familia illi comparata est, cœpit convivas suas inquietare. Habebat ad pedes hos, à quibus subinde cùm peteret versus quos referret, sæpè in medio versu excidebat &c.* Atque hoc pacto facillimo negotio intelligitur, quomodo mulier illa, quæ pedes Domini perfudit unguento, retrò accesserit: neque enim aliter aut facile esset, aut omnino poterat. Denique illud quod Evangelista signanter & expresse notavit, rem totam mirificè illustrat, nempe accessisse feminam, unxisse, lavisse, abstersisse pedes Christi Domini, non provolutam in genua, non prostratam solo, sed stantem; *Stans*, inquit, *retro secus pedes Domini*. Quibus verbis non id intelligimus, ut femina illa recta, erectavè obierit munera illa, quæ in Evangelio referuntur: quod opportune notavit sæpè à me laudatus, laudandusque sæpius Interpres: (f) sed quòd pedibus suis consistens, inclinata tamen quantum opus erat, ut exciperet revereretur que Christi super thorum recumbentis puris atque castis osculis plantas, ejusdem Domini pedes unxerit, eosque & lacrymis laverit, & capillis absterserit. Quare si factum hoc pietatis, amoris, reverentiæque plenum erga Christum Dominum modo hoc quem descripsimus, depingatur, rectè fiet: sint minus aliter, ineptè, & quod caput est, contra Fidem & narrationem Evangelii.

(c)Hiero. Merc. de Arte Gymnast. lib. 1. c. 11.

(d)Matth. 9. 10. 26. 7. Marc. 14. 3. Luc 11. 37. & 22. 14. & 24. 30.

(e)Sen. lib 3. de Benefic. c. 27 Epist. 37

3 Atque hactenus quidem de femina illa indistinctè sumpta, & quasi innominata disseruimus, quòd magis instituto nostro planè conducat. Cæterùm quænam ea fuerit, & an eadem cum alia, sive potius cum aliis, cujus, vel quarum gesta in Evangeliis narrari videntur, res est quæ, & olim magnos divisit interpretes, & his postremis seculis agitata est ab aliis, ingenti animorum contentione, & magnis hinc inde moliminibus. Poterat sanè hæc disputatio à nobis aliud diversum, ut videtur, agentibus omnino prçteriri. Verum quia & Picturam non parùm adjuvat, dicere hic quod ingenuè sentio nihil prohibet. Atque in primis ægrè non fero, quòd viri docti, quorum unusquisque, ut Apostolus ait, tutum est ut in suo sensu abundet, qui Ecclesiæ decretis ac difinitionibus non obster; has similesque lites exagitent, & de his pro suo quisque captu atque judicio sententiam ferat, præsertim cùm in re hac, de qua agimus, diversç etiam fuerint antiquorum Patrum sententiç. Displicet tamen quòd nonnulli ita suis placitis adhçrent, ut adversas sibi, & fortè probabiliores sententias amplectentes, naso traducant, illosque despiciant, veluti homines qui nihil prorsus supra vulgus sapiant.

4 Igitur, ut decidamus, non aliunde, quàm ex ipsis Evangeliis, quænam fuerit mulier illa peccatrix, quæ Christi Domini, adhuc in Galilçea consistentis, pedes unguento unxerit, & lacrymis laverit; oportet ut alia ejusdem Christi gesta brevius per-

percurramus. Itaque dum Christus eamdem Meridionalis Galilææ regionem peragraret, contigit ut à femina quadam pia atque honesta, nomine Martha, cui soror erat nomine Maria, exciperetur hospitio. *Factum est autem*, inquit Sanctus Lucas (g) *dum irent, & ipse intravit in quoddam castellum: & mulier quędam Martha nomine excepit illum in domum suam: & huic erat soror nomine Maria, &c.* Ergo dicimus hanc sororem Marthæ, Mariam nomine, hanc ipsam, seu, ut vetusto more loquamur, ipsissimam, eamdem esse cum ea, quam Evangelium mulierem peccatricem appellat, & quæ Domini pedes in domo Pharisæi, qui eumdem invitaverat, unguento unxit, & lacrymis lavit. Quod ut clarius percipiatur, hæc paucis accipe. Primùm, quòd ambę hæ feminę, nempe Martha atque Maria, Christo Domino charæ ac familiares, non erant incolæ regionis ac ditionis Judææ, sed Galilææ Meridionalis, quæ non longe sita erat à finibus Samariæ: neque in Iudæa ipsa commoratæ sunt, nisi haud multis mensibus ante Passionem Christi Domini, ut postea magis elucidabimus. Secundum: quòd vicus ille, aut oppidum, seu, ut transtulit vulgatus Interpres, castellum, Græcè εἰς κώμην τινά, hæc enim omnia in idem recidunt; non erat in ditione Judææ, sed in Tetrarchia Galilææ prope torrentem Cison, ut tenent peritiores Geographi, harumque rerum eximiè periti: (h) imo castellum illud, testibus iisdem, aliisque, inter quos est Sanctus Hieronymus, (i) vocatum est *Magdalum*, à quo terminatione Græca cognominata est Maria Magdalene, aut Magdalena. Tertium illud est: quòd factum illud unctionis pedum Christi Domini per mulierem præstitæ peccatricem, non in Judæa contigit, sed in Galilæa, in uno regionis illius oppido; sive id fuerit ipsa urbs vocata Naim, sive aliud quodlibet. Hoc satis disserte constat ex ipsa serie narrationis Evangelicę. Neque id negant Auctores docti, qui feminas hasce distinguunt: imò vel in hoc pręcipue fundantur, ut unam ab alia secernant. Denique id prę oculis habendum est, id quod Lucas omnino immediate post narrationem unctionis pedum Christi Domini, quam eidem præstitit mulier vocata à sacro historiographo peccatrix; idem Evangelista subjungit: Sed audiantur ipsa ejusdem verba, quanvis paulò longiora; ea enim mirum in modum favent sententiæ, quam putamus omnino veriorem: sic enim habent: (j) *Et factum est deinceps, & ipse iter faciebat per civitates, & castella prædicans, & evangelizans regnum Dei: & duodecim cum illo, & mulieres aliquæ, quę erant curatæ à spiritibus malignis, & infirmitatibus, Maria quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant, & Ioanna uxor Chusę procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.* Ecce in his verbis, in quibus à sacro Historico narrantur nomina feminarum, quæ Christum Dominum comitabantur, eidemque atque suis de propriis facultatibus (namque non erant de plebe infima, sed nobiles, satisque divites) suppeditabant quę necessaria videbantur, agmen ducat Maria, quę vocata est Magdalene; id est, de castro ipso, vico, aut castello Magdalon, ex quo ipsa cognomen accepit: in quod castellum (ut explicuimus, & sumus amplius explicaturi) ingressus est Christus Dominus, cùm in regionem Judææ rectâ contenderet: Ea igitur erat, non alia quàm soror Marthæ: eamdem verò fuisse peccatricem, quę in domo Pharisęi nomine Simonis Christi pedes unxerat, lacrymisque laverat, jam in dictis nonnihil apparet.

5 Verùm quò clarius appareat & evidentius, recolenda sunt quæ Ioannes enarrat illis verbis: (K) *Erat autem quidam languens Lazarus à Bethania, de castello Mariæ & Marthę sororis ejus.* Hæc verba, quam explicationem suscipiant, imò exposcant, postea videbimus. Expendamus nunc immediatè sequentia: *Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes ejus capillis suis, cujus frater Lazarus infirmabatur.* En exactam descriptionem Marię sororis Marthæ atque Lazari; scilicet, quod ea fuerit, & non alia, quæ pedes Domini unxit unguento, & extersit capillis suis. Ubi Ioannes Evangelista, qui nunquam antea tale factum narraverat, aut descripserat, ad illud quod descriptum narratumque est à Luca evidentissimè respexit, ut disserte juxta atque eleganter statuit Parens Augustinus in Evangelistarum

(g) [Lu]c. 10

(h) [B]urca. [Cas]telius [Lex.] icom. ...Re... ...us, ...ue ...m. (i) [S.] Hie. Epist. ...a ad He... ...m. q.

(j) Luc. 8. à v. 1.

(K) Ioan. 11. 1.

Concordia, ubi post multa lectu dignissima, & post allegata hæc eadem verba, (l) *Hoc dicens*, inquit, *Ioannes attestatur Lucę, qui hoc in domo pharisæi cujusdam Simonis factum esse narravit. Iam itaque hoc Maria fecerat, &c.* Imò ego, si nonnihil licet amplius conjicere, id addo, non sine vi significationis usum esse Magnum Parentem dictione illa *fecerat*, significans rem, quę jam ante aliquo tempore, scilicet plusquam anno integro, ut videbimus, contingerat. Quod etiam aliquo modo conjici potest ex verbo quo usus est Evangelista in textu originali, qui sic habet ἦν δὲ μαρία ἡ ἀλείψασα τὸν κύριον μύρῳ quæ verba ita ad verbum reddi posse non ineptè, nemo est qui negaverit, pręsertim cùm ita verterit Auctor notissimus, atque gravissimus, (m) *Erat autem Maria, quę unxerat Dominum unguento*: quippe τὸ ἀλείψασα participium est primi Aoristi verbi ἀλείφω, quod proinde non incongrue reddi potest per circumlocutionem hanc, *quę unxerat*, quod dissertè facit versio Arabica: hęc enim vis est Aoristi, ut licet tempus indeterminatum significet, nec satis indicet, an res multo vel paulò ante facta sit, frequentius tamen denotat tempus jamjā elapsum, mora aliqua notabili interposita. Sed de hoc alii judicent: mihi enim notatiunculā hanc indicasse sat est. Illud interim accurate annotare hic operæpretium est, quòd, ut vidit sæpè laudatus Author & Interpres, (n) omnia argumenta, etsi multa sunt, quibus plures mulieres fuisse probatur; seu, quod idem est, diversam esse eam, quę apud Lucam exprimitur, ab ea cujus hic Ioannes meminit; minus quàm hoc vnum habet ponderis, ad probandum non esse distinctas, sed eamdem. Fixum ergo maneat ac constans, Mariam sororem Marthę, unam atque eamdem esse cum illa, quę, prout à Luca narratur, Domini pedes unguento unxit, lacrymisque lavit. Cumque eamdem sororem Marthæ esse illam, quæ appellatur in Evangelio Maria Magdalene & jam probaverimus, & simus amplius elucidaturi: fit consequens, non tres, neque duas etiam, sed unam, atque omnino eamdem fuisse, & feminam, quæ in domo Simonis Pharisęi Domini pedes unxit, & quę appellatur Maria Magdalene Dominum sequuta à Galilęa, & eidem de suis facultatibus ministrans.

(l) D. Aug de Conc. Evang. l. 2.c.79.

(m) J. Mald. ad c.11 Ioan. col. 1647.n.6.

(n) Mald. ad cap.26 Matt. col. 547.

6 Clariora, & satis, ut putamus, perspicua fient hęc, si per prius difficultates, quę contra dicta possunt solentque objici, diluantur. Prima quidem visa pluribus insuperabilis, illa est: Quòd pœnitens femina, de qua Lucas meminit, dissertè & simpliciter peccatrix ab Evangelista appellatur: neque id solùm, sed cum quodam etiam malè, & in omnium auribus sparso rumore famæ; seu, ut communiter loquimur, non sine omnium offensionę, atque scandalo. Hæc enim omnia satis indicant illa verba: (o) *Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix.* Quod ipse Pharisæus etiam apud se tacitus reprehendit, dum inquit (p) *Hic si esset propheta, sciret utique quæ & qualis est mulier quæ tangit eum: quia peccatrix est*: quodque caput est, ipse Christus Dominus rem expressit; imo si dici licet, exaggeravit illis verbis: (q) *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Contra verò soror Marthæ, in cujus domum Dominus introivit, sancta, innocens, pia, probis, probatisque omnino moribus describitur: sive enim in ipsa sua domo, in qua Christus Dominus introivit, eam consideres, ad pedes Domini sedentem inspicies, excipientemque, non solum auribus, sed & corde, æternę vitę verba; laudatam ob id ab ipso Christo Domino, quòd meliorem partem elegerit: sive in domo fratris sui Lazari, invenies dilectam à Christo, qui certè justos & sanctos dilectione sua facit & indicat; quod exprimit Joannes illis verbis: (r) *Diligebat autem Iesus Martham & sororem ejus Mariam, & Lazarum*: & ipsam procidentem ad pedes Domini, (s) eosque etiam unguento pretiosissimo perungentem. (t) His moribus, hisque signis Mariam sororem Marthæ quivis agnoscet: propter quæ tam longè abest ab eo, ut putari possit una atque eadem cum peccatrice, ut non defuerint qui eam putaverint virginem: inter quos (quod mihi aliquando de his rebus agenti objecit vir impensè doctus) est Sanctus Methodius, vetus, pius, atque eruditus Author in paucis.

7 Difficultatem hanc non esse exigui ponderis, ultro fatemur: sed non

non eam propter, quam debeat; aut possit quisquam à sensu, saltem tacito, Latinæ Ecclesiæ, per tot secula recepto, discedere: quæ & peccatricem & sororem Marthę unà atque eadem solemnitate concelebrans, unam videtur censuisse atque eamdem. Certè quidam, atque hi Authores non infimi subsellii, putant à difficultate hac se facilè expeditos, asserentes, Mariam sororem Marthę dictam fuisse ab Evangelista peccatricem; quòd ante ejus conversionem & lacrymas addicta fuerit pompis seculi, cultui corporis, superfluitati vestium, ornamentorumque, ludo, cupediis, aliisque id genus vanitatibus. Neque mirum, inquiunt, quòd propter hæc appellata sit in Scriptura peccatrix, propter quæ eadem Dominus Jerosolimitanis olim, nobilioribusque ejusdem urbis feminis, teste Isaia, (u) comminatus est acerba atque gravia supplicia. Ego vero, cui magis, ut decet, cordi est honor gloriaque Christi, quàm fama mulieris, quanvis postmodum sanctæ atque piisimæ; aliter omnino sentio. Quocirca duo assero. Primum quidem, non fuisse peccatricem illam, vulgò prostitutam, ut consueverunt esse meretrices: hoc enim cum ejusdem nobilitate generis, & divitiis repugnare autumo; præsertim cùm ad tantam infamiam verba non cogant Evangelii: fuisse tamen parum castè sobrieque viventem, admisisseque (præter nuper relata, quę sæpius comitantur incontinentiam) minus pudico aliquo contubernio id, quod satis superque fuit, ut de ea diceret Dominus, *Remittuntur ei peccata multa*: & ob quod rumore, ut solet, in vulgus sparso, audiverit ab Evangelista *peccatrix*. Non tamen propterea censendum est, feminam fuisse aliam à sorore Marthæ, quin contrarium suadeant ea omnia, quæ de hujus sanctitate, pietateque in Christum exposuimus supra: Ea enim tantummodo convincunt, non quidem fuisse aliam à peccatrice, quantum attinet ad identitatem personæ: sed post conversionem ejus tam fervidam, tamque sinceram, fuisse moribus atque virtutibus ab ea quæ fuerat ante, longè diversam. Quam difficultatis solutionem rejiciet nemo, modo cordatus sit atque pius: neque adeò tenaciter insistet in morum ac virtutum diversitate; quasi frustra petierit Regius Vates ac pœnitens, dum illis verbis precatus est, sui ipsius ad meliora mutationem efflagitans: (x) *Cor mundum crea in me, Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis.* Quod si talis tantusque scriptor, qualis est Methodius, existimavit Mariam sororem Marthæ tam caste pureque vixisse semper, ut virgo permanserit; quid dicemus? Dicimus certè, viros sanctos eximieque pios, ut proni sunt ad judicandum censendumque meliora, non solùm de iis qui pietate commendantur, sed de aliis quibuscumque; id planè existimasse, perspectis tot amoris & reverentiæ signis erga Christum Dominum, de Maria sorore Marthæ: quam proinde putavit à peccatrice illa, non tantum moribus & virtutibus, sed persona etiam fuisse diversam.

(u) Isai. 3. 16. ad

(x) Psalm. 50.

8 Deinde opponitur adversus nostram veteremque sententiam, aut opponi potest, in hunc modum. Femina illa peccatrix quæ Dominum unxit, Galilæa erat, ut multis argumentis conjici, imo & convinci potest: quod idem affirmare est promptum de Maria illa cognominata Magdalene, quæ Dominum à Galilæa sequuta est usque Jerosolymam. Et ut demus pro nunc, hanc cum peccatrice fuisse unam atque eamdem; certè Galilæa, hoc est, è regione Galilææ fuit, & non Judæa, sive de ditione Judææ regionis, à Romanis jam tunc in formam provinciæ redactæ atque possessæ. Atqui Maria soror Marthę, quemadmodum & Martha ipsa, non feminæ Galilææ erant, sed Judææ, ut communiter tenetur & asseritur: Ergo non una fuit Maria soror Marthæ cum Maria Magdalene, aut cum femina peccatrice. Nego minorem; ut nonnihil indulgeamus Scholæ genio: quam non facile probaturus est quisquam eruditorum (quantumlibet potius supponatur, quàm probetur) qui Evangelica gesta percurrunt minus diligenter atque accuratè. Jam supra docuimus, Martham & sororem ejus Mariam esse habitatrices, imò fortasse aliquo jure dominii prędita s, vici, oppiduli, aut castelli *Magdalon*, à quo Mariæ cognomen inditum est, ut distingueretur ab aliis pluribus Mariæ nomine appellatis: insuper & hoc esse vicum, castrum, aut castel-

castellum illud, in quod Dominus introivit, cùm ab Evangelista narratur à Martha sorore majore natu exceptus hospitio. Hoc verò oppidum sive castellum situm esse, non in Judæa, sed in Galilęa, firma constansque est Geographorum atque Interpretum opinio. Et meritò quidem, cùm ejusdem oppidi sub nomine *Mageddo* fiat mentio in sacra Scriptura; (y) imò etiam in novo Testamento mentio ejusdem oppidi est: ubi tamen loco Mageddo Vulgata nostra ex D. Hieronymo habent *Magedam.* (z) Ipsum autem oppidum, quod à D. Hieronymo loco allegato supra * appellatum est *Magdalon*, situm fuisse in Galilæa Meridionali è regione Samariæ propè torrentem Cison; res est quæ jam habetur, haberique debet extra dubii aleam. Tam longè abest ut verum sit, Martham sororemque ejus Mariam fuisse Judææ regionis incolas, ab eavè oriundas, & non potius Galilææ, ut jam statuimus.

(y) Jos. 17. 11. 4. Regum 23. 29. 30.
(z) Matt. 15. 39.
* Supr. n. 4.

9 At instabit quisquam, & contendet verbis illis Joannis: (a) *Erat autem quidam languens Lazarus à Bethania de castello Mariæ & Marthæ sororis ejus.* At Bethania, quæ dissertè appellatur castellum Marthæ & Mariæ, non in regione Galilææ erat, sed Judææ, utpote quę ab ipsa Jerosolyma non plus distabat quàm quindecim stadiis, ut de fide est, & constat illis Joannis verbis: (b) *Erat autem Bethania juxta Jerosolymam quasi stadiis quindecim*: quindecim autem stadia nostratem leucam, eamque non longam, efficiunt; sive, ut exactius loquamur; tres tantùm ex quatuor partibus leucæ. Corruunt ergo, ut videtur, hucusque dicta: ut proinde Martha Mariaque ejus soror, non Galilææ censendæ sint, sed Judææ; atque adeo Maria soror Marthę non eadem aut cum peccatrice, aut cum illa (si diversę sint) quę appellata est Magdalene. En argumentum, quod fefellit, judice me, interpretes etiam primi subsellii, quantumlibet illorum aliqui sentiant & tueantur nostram & veterem sententiam, neque Mariam sororem Marthæ à Magdalena vel à peccatrice femina distinguant. Putarunt enim verbis nuper relatis adducti, castellum proprium Marthę, sororisque ejusdem Mariæ non aliud fuisse quàm Bethaniam; & illud esse, in quod, referente Luca, intravit Christus Dominus, cùm ibi exceptus est à duabus sororibus convivio. Quod sibi persuadere nituntur ex eo quod Lucas narrat, id factum esse, cùm Christus Dominus cum suis iret; ut verbis illis dicitur: (c) *Factum est autem dum irent, & ipse intravit in quoddam castellum: & mulier quædam Martha nomine, &c.* Quod quidem interpretantur, dum jamjam in regione Judææ consistens appropinquaret Jerosolymam. Discussione tamen nonnulla & judicio, ut hæc enodentur, opus est.

(a) Ioan. 11. 1.
(b) Ibid. v. 18.

10 Igitur fatemur ultro quod verissimum est, Martham nempe cum sorore Maria, fratreque Lazaro habitavisse prope Jerosolymam in Bethania: imò ibidem contigisse Lazari exsuscitationem à mortuis, & posteriorem unctionem, quam Christo Domino Maria soror ejus exhibuit; & alia quæ referuntur ab Evangelistis. Dicimus tamen, hoc solum contigisse haud multis ante Christi Domini Passionem mensibus; cùm scilicet tam Martha, quàm Maria, Lazarusque ipse, imo fortè etiam Pharisæus ille nomine Simon, qui Dominum invitaverat, in Galilæa adhuc commorantem & prædicantem, & ad cujus mensam unxit Dominum femina peccatrix. Nam cum constet, feminas aliquot divites atque nobiles sequutas esse Dominum, cùm ipse, relicta Galilæa, ad illamque amplius non reversurus, in Judęam commigravit, adscenditque Jerosolymam; inter quas priori loco nominatur Maria Magdalene: his non immeritò adnumeramus Martham etiam sororem ejus, in cujus domum (quæ erat in vico appellato Magdalon, qui dubio procul existebat, non in Judęa, sed in Galilęa Meridionali, non longè à torrente Cison) Dominus pertransiens introivit, ut narratur à Luca loco jam pręnotato. Atque hoc quidem, & non aliud, significare voluit Evangelista, dicens: *Factum est autem dum irent, & ipse intravit in quoddam castellum, &c.* nempe, dum exirent à Galilææ finibus, Judęam ingressuri; non dum jam Judęam ingressi accederent prope Jerosolymam. Neque rursus obest quòd Bethania appellari videatur castellum *Mariæ & Marthæ sororis ejus*: dictum enim ita est; non quòd illud ad illas spe-

(c) ... [margin cut off] ... Ioa... 47
)Ma... 6. Marc. v. 3.

ſpeciali titulo pertineret; neque rurſus, quòd ibidem diutius, ſed pro illa temporis circunſtantia habitaret. Quare verba illa potius (quantùm opinor) denotare volunt, Lazarum, qui ægrotabat in Bethania, originem ducere à caſtello Marię & Marthę ſororis ejus: idque præſertim cùm jam probaverimus, ſorores has manſione diuturna potius in Galilęa quàm in Judęa habitaviſſe. Quę omnia ex pauculis, quę dicenda reſtant, amplius eluceſcent.

11 Verùm antequam diſcedamus à Bethania, probemus & confirmemus amplius ex iis ipſis rebus, quæ Bethaniæ ſunt geſta, Mariam ſororem Lazari atque Marthæ non aliam eſſe à Maria appellata Magdalene, imo & ab ipſa muliere peccatrice. Hoc poſtremum jam prętititimusprementes illa Evangelii verba, *Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, & exterſit pedes ejus capillis ſuis.* Quę quidem ad unctionem illam referri factam in Galilęa à muliere peccatrice, ſat probavimus, non ſolùm ex Parente Auguſtino, ſed ex verborum Evangeliſtæ energia modo & ſignificatione loquendi. Quod enim hîc loquutus fuerit Joannes per Prolepſim, ſive anticipationem, ſeſe referens ad unctionem, quę Chriſto Domino exhibita eſt per ipſam Mariam, Lazari Marthæque ſororem, poſt ipſius Lazari reſurrectionem, &, ut exactius annotavit Evangeliſta, (d) *ante ſex dies Paſchæ*; etſi non deſint graves Authores qui ita exponant: tamen quia placet omnibus ferè hęreticorum interpretibus, meritò diſplicet interpreti Catholico, atque cum primis erudito. (e) Itaque Maria ſoror Lazari atque Marthę non ſemel tantùm, ſed bis Chriſtum Dominum unxit: primùm quidem in Galilæa, deinde iterum in Judęa in oppido Bethania, quò Chriſtum Dominum cum ſorore & fratre ſequuta ſe contulerat: primò quidem affectibus ducta pœnitentibus, deinde ardoribus reverentiæ, charitatis, amoriſque eximii. Quocirca in hac poſteriori occaſione (quanvis id etiam fortè contigerit in prima) diſſertè refertur, quòd non ſolùm unxerit Chriſti pedes, ut narratur à Joanne, ſed quod & caput unxerit, ut refertur à Matthęo & Marco, (f) quod animæ jam charitate amoreque exardentis eſt.

(d) Ioan. …

(e) Mald. …n.c. col. …n.6

(f) Matth. …14.

Verùm ſi placet, amplius & conſideratius inſpiciamus, quò veritas clarius innoteſcat. Cùm Maria ſoror Marthæ in ipſius Lazari domo, nempe in Bethania, pedes, caputque Domini perfudiſſet unguento, & id indigne ferret peſſimus ille latro, qui adhuc latebat ſub nomine Apoſtoli ac diſcipuli; Chriſtus converſus ad ſuos, eoſdem in hunc modum admonuit: (g) *Quid moleſti eſtis huic mulieri? opus enim bonum operata eſt in me.* Et poſt pauca: *Mittens enim hæc unguentum in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit.* Quod iiſdem ferè verbis narravit Marcus: (h) *Quod habuit hæc, fecit: prævenit ungere corpus meum in ſepulturam.* Nunc rogo, ſcire deſiderans horum verborum rectam & ſinceram intelligentiam (multum enim continent prophetiæ, prædictioniſque futurorum) quid illa ſibi velint, quibuſvè aliis dilucidè exponantur? His ferme: Quid in hac femina videtis, ob quod indignamini? Quid ejus charitatem, atque erga me obſervantiam reprehenditis? Non ſuperflui ſumtus hîc impenduntur; ſueta & neceſſaria prorſus res agitur. Hæc ipſa, quam videtis, mulier non multis poſt diebus corpus meum aromatibus, atque unguentis, ut mos fert patrius, condire atque inungere percupiet: ſed id munus ut præſtet exhibeatque, non dabitur amanti. Exhibuit ergo quantum potuit, aut quantum in ſe fuit: ac denique (utamur jam Evangeliſtæ verbis) *quod habuit hæc, fecit: prævenit ungere corpus meum in ſepulturam.* Nonne ita aptè intelliguntur atque exponuntur verba? Ita planè, ſuclamantibus Eccleſię Patribus, ſacriſque interpretibus. Hæc Chriſtus diſſertè de Maria ſorore Lazari, atque Marthæ. Ita enim nos docuit Evangeliſta Ioannes, qui illam expreſſe nominavit, (i) apud quem ea verba ſupra expoſitis adduntur; *ſinite illam, ut in diem ſepulturę meæ ſervet illud.*

(g) Matt. 26.10.

(h) Marc. 14.8.

(i) Ioann. 12.3.

12 Iam videamus quænam ea fuerit femina, vel quæ Maria, quæ ſtudio mirifico affecta ungendi corpus Domini, id extremę pietatis officium præſtare Chriſto Domino defuncto enixè cupiit; ſed tamen præventa glorioſa ejus Reſurrectione, non potuit? Certè non alia, quàm Maria, quam vocabant Magdalenam. Hæc enim

enim aliarum ductrix, caputque fuit. Sed audiantur Evangelistarum verba, quæ non pigebit hìc transcribere; iis enim perlectis collatisque adinvicem, nullus, opinor, erit qui rem dubitet. Matthæus, post descriptionem sepulturæ Domini, hæc capite sequenti subjungit. (j) *Vespere autem Sabbati, quę lucescit in prima Sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum*: sed magis dissertè Marcus; cùm enarrasset Domini sepulturam, hęc subjungit: (K) *Maria autem Magdalene, & Maria Ioseph aspiciebant ubi poneretur.* Quibus hęc adnectit: (l) *Et cum transisset Sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Iesum, &c.* Lucas rem totam gestam fuisse describens: (m) *Subsecutæ* (inquit) *mulieres, quæ cum eo venerant de Galilęa, viderunt monumentum, & quemadmodum positum erat corpus ejus. Et revertentes, paraverunt aromata, & unguenta: & Sabbato quidem siluerunt secundum mandatum.* Quam rem fusius enarrare persistens, (n) *Una autem*, inquit, *Sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes, quæ paraverant aromata, &c.* Ne verò quæ essent, aut quæ illarum omnium piissima ductrix poneretur in dubio, paulo infra subjungit: (o) *Erat autem Maria Magdalene & Joanna* (nempe uxor Chusæ procuratoris Herodis, de qua supra dixerat) *& Maria Iacobi, & ceteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hęc, &c.* Denique Ioannes hanc solam, utpote ceteris illustriorem, & à se insigni supra encomio commendatam, tùm quòd ipsa cum sorore miserit ad Dominum deprecans pro Lazaro fratre; tùm quòd eumdem Dominum unxerit, jam Lazaro à mortuis excitato: Hanc solam, inquam, proprio vocans nomine, sic habet: (p) *Una autem Sabbati Maria Magdalene venit mane, cùm adhuc tenebrę essent, ad monumentum.* Et cetera, quæ legat, obsecro, quamquam sæpè perlegerit, pius lector atque eruditus: spero enim futurum, ut nobiscum sentiat, modò non sit nimium prævento atque occupato judicio. Sed libemus aliqua. Ita enim habet: (q) *Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos. Maria autem* (ecce illam appellatam sine cognomine, utpote Apostolis omnibus notissimam) *stabat ad monumentum foris plorans &c.* Et post nonnulla: *Dicit ei Iesus: Maria. Conversa illa dicit ei &c.* Concludit verò rem totam verbis illis: *Venit Maria Magdalene annuntians discipulis: quia vidi Dominum.* Aut ego cœcus sum, aut in his omnibus Evangelicis narrationibus non alia Mariæ Magdalenæ nomine, tam ardenti studio perungere Corpus emortuum Domini cupientis, denotatur, & veluti digito commõstratur, quàm Maria soror Lazari, quę in Bethania Dominum viventem unxerat; (r) quæque damnato ad mortem Domino, non otiosa domi sedit, sed cucurrit, aut advolavit potius, eidem præstitura quidquid obsequii & reverentiæ suadebat amor atque charitas: ut proinde ipsa, & non alia, fuerit quæ Mariæ Magdalenæ nomine Cruci adstitit, (s) & quæsivit postmodum studiosa sepulcrum. Quod totum eleganter juxtà atque piè Hymnus ille complectitur:

> *Adstare non timet Cruci,*
> *Sepulcro inhęret anxia,*
> *Truces nec horret milites:*
> *Pellit timorem charitas.*

Denique ne multis. Hæc eadem Maria Magdalena est, quæ Domino cupiens enixè exhibere unctionis officium, quod mortuis præstabatur, cùm Dominum adhuc viventem perunxisset, audiverat: *Quod habuit hæc, fecit: prævenit ungere corpus meum in sepulturam.*

13 Satis hæc esse poterant ad probandum, non aliam esse Mariam Magdalenam à Maria sorore Marthæ, neque rursus hanc à femina illa celebri, vocata ab Evangelista peccatrice, ut conati sumus ostendere. Sed adjiciamus paucula. Cum Maria soror Marthæ unctionis peregisset officium, ad ea verba, quæ jam diutius expendimus addidit Christus: (t) *Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur & quòd hæc fecit in memoriam ejus.* Quod etiam retulit Marcus iisdem ferè verbis. (u) Sic arguo: In Ecclesia Catholica Romana, quæ vel totum complectitur Universum, vel certè maxima pars est universi mundi, de quo fit mentio in Evangelio, non narratur, dicitur, & prædicatur, non ab annis paucis, non ab aliquot secu-

(j) Matth. 28. à v. 1.
K) Marc. 15. 47.
(l) Ibid. 16. 1.
(m) Luc. 23. 55.
(n) Ibid. 24. 1.
(o) Ibid. v. 10. c. 8. v. 3.
(p) Ioann. 20. 1.
(q) Ibid. à v. 10.

lis, sed planè à multis (ut prædixit Christus) hoc factum. Sed qualiter, aut quomodo? profectò non aliter neque alio, quàm ut de una atque eadem dumtaxat femina intelligatur, celebreturque, quòd eadem fuerit, etquæ peccatrix unxit pedes Domini unguento, lavitque lacrymis, eadem soror Marthæ, cujus precibus exoratus Dominus, quatriduo jam in monumento jacentem Lazarum suscitavit: quæque etiam eadem unxit Dominum passioni proximum: & denique quæ cognominata Magdalena Dominum jam de morte triumphantem prima, excepta Sacra Deipara, viderit. Quod totum ita contingere, facillimum probare erat ex Officio Ecclesiastico, quod quotannis habemus ad diem Julii vigesimam secundam. Quod argumentum magni ponderis (si quid ego judico) debet esse cuivis ingenio, judicioque pio, cordato, sobrieque sapienti.

14 Sed removeamus adhuc, quandoquidem ita placet, vel leviores scrupulos. De Maria, quæ appellatur Magdalena, refertur ab Evangelistis quod obsessa fuerit à septem dęmonibus: sic enim habet Lucas numerans eas feminas, quæ secutæ sunt Dominum à Galilæa: (x) *Mulieres*, inquit, *aliquæ, quæ erant curatæ à spiritibus malignis, & infirmitatibus: Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant, & Ioanna &c.* Et Marcus, Christi apparitionem enarrans, quâ se videndum prębuit Mariæ cognominatæ Magdalene; (y) *Apparuit*, inquit, *primò Marię Magdalenæ, de qua ejecerat septem dæmonia.* Atqui hoc, licet utcumque intelligi possit de femina illa peccatrice, illique adaptari; sive quòd septem dæmoniorum nomine denotare voluerit Evangelista septem vitia capitalia, ut dissertè docet, nobiscum omnino sentiens, Gregorius sanctitate & cognomine Magnus illis verbis: (z) *Hanc, quam Lucas peccatricem mulierem, Ioannes Mariam nominat, illam esse Mariam credimus, de qua Marcus septem dæmonia ejecta fuisse testatur. Et quid per septem dæmonia nisi universa vitia designantur? Quia enim septem diebus omne tempus comprehenditur, recte septenario numero universitas figuratur. Septem ergo dæmonia Maria habuit, quę universis vitiis plena fuit.* Sive (quod est longè probabilius *) quia verè à prædicta Maria Magdalena Christus Dominus septem dæmonia expulerit: Licet, inquam, hoc intelligi commodè possit de femina illa peccatrice, difficulter tamen videtur quod intelligi possit aut debeat de Maria sorore Marthæ, propter ejus probitatis & virtutis argumenta, quæ supra retulimus. Verùm qui supra etiam non obscurè probavimus, sororem Marthę unam atque eamdem fuisse cum peccatrice, non est cur multis immoremur in asserendo esse eamdem hanc Mariam Magdalenam, de qua exiverint septem dæmonia, cum Maria sorore Marthæ: pręsertim admisso, quòd hæc eadem Magdalena eadem fuerit cum peccatrice. Recolat, obsecro, pius atque eruditus Lector quę tota hac dissertatiunculâ diximus; profectò in asserenda hac communiori, & à multis seculis in Ecclesia, saltem Latina, recepta sententia, non (ut persuadent sibi aliqui) difficultates insuperabiles inveniet. Nos ad alia gradum facimus, qui à nostro, cui semper insistimus instituto nonnihil longiusculè defleximus.

(x) Luc. 8.

(y) Marc. 9.

(z) Div. Greg. homil. 33. in Evangel. prop. init.

* Vid. J. Maldon. ad cap. 8. Luc. col. 1011.



CAPUT XIII.

CIRCA ALIORUM GESTORUM CHRISTI Domini picturas & Imagines nonnulla, quæ videntur admonitione digna.

1 E Christi Domini factis, & quâ ratione commodè atque decorè describi debeant, pluscula superius perstrinximus: sed adhuc nonnulla supersunt loquuturis de illis tantummodo, quæ ad scopum institutumque nostrum spectant: etenim alia, quamquam plurima sunt, aliis discutienda explanandaque relinquimus, utpote quæ non tam Picturâ egent, quàm commentario.

2 Quâ in re primum omnium occurrit Domini Transfiguratio: circa quam depingendam nonnulla sunt quæ doceri debeant Pictores non admodum eruditi. Quod enim dicta Transfiguratio, ostensioque gloriæ, quæ latebat, ita operante Deo, in corpore Christi Domini viatoris, facta fuerit in monte elevato, rectè fit, & iuxta Evangelii fidem, quæ hoc idem adstruit, asserens iuxta Matthæum, (a) *Ducit illos in montem excelsum seorsum*: quod idem repetit Marcus. Quod verò hic mons depingatur nimium planus, cùm tamen esset excelsus, videtur contra regulas Optices, & contra experientiam. Nam corpora, quæ nimium elevantur, etiam si in summitate aliquam planitiem admittant, apparent à parte infima intuentibus acuminata, & ferme ad modum cuspidis desinentia. Quocirca memini me legisse, pyramidem illam ingentem, quæ etiam hodie superest in Ægypto, leucis aliquot distans à veteri Memphi, quam hodie Cairum appellant; tametsi in summitate planitiem habeat, non minorem quàm sexdecim pedum in quadro, atque adeo capacem, ut in ea plures homines non admodum juncti consistant; tamen ab ipso solo intuentibus pyramis apparet exacuta, acuminataque, adeò ut vix unus videatur in eadem posse consistere. Mons autem ille, in quo Christus Dominus claritatis suæ gloriam ostendit; qui ex quadam veluti recepta Ecclesiæ traditione non alius fuit quàm Thabor, de quo in Scripturis plurima est mentio, & qui in media ferè Galilæa altus & procerus exsurgit; adeò est excelsus, ut eum exactius dimetientibus, quod præstat ex ipsis veteribus elegans Historicus, (b) supra quindecim stadia, veluti linea ducta perpendiculari elevetur à terra: quæ certè altitudo est ingens: ut propterea etiamsi in cacumine planitiem habeat, unius propè leucæ nostratis extensam; depingi tamen debeat non ita planus, ut fit ab aliis quibus. Verùm hæc, fateor, minutiora sunt, & quæ cum non magno Historiæ detrimento describuntur ac repręsentantur.

(a) Matt. 17.1. Marc. 9.1

3 Quod ad Imaginem spactat ipsius Christi Domini; Matthæus refert, resplenduisse faciem ejus non secus atque resplēdet ipse Sol; & vestimenta ejus reddita esse alba, illis verbis: (c) *Resplenduit facies ejus sicut Sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.* Igitur facies Christi Domini omnino depingenda est undique refulgens, & majores his quibus communiter depingi solet, emittens radios. De vestimentis autem jam supra diximus. Et quanvis statuerimus, communes Christi Domini vestes coloris albi non fuisse, sed fusci; albicarunt tamen in hoc Transfigurationis mysterio prę nimia copia lucis à fulgoribus faciei Christi promanantis. Neque voluntaria est hæc interpretatio: nam sic omnino colligitur ex verbis D. Marci, (d) qui ita ait, καὶ τὰ ἱμάτια αὐτοῦ ἐγένετο στίλβοντα, λευκὰ λίαν ὡς χιὼν οἷα γναφεὺς ἐπὶ τῆς γῆς οὐ δύναται λευκᾶναι. Quæ sic eleganter reddit interpres: *Et vestimenta ejus facta sunt splendentia, & candida nimis, velut nix; qualia fullo non potest super terram candida facere.* Ecce evidenter splendorem vestium à luce procedentem, & ab ipsa candorem nivis. Imò Div. Mat-

Matthæus (e) ex Theophylacto & ferè omnibus Græcis exemplaribus, ita habet: τὰ δὲ ἱμάτια αὐτοῦ ἐγένετο λευκὰ ὡς τὸ φῶς. *At vestimenta ejus candida sunt facta, ut lux.* Ubi intepres noster legit ὡς χιὼν *sicut nix.* Utrumque rectissimè: namque aër ille inclusus in nive, donec omnino exeat, ut fit, magis condensata nive nobis talem alborem repræsentat, qualem oculis concipere valemus aspicientes lucem. De quibus qui plura velit, adeat Ramirezium de Prado. (f) Sed hæc etiam exactiora sunt, quàm ut cadant sub aspectum vulgò intuentium.

(e) Matt. 17. 2.

(f) In Pē... c. 2.

4 Majoris momenti est, quòd dum Moysem, qui, ut Evangelistæ referunt, Christo Domino apparuit in sua gloria resplendenti, depingunt, absurdo modo id faciunt, cùm eidem Moysi quædam veluti cornua adfingunt in fronte prominentia: moti illis Scripturæ verbis, ubi dicitur: (g) *Et ignorabat, quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini.* Sed rem hoc modo imaginari, atque adeò depingere, error est omnium imperitissimus: quotus enim quisque est qui nesciat, verbum illud *cornuta* idem omnino sonare & exprimere, quàm lucida, splendens, & irradians? radii quippe lucis Hebraica locutione atque elegantia, puncta sive cornua vocantur, juxta illud: * *Splendor ejus ut lux erit: cornua in manibus ejus.* Plurima id illustrātia sciēs & prudens prætermitto, quia nulli non pervia, qui sacras literas vel leviter attigerit. Videatur allegati loci expositio apud Interpretem sat doctum, & qui Hebraicorum verborum vim apprimè novit, (h) qui etiam vulgarium Pictorum errorem carpit & reprehendit. Sed audiatur præ cunctis Doctor Angelicus, qui locum illum tractans Apostoli; (i) *Ita ut non possent intendere filii Israel in faciem Moysi, propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur.* Sic habet: *Apostolus argumentatur ex hoc quod habetur Exod.* 34. *ubi litera nostra habet, quòd Moyses habebat faciem cornutam, ita quod non possent, &c. Alia litera habet*, faciem splendidam, *quod melius dicitur. Non enim intelligendum est eum habuisse cornua ad literam, sicut quidam eum pingunt: sed dicitur cornuta, propter radios, qui videbantur esse quasi cornua.* Hucusque sapienter, uti assolet, Doctor Angelicus. Jam quòd aliqui Apostolos tres illos selectos ad tantæ gloriæ testimonium dormientes depingunt, licet alicui error, aut incuria videri possit, eò quòd hoc neque à Matthæo, neque à Marco commemoretur: tamen tam longè abest ut error sit, quod non aliud contineat nisi narrationem Evangelicam: *Petrus verò*, inquit S. Lucas, (j) *Et qui cum illo erant, gravati erant somno, & vigilantes viderunt majestatem ejus.* Cui nihil officit, quod hoc alii Evangelistæ non expresserint: utrumque enim contigit, ut & prius dormirent, & postea exper recti, majestatis & gloriæ Christi testes existerent.

(g) Exod. 34.

* Habac. 3.

(h) Hier. ... Pras. pa. ...

(i) D. Th. ... 2. ad Cor. c. 3.

(j) Luc. 9. 32.

5 Circa factum illud, omni prorsus stupore admirationeque majus resurrectionis Lazari, Marthæ & Mariæ fratris, plura erant, quæ hìc congeri possent, si aliud ageremus. Sed proposito nostro semper insistentibus paucula hæc occurrunt. Descriptam depictamque vidimus hanc historiam, ita ut Christus Dominus solus adstantibus tantum sibi tribus aut quatuor ex Apostolis, duabusque sororibus Lazari, rem veluti gerat. Error hic est, aut saltem incuria, nullo modo toleranda. Patravit enim Dominus tale tantumque miraculum, ut planè oportebat, inspectantibus non solùm ejus Apostolis & duabus defuncti sororibus, sed Judæorum proceribus, aliisque, usque adeò multis, ut ipse Dominus alloquutus Patrem suum æternum, populum apellaverit circunstantem turbam: sic enim habet: (K) *Ego autem sciebam, quia semper me audis: sed propter populum qui circumstat, dixi: ut credant quia tu me misisti.* Et sanè, ut mirandum semper factum contigerit, non in domo ipsa, imò neque in oppido, sed extra illud, ut erat sepeliendi Judæis mos, quod supra fusius prænotavimus, (l) locusque adeo aptus esset capiendæ multitudini; author suassorque ero semper erudito Pictori, ut, quantum ferat tabula, depingat non unum aut alterum, sed multos, eosque veluti attonitos, atque irretortis oculis, mirabile factum intuentes. In quo certè copia sat magna dabitur Artem simul ostentandi atque exercendi. Jam quòd depingunt, lapide submoto, per foramen, quod operiebat sublatus lapis, relictum in solo, quadratis lapidibus tessellato, Lazarum exsuscitatum prodeuntem; error est

(K) Joan. 11. 42.

(l) Sup. ... 11. n. 10.

ortus, ut ferè semper, cùm ex ignoratione veterum morum, tùm ex præoccupatæ imaginationis ideis ac figuris. Assueti enim Pictores ea, quę apud nos sunt, inspicere subterranea sepulcra, aut mortuorum conditoria, quæ nos *Bovedas* Hispanicè loquentes appellamus, quæ sub templorum, aut aliorum locorum solo sæpius extruuntur, & ad quæ per scalas descenditur: in hanc, quod ad præsens attinet, pingendi rationem, parùm rem meditati, sunt devecti; aut non legentes, aut minus intelligentes Evangelii verba, quæ sic habent: (m) *Erat autem spelunca, & lapis superpositus erat ei.* Quocirca operæpretium erit dicere id quod supra accuratè monuimus, Judæos ruri, aut in hortis habuisse sepulcra, quę fermè in rupibus sæpius erant excavata, pręsertim quæ magis præclaris & nobilibus destinabantur. Itaque construebantur in speluncæ formam, sed non quæ ad imum terrę descenderet, sed quæ ad latus stantis in solo consisteret. In spelunca autem ipsa, quæ duos, tresvè, aut quatuor, quamquam per minus altam portam, & quam nemo nisi incurvus intrabat, ingressos in ipsam admitteret; struebatur loculus in scamni (si ita loqui liceet) aut podii formam, ea longitudine, ut jacens cadaver commodè caperet, quo illic condito, ostium pręgrandi lapide occludebatur. Atque hic quidem lapis est, quem amoveri jussit Christus Dominus, cùm dixit sequentibus verbis, *Tollite lapidem*, & de quo loquuntur Evangelistæ, agentes de ejusdem Resurrectione gloriosissima: Et hanc (ut id jam relinquamus adnotatum) fuisse formam sepulcri Christi Domini, satis discimus, tùm ex iis qui illud exactius descripserunt, qui plures sunt; tùm ex ejusdem perfectissimè exactâ & fabricatâ structione, quę cernitur Salmanticę in Conventu Patrum Franciscanorum D. Antonio Patavino sacro, in sacello satis amplo: ubi servatis adamussim Dominici sepulcri dimensionibus curâ & studio viri ejusdem Ordinis, qui aliquot annis commoratus fuerat in Conventu, quod exstat in urbe Jerosolyma; ad vivum tota fabrica repræsentatur, quam sæpius intuiti sumus, & quam invisunt, frequentantque plurimi, non sine pietatis & reverentiæ fructu.

(m) Ioan. 11. 38.

6 Jam quòd in eodem facto repræsentando depingunt Lazarum à monumento prodeuntem extensis brachiis, cruribusque hinc inde sic dispositis, ut naturalis ratio videbatur exposcere; errorem, & quidem non levem, inadvertenter atque oscitanter agentes, admittunt. Lazarus enim imperio Christi Domini suscitatus à mortuis, à monumento quidem prodiit vivus; at non eo modo, quem naturalis ferebat ratio; hoc est, pedibus progrediens, aut auxilio aliquo manuum adjutus; sed alio stupendo semper ac mirando modo, quem dissertè exprimunt Evangelii verba illa: *Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus institis.* Ut verò quid hæc facti supra modum mirandi accurata narratio contineat, exactè quantum fieri poterit percipiatur; notandum, & præ oculis habendum est, morem Judęorum in ipsorum cadaveribus sepeliendis, sicut etiam Ægyptiorum, quod notatum Herodotus reliquit in Euterpe, illum esse; ut post ablutum perunctumque aromatibus cadaver; in sindone strictim involverent à pedibus usque supra humeros; faciem autem, totumque caput sudario aut linteolo circumvelarent: deinde à pedibus usque ad faciem tæniis, fasciis, sive institis, quæ justæ latitudinis erant, totum corpus constringerent: postremo ita lotum, unctum, linteo involutum, tęniisque ac institis adstrictum, in destinato loculo collocarent. Morem hunc non modica ex parte tetigit Divinus Historicus Joannes verbis illis, loquens de Sacrosancto Cadavere Christi: (n) *Acceperunt ergo corpus Iesu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire.* Quod verò totum corpus institis illis aut fasciis, quas indicavimus, à pedibus ipsis usque ad humeros ligaretur, constat ex multis. Sed demus interim hæc pauca. Augustinus: (o) *Quanvis & propter sudarium, quod capiti adhibebatur, & institas, quibus totum corpus alligatum est, quia omnia de lino erant, etiam si una sindon ibi fuit: verissimè dici potuit, Ligaverunt eum linteis: lintea quippe generaliter dicuntur, quæ lino texuntur.* Nonnus, Christianus poeta hunc ipsum locum, quem versamus, exponens, illa habet: (demus Latina; nimis enim græcissare non est

cor-

(p) Nonus Ioann. 11.

cordi) (p) *Et à pede ad caput usque habebat totum corpus constrictum nexilibus institis, seu fasciis sepulcralibus.* Itaque cùm institę nihil aliud sint nisi fasciæ, atque eas, quas Hispani diceremus *fajas*; de mortuo qui ita esset circumligatus institis, diceremus aptissimè; *estaba fajado de pies à cabeza.* Lazarus ergo prodidit è monumento totus circumligatus fasciis atque institis. Quod adeo verum est, ut utriusque miraculi Christus Dominus author, ipsum Lazarum, qui jam exierat à monumento vivus, solvi à vinculis, liberumque relinqui jusserat, ut abiret: id ipsum Evangelistâ accurata studiosaque narratione referente illis verbis: *Dixit ei Iesus; solvite eum, & sinite abire.* Quod licet ulteriori confirmatione minime indigeat, placet tamen eam, quam ex plurimis, iisque gravissimis Ecclesiæ Patribus, hujus loci interpretationem profert vir sępè laudatus, adducere: (q) *Intelligendum,* inquit, *non solùm ut prodierit à sepulcro, sed etiam à spelunca, ubi sepulcrum erat: itaque non solum surrexit, sed etiam ambulavit ut exiret, cùm tamen manus ac pedes ligatus esset.* Quod amplius confirmans, subjungit: *Aliqui ex iisdem authoribus*, nempe Ecclesiæ Patribus, *aliam quoque reddunt causam, ut unum miraculum altero miraculo confirmaretur: utrumque enim miraculum erat, & quòd mortuus resurgeret, & quod jam suscitatus, ligatus manus ac pedes facieque obvelata ambularet, &c.* Ut vel hinc discat eruditus Pictor, quàm non pro libito, aut ex cerebro hęc à nobis commemorentur; quę tamen aliquibus, aut omnino vana, aut minus saltem scrupulòsa videbuntur. Sed qui plura, eaque omnino selectiora de re hac inquirere atque nosse velit, legat virum eruditum Joannem Jacobum Chiffletium *in Crisi Historica de linteis sepulcralibus Christi servatoris* cap. 7. pag. 36. Addo, errare etiam Pictores, qui Lazarum in ipso actu prodeundi depingunt sindone quidem supra caput revoluta, sed facie tamen omnino discooperta. Repugnat etiam hoc narrationi Evangelicę, ubi relatis verbis, *Ligatus pedes & manus institis,* additur: *Et facies illius sudario erat ligata.* Preme verbum *ligata*, non utcumque cooperta; ne quis objiciat, potuisse sudarium, aut linteolum quo facies cooperta erat, cùm in pedes ligatos institit, à facie ipsa naturaliter decidisse: quod si contigisset, non tam studiosa narratione descripsisset Evangelista, quòd facies ejus qui fuerat mortuus, non cooperta tantùm erat, sed sudario ligata: hæc enim omnia in tam grandis facti descriptione neque otiosè sunt posita, neque segniter veniunt advertenda.

(q) Mald. c. 11. n. col. 70.

7. Paulò post Lazari resurrectionem, paulòque ante ipsius Domini Passionem & mortem, factum est ut soror ejusdem Lazari Maria Magdalena (hanc enim fuisse sororem Lazari, eamdemque, quę adhuc in Galilæa consistens, Christi Domini pedes lavit lacrymis, unxit unguento, capillisque abstersit, supra copiosius diximus) ungeret, non tantùm pedes Christi, quod narrat Joannes, sed & ipsius caput, ut disserte referunt Matthęus & Marcus; (r) quod factum ob id, secundam Magdalenæ unctionem præstitam Christo communiter vocant Patres, & quique graviores Interpretes. In qua quidem re pauca admodum adnotare licet, aut convenit. Nam quod vas illud, in quo unguentum, & quidem pretiosum atque electum, quod eleganter expressit Marcus illis verbis, *Nardi spicati pretiosi*, continebatur; non videatur gravibus viris fuisse aut potuisse esse ex alabastrina materia, quamquam hoc ab Evangelistis exprimi videatur, qui vas idem vocant *alabastrum unguenti*; propterea quòd si ex solido alabastro fuisset, non tam facile videtur potuisse à femina frangi: quod tamen disserte idem asserunt, prȩsertim Marcus, dicens: *Et fracto alabastro, effudit super caput ejus*: Hoc non admodum refert ad Picturam, quamquam nonnihil illam tangat. Etenim credibile admodum est fuisse vas illud ex alia, sed aliqua ratione simili materia, quæ referret etiam colorem, aut albedinem alabastri; aut aliam similem ob causam ita dictum. Qua in re operæpretium fuerit legere verba eruditissimi interpretis: (s) *Credo ergo*, inquit ille, *esse probabilius ex alia fragili materia fuisse vas factum, sed alabastrum appellatum; aut quia ex alabastro unguentaria vasa fieri solebant, ita ut etiam si ex alia materia aliquando fierent, alabastrum dicerentur. aut quia ea erant forma, ut ansa carerent, qualibus etiam nunc myropolas,*

(r) Matt. 28.8. Marc. 14. 3.

(s) Mald. ad c. 26. Matt. col. 549.

&c.

& pharmacopolas, uti videmus: id autem alabastri nomen significat, ut Suidas adnotavit.

8 Illud magis hìc opportunum erit observavisse, Christum nempe Dominum debere depingi, non mensæ assidentem, sed (ut supra multis planè ostendimus) in lectulo, ut moris erat, recumbentem. Tum quòd ita Evangelistę dissertè docent; Mattheus quidem his verbis: (t) *Et effudit super caput ipsius recumbentis*, Marcus verò illis: *Cùm esset Bethaniæ in domo Simonis leprosi, & recumberet, venit mulier.* & tandem Joannes eamdem rem enarrans, *Lazarus verò*, inquit, *unus erat ex discumbentibus cum eo.* Tum quia aliter, qua ratione fieri poterat, ut mulier in genua provoluta, aut ad ipsam terram prostrata (ut Pictores vulgariter ostendunt) ungeret caput etiam sedentis Christi? Commodè autem totum intelligitur si recumbentis Christi Domini in lectulo ungeret, primùm quidem pedes, quod Joannes narrat; deinde fracto vasculo quod reliquum erat unguenti, super recumbentis caput effunderet: ut propterea novum ex hoc eodem facto dictis supra lumen affulgeat.

(t) Matt. 26.7. Marc. 14. 3. Ioann. 12.2.

9 Circa ingressum Christi triumphalem, cùm scilicet non invectus eburneo curru, aut præcedente captivorum agmine, sed humilis ac mansuetus, equitans super pullum asinæ, acclamante populo, atque infinita propemodum turba, ingressus est urbem Jerosolymam: non pauca interpretibus dicenda suppetunt. Quòd verò ad rem nostram attinet, unum solùm admonere visum est mihi operæpretium: scilicet Christum Dominum pingi debere equitantem, non super asinam, sed tantùm super asinum, aut asinæ pullum: hoc enim perspicuum est ex verbis Evangelistarum, præsertim Marci atque Lucæ; imo & ipsius Joannis, (u) qui eamdem rem referentes, de asina nihil meminerunt. Sed notatu sunt digna verba Marci, quæ ita habent: *Invenietis pullum ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit: solvite illum & adducite.* Et paulò infra: *Et duxerunt pullum ad Iesum, & imponunt illi vestimenta sua, & sedit super eum.* Quod evidenter opponitur sententiæ eorum, qui asserunt, utroque animali usum fuisse Dominum; ita ut primò quidem insederit asinæ, deinde asino, sive ejusdem pullo; aut contra, ut nonnulli etiam veterum dixerunt. Hoc enim, quanvis confugiatur ad allegorias, neque necessarium fuit, neque narratur à tribus Evangelistis, sed neque ab ipso Matthæo, qui utriusque meminit, & asinæ scilicet & pulli. Hoc tamen non obstante, censeo, & quidem non improbabiliter, depingendam esse cum pullo asinam, pullum suum insequentem. Nam quod utrumque adduxerint Apostoli, perspicuum est ex Mattheo illis verbis: *Et adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua.* Et quanvis immediatè subdatur: *Et eum desuper sedere fecerunt*, non id cogit ut dicatur per nes diversum brevissimi itineris spatium, Christum Dominum nunc asinæ, nunc pullo insedisse; cùm ea verba commodè explananda veniant per figuram, quam appellant Syllepsim, quâ nonnullis in locis utitur Scriptura: ut cum dicitur Apostolos ob effusum unguentum murmurasse; cùm tamen constet solùm Judam Iscariotem murmurasse; aut cùm dicitur, latrones qui crucifixi erant cum Christo, illum conviciis appetiisse; cùm tamen alius Evangelista dissertè exponat, non id fecisse nisi alterum. Quare, quod ad hoc attinet, necessè non erat ut pingeretur asina: & sat erat depingere asinum, in quo, & non in asina insedit Chtistus Dominus. Verùm quoniam Matthæus asserit perspicuè adductos ab Apostolis asinam & pullum: neque hoc solùm, sed super eos posuisse vestimenta sua, quod ex relatis jam verbis constat, *Et adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua*: moveor ut asseram, utrumque commodè debere pingi; asinum nempe, in quo Christus vehitur, & asinam insequentem pullum, super quam pars vestimentorum, aut palliorum, quibus utebantur Discipuli, pingatur imposita. Nihil enim hoc videtur esse posse magis congruum ad naturam facti; ita ut super asinum, ut Christus Dominus commodius insideret, pars vestimentorum sterneretur; alia verò pars, quò Apostoli paratiores & expeditiores redderentur, impositam fuisse super asinam: maximè cùm hic necessarius non videatur recursus ad

(u) Marc. 11.2. Luc. 19. 30. Ioan. 12.14.

ad aliam Syllepsim. Reliqua verò quæ ad ostensionem repræsentationemque facti hujus spectant, non ea sunt quæ peculiari aliqua admonitione indigeant, neque in iis depingendis errorem aliquem notatu dignum unquam animadvertimus.

10 Denique quod attinet ad postremam Christi Domini cum Discipulis cœnam, nonnulla supra diximus de apparatu & dignitate cœnaculi, quę proinde hîc repetere nolumus. Circa verò modum, quem sæpiusculè jam notavimus, ad mensam accedendi, nil dubium est quin fuerit, non ille qui usurpatur passim, non modo à Pictorum vulgo inerudito, sed à viris & in Arte excellentibus, & aliunde non indoctis, sedendi super scamna: sed ille quem jam statuimus, super stratos lectulos recumbendi. Satis superque, opinor, hoc ex aliis locis ostensum est. Sed, quod ad rem præsentem maximè faciat, libet amplius in eo nonnihil immorari. Igitur cùm Christus Dominus ultimam cum electis Discipulis comedit cœnam, non sedens ad mensam erat super scamnum, sellamvè; sed planè in thoro, aut lectulo recumbens. Tum quod ita omnes quatuor Evangelistæ rem descripserunt, & signatis verbis expresserunt; Matthæus, cùm ait: (x) *Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis*; Marcus, *Vespere autem facto, venit cum duodecim, & discumbentibus eis, & manducantibus, &c.* Lucas: *Et cùm facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo*: & denique Joannes, qui, narrata fusius lotione pedum, subjungit: *Postquam ergo lavit pedes eorum, & accepit vestimenta sua, cùm recubuisset iterum, &c.* En non ab uno aut altero, sed à quatuor Evangelistis usurpatam uniformiter, non sedendi vocem, sed recumbendi. Plumbeus, ut existimo, fuerit, qui id non advertat, atque adeò non colligat in hac etiam cœna omnium sacratissima Christum Dominum cum Apostolis ad mensam non accessisse sedentem, sed, ut moris erat, recumbentem super lectulum. Quò vero id clarius fiat, notet, obsecro, quisquis sibi nova & paradoxa proponi putaverit, quod allegato loco narravit Joannes: *Erat ergo*, inquit, *recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Iesu, quem diligebat Iesus. Et* post paucula: *Itaque cùm recubuisset ille supra pectus Iesu, &c.* Locum hunc jam viderunt, subnotaruntque ad rem nostram non solum sacri Interpretes, sed etiam ii qui bonis literis navaverunt non segnem operam: ex quo planè colligitur id quod asserimus. Namque quâ, amabo, ratione fieri poterat ut Joannes (ille est enim discipulus, de quo sermo est) sedens ad mensam, in sinu Christi Domini recumberet? An satisfactum aliquis esse putet, si dicatur Joannem nonnihil caput in pectus sedentis Christi Domini reclinaverit? Atqui hoc neque satis decorum est, neque factu ita facile. Facillimum verò & maximè decorum, si intelligatur in eodem triclinio, lectuloque, in quo Christus recubuit, recubuisse Joannem: atque adeò ut promtum & facillimum est, jacentibus in eodem lectulo, caput supra pectus Domini reclinavisse atque collocasse. Quare inscienter minusque advertenter (ne quid dicam gravius) loquutus est Author Italus satis notus, (y) dum ait, contrarium huic morem fuisse Hebræorum proprium, &, quod magis mirere, ipsius Christi Domini: *Nos*, inquit ille, *Servatorem nostrum sequuti, more Hebræorum manducamus sedentes.* In duobus errat: nam etsi verum sit, quòd antiquis & vetustis temporibus, quæ certè illa heroica, quę describuntur ab Homero, præcesserunt, consuetudo hæc nempe, quòd ederent homines ad mensam sedentes; esset usu recepta, quod & probari posset nonnullis Scripturę locis: tamen posterioribus seculis communem apud Orientis Nationes morem sequuti sunt Hebræi Judæivè, quod probant vel ipsi Evangeliorum Interpretes. Labitur etiam in eo, quòd non tam asserat, quàm supponat (quamquam id nullo modo probet, aut probare queat) Servatorem nostrum ad mensam accessisse sedentem: cùm tamen oppositum satis superque ostenderimus ex narrationibus Evangelicis. Quod totum ita intellexerunt non solùm Interpretes, sed & plures alii, quos supra sparsim allegavimus. Sed bene habet, quòd Pictores rerum rituumque antiquorum magis periti hoc modo etiam rem depinxerunt, & subjecerunt ocu-


(x) Matt. 26.20. Marc. 14. 17.18. Ioan. 13.

(y) Panci-rol. de veterib. deperdit. lib. 1. tit. 51. p. 329.

oculis. Et ; ne id omittamus in eo libro, quo ad preces Deo persolvendas utimur, quem vulgariter loquentes appellamus Breviarium, vidimus jam hoc modo delineatam Picturam in recentiori editione Antuerpiensi.

CAPUT XIV.

CIRCA PICTURAS ET IMAGINES PASSIONIS Christi Domini notatu digniora, observata, atque animadversa.



1 Ventum est ad campum latè patentem, in quo quidem pluscula quàm alibi observare atque adnotare erit operæpretium. Ingredimur enim Historiam Passionis mortisque Servatoris. Cujus rei frequentiores planè sunt Picturæ atque Imagines, adeoque obnoxiæ nonnullis erroribus, qui admitti facilè possunt à Pictoribus non admodum studiosis & eruditis. De Cœnaculo Jerosolymitano, ubi Christus & legale Pascha celebraverat (hoc enim in dubium bono titulo verti non potest, quidquid Authores aliqui, quantumlibet Catholici, recentiores tamen, & plusquam par est studiosi novitatis contra subclamitent) & ineffabile Sacramentum sui Corporis & Sanguinis instituerat, ad hortum, prædium, sive villam Gethsemani, hoc est, ad locum certaminis rectà contendit. Nox erat, & quidem jam paulò altius provecta circa horam ex nostratibus plusquam nonam, cùm & ipse ibat, & illum comitabantur non sine pavore Discipuli; quorum, ut hîc illud usurpem,

> *Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.*

Æneid. lib. 2.

Quam noctem ut elegantius Pictores ostendant, depingunt in medio cœlo hinc inde nubibus aliquot obductam Lunam candidè prælucentem. Bene hoc quidem; nam jam tunc Luna prodierat,

> *Mense ferè medio quanta nitere solet;*

sed non item bene, quod (ut sæpius à me est observatum) depingunt illam desinentem in cornua, eo statu quo ipsa est, cùm jamjam paulò à sole remotior succrescit. Minutum hoc videbitur Pictoribus, imò & aliis. At utrique sciant, ea nocte prope fuisse ut jam Luna accederet ad plenilunium: sive hoc numeraretur ab ipsa conjunctione novilunioque; sive à phasi, aut apparientia, quæ non nisi altero à conjunctione die, & quidem in locis editissimis, conspici potest; de quo non est hìc differendi, aut uberius disputandi locus. Satis est enim scire, quod magnum Paschatis festum non celebrabatur à Judæis nisi quartadecima Luna mensis, juxta id quod erat Lege præscriptum, cujus ea sunt verba: (a) *Et servabitis eum,* id est Agnum Paschalem, *usque ad quartamdecimam diem mensis hujus: immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam.*

(a) Exod. 12. 6.

2 Ingresso Christo Domino in hortum, orationisque locum, acciderunt ea, quę memorant Evangelistæ, & circa quę nihil occurrit nobis notatu dignum, admonere contentis, quòd nonnulli non satis advertenter collocant Apostolos illos selectos, Petrum nempe, Jacobum, & Joannem nimium junctos Christo, & non servata proportione & decore distantiæ: cùm tamen notanter asseruerit Evangelista, Christum non omnino modico spatio ab ipsis separatum oravisse: ita enim habet: (b) *Et ipse avulsus est ab eis, quantum jactus est lapidis.* Quod ad situm verò, &, ut ita dicamus, posituram ipsius Christi Domini, omnes, quotquot ego viderim, Imagines illum repræsentant in genua procumbentem. Non hoc male, cùm idem nuper allegatus Evangelista id dissertè dixerit:

(b) Luc. 22. 41.

(c) Idem ibid.

xerit: (c) *Et positis, inquit, genibus, orabat.* Verùm cùm alii Evangelistæ afferant, Christum Dominum, majoris erga Patrem reverentiæ causâ, non solùm in genua provolutum esse, sed quid amplius & reverentius præstitisse: vellem alicubi id vidisse depictum. Matthæus enim ait, procidisse in faciem, illis verbis: (d) *Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans, &c.* Marcus verò: (e) *Et cùm processisset paulululum, procidit super terram, & orabat.* Ex quibus omnibus, mihi saltem, perspicuum est, Christum Dominum utrumque fecisse; & in terram super faciém prosterni, quod primo orationis ingressu præstitisse credendum est; & in genua provolvi, quod procedente oratione est prosequutus. Quod Angelus, qui (ut Lucas habet) apparuit eidem de Cœlo confortans eum, depingatur gerens in manu calicem, & quidem illum, aut illi simillimum, quo in sacrosancto Missæ utimur sacrificio; non erat cur putidus Grammaticus, idemque pseudotheologus, atque ut verbo dicam, osfor Sacramentorum Christi, reprehendisset. Nemo enim est Catholicorum mediocriter doctus, qui nesciat verba illa Matthæi παρελθέτω ἀπ' ἐμοῦ τὸ ποτήριον τοῦτο commodè quidem trãsferri posse per hęc: *Transeat à me poculum hoc*, quę per hęc, *Transeat à me calix iste*, noster, & quidem optimè, expressit interpres. Sed præterquamquod Hieronymus, qui Evangeliorum versionem exactè recognovit, Græcæque fidei reddidit, etiam in Græcę linguæ cognitione longè major Theologastro Genevensi, nihil hæsit in vertendo pro voce ποτήριον, *calix*; tùm hic, tum apud Marcum & apud Lucam etiam profani verterunt eodem prorsus modo: & quod magis est, ipsi Lexicographi ita prorsus fecerunt, etiam illi qui aliis in rebus non recusarent audire Calvini discipuli. Qua de re, quæ contemtum magis meretur, quàm impugnationem, videri potest vir impensè doctus: (f) ut enim viri gravissimi insectentur pro merito futilia hęc,

(d) Matt. 26.39.
(e) Marc. 14.33.
(f) J. Molan. lib. 4. cap. 3.

Nos hac ab scabie tenemus ungues.

Quod denique aliqui depingant in ejusdem facti descriptione Jacobum Alphæi, sive Minorem, qui frater Domini dictus est, Christo ipsi facie, staturâ, totiusque corporis lineamentis simillimum, nugæ sunt, quas perstringit nuperrimè laudatus Scriptor, quasque suo loco etiam refellemus.

3. An verò Christus Dominus comprehensus & ligatus à militibus, ac Judæorum ministris, servis scilicet præcipuorum ex Judæis (nam totum hoc contigit, ut constat ex illis verbis: * *Cohors ergo & tribunus, & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & ligaverunt eum*) depingendus sit ligatis ante pectus manibus, vel post tergum; res videtur ambigua: cum neutrum dissertè constet ex Evãgeliis: utrumque certè vidi depictum à bonis Artificibus. Sed in re incerta mihi eruditius videtur, ut depingatur ligatis post tergum manibus. Tum quia hoc frequentius in usu erat apud Romanos, qui, & sanè non pauci in hoc negotio intervenerunt, ut suo loco demonstrabimus, ut constat ex illo Poëtæ

* Ioann. 18.2.

Æneid. 2.

Ecce, manus juvenenem interea post terga revinctum
Pastores magno ad regem clamore trahebant
Dardanidæ.

quo nihil frequentius est apud bonos Authores & Historicos. Tùm etiam, quia hoc majorem indignitatis & ignominię modum præ se ferebat, ut ageretur cum innocentissimo Domino veluti cum latrone, & tetrorum facinorum patratore quod ipse Dominus conquestus est iis, qui illum comprehendere & ligare venerant. (g) Tum denique, quia pessimus ille traditor Judæorum principibus hoc suasisse videtur illis verbis: (h) *Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite cautè*: veritus scilicet, ut quemadmodum non semel ab ipsis Judæis se comprehendere volentibus evaserat; ita & tunc faceret, ni probè constringerent: perditurus hac ratione & Magistrum, & pacisci pecuniam, ut hic recte annotarunt Interpretes. Quare & valde credibile est, & dignum, ut depingatur, non solùm aligasse milites Christi post tergum manus, sed & injectis suis ipsorum

(g) Matt. 26.55.
(h) Marc. 14.44.

rum impuris manibus, tenuisse, duxisseque eum apprehensum per brachia, superioremque partem tunicæ. Quòd verò depingatur dejectus è ponticulo in rivum illum, qui adjacebat urbi Jerosolymæ, mediusque erat inter ipsam & villam, sive hortum Gethsemani, & qui *torrens Cedron* appellatur in Scripturis: meditationes, aut (si mavis etiam) revelationes pias continet, quas proinde, sicut non admodum reprehendo depictas; ita non facile suadeo depingendas.

4 Circa verò factum illud quo narratur armatum Petrum in defensionem Magistri sibi perquàm chari, evaginato gladio irruisse in armatorum turbam, percussisseque Malchum, atque aberrante ictu, auriculam ejus dexteram amputavisse: non est credendum, quod eam penitus amputaverit; ita ut abscisa amputataque in solo deciderit: sed quod reliquerit nonnihil à capite pendentem. Moveor ad hoc: quia si aliter contigisset, cùm Christus suorum etiam persequutorum benefactor, sanavit statim insolentem Pontificis servum; non usus fuisset Evangelista verbis illis: (i) *Et cùm tetigisset auriculam ejus, sanavit eum*, sed aliis prorsus, quibus significaretur in terra delapsam auriculam levasse, applicuisseque suo loco, atque hoc modo illi restituisse. Quare hoc modo, cùm res exposcat, veniet hoc depingendum.

(i) Luc. 22.51.

5 Narravit in hoc facto Marcus rem ab omnibus aliis tribus, veluti quæ minoris momenti videretur, silentio prætermissam. Sed audiantur illius verba: (j) *Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo: & tenuerunt eum. At ille, relicta sindone, nudus profugit ab eis.* Ex duobus, quæ hìc communiter quæri solent, prior quidem ad Picturam non spectat, licèt illam studiosè agitent ipsi antiquiores Ecclesiæ Patres & Interpretes; quis nempè fuerit ille adolescens. In qua re, relictis, ut mihi videntur, non sat probabilibus opinamentis; censeo fuisse aliquem juvenem Christi studiosum, & fortè domus habitatorem, quæ, ut facilè putari potest, erat in ipso horto aut villa Gethsemanitica: qui quidem, audito tumultu, suspicatus esse non alium quàm Christum Dominum, qui illuc oraturus frequenter venire erat solitus, eumdem, qui vinctus duceretur; cùm jam in lectulo esset, repentè exilierit; & ne se vestiendo tardaret, arrepta ipsius lectuli sindone, quâ se utcumque tegeret, procurrerit in publicum; aut ut auxilio futurus esset Christo, si posset; aut saltem, si non posset, ut videret rei exitum. Ex quo satisfactum est posteriori quæstioni, quam supra innuimus. Sindon enim quâ indutus erat ille juvenis, non aliud, meâ quidem sententiâ, significat, quàm quod vulgò concipimus; id est velum linteum, quod Hispanicè loquentes appellamus *sabana*: quâ in repentino casu juvenis prosiliens è lecto se obvolvit. Aliter sentiunt viri doctissimi, (K) quos ego semper multum suspicio: sed mihi potior visa est hæc simplicior explicatio, qui quanvis mirer viros summos; sum tamen nullius addictus jurare in verba magistri. Quare res hæc, quam aliquoties vidi depictam, eo modo repræsentari depingique sat commodè poterit.

(j) Marc. 14.51.52

(K) Mal[donatus] ad cap. [14] Marci [...] 814.

6 Apprehensum vinctumque Christum Dominum, duxerunt illum milites atque turba in domum Caiphę principis sacerdotum. Caiphæ, inquam; nam tametsi primùm deduxerint ad domum Annæ soceri Caiphæ, ob illius magnam in populo auctoritatem: tamen neque Evangelistę referunt quidquam in Annæ domo notatu dignum fuisse factum, neque proinde aliquid, quod hic observemus, occurrit: non quòd ignorem esse auctores graves, & quidem sat multos, qui pleraque quæ postmodum in domo Caiphę contigerunt, asserant in domo Annæ soceri contigisse; qualia sunt prima Petri negatio, prima examinatio Christi de Discipulis & doctrina, & impacta alapa Christo Domino à servo insolentissimo. Verùm hæc sententia numquam mihi placuit, etiam antequam legissem optimè rejectam refutatamque ab Auctore sæpè à me laudato, sæpiusque laudando, quem legat oportet quisquis de re hac certior fieri accuratius volet. (l) Ergo Christum Dominum ante Sacerdotum principem Caipham, senatumque frequentissimum, &, ut apparatus rei præ se ferebat, gravissimum stiterunt impii satellites, vinctis, ut supra diximus, post tergum manibus. In hoc autem facto repræsentando aliqua obiter veniunt

(l) Ide[m] ad c. [26] Matth. 57. 611. seq.

niunt advertenda, quæ habere debebit præ oculis Pictor eruditus. Primùm enim palatium Caiphæ depingi oportebit magnificum, pro tanta scilicet apud illum Populum dignitate: interior aula, & quidem sat lata ac spatiosa, continere debebit seniores sedentes in scamnis, & Pontificem ipsum Caipham in throno sedentem, vestimenta utrâque manu discindentem suâ; eò quòd ita contigerit, & ita narratur ab Evangelista Matthæo: (m) quod quidem de more fuisse in luctu atque indignatione aliis etiam gentibus, docti adnotarunt: indignissimè enim tulit iniquus Pontifex, aut potius libentissimè, ut exinde occasionem arriperet addicendi morti Christum Dominum. Ante aulam verò atrium; id scilicet quod nos dicimus *patio*, depingi debet; ubi accenso igne Petrus se calefacit cum ministris. Circa cujus tertiò etiam factam negationem convenientius erit, ut non pingatur alloquens Petrum vir aliquis, aut aliqui simul; sed tantùm femina ancilla Pontificis. Licèt enim utrumque contigerit, ut & circunstantes viri interrogaverint & alloquuti sint Petrum; tamen celebrius est hoc, & majori observatione ac repræsentatione dignum: tùm quòd constet ab una & altera ancilla Pontificis tentatam fuisse Petri constantiam: (n) tùm etiam quòd hac ratione infirmitas ipsius magis exprimitur. Illud annoto: locandum esse Christum Dominum, Petrumque iis partibus, in quibus, quanvis non admodùm proximi, se mutuò videre potuerint. Constat id: nam Petrus eò motus est, ut suæ illum fragilitatis pœniteret atque ignaviæ, quòd Dominus illum respexerit, ut disertè indicant verba Evangelistæ: (o) *Et conversus*, inquit, *Dominus respexit Petrum: & recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat, &c.*

(m) Mat. 26.65.

(n) Mat. 26.70.71

(o) Luc. 22.61.

7 Respondenti Christo Domino ad interrogata Pontificis, refert Evangelista Ioannes impactum fuisse illi à teterrimo insolenteque Pōtificis famulo aut ministro colaphum in faciem venerandam: (p) *Hæc autem*, inquit, *cùm dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens: sic respondes Pontifici?* Circa quod indignissimum facinus, aut verbis, aut penicillo depingendum multa dicuntur à pluribus, quæ non omnia probare debet aut lector aut Pictor. Sunt enim qui asserant, tam atrocem fuisse colaphum, ut stantem Christum Dominum eâ quæ ipsum decebat modestiâ, solo affixerit, in terramque dejecerit. Pium fortasse hoc; sed, quod mea fert opinio, penitus falsum, vel eo solo nomine, quòd tanta tamque grandis circunstantia non referatur ab Evangelista. Et certè qui talia meditantur, aut potius effingunt in rebus tam magni momenti, parum, ut mihi videtur, attendunt ad ipsius Christi majestatem: quasi verò parum indignitatis flagitiosissimæ contineret impacta ab impuro homine in vultum Dei alapa, ut propterea deberet addi, fuisse tam ingentem, ut Dominum dejecerit ad terram. Quare hoc depingendum non est, neque, judicio meo, credendum quidem. Alii narrant, impactam fuisse alapam à ministro armata manu, obtectaque ferro, illo nempe armaturæ genere, quod gerunt gravioris armaturæ milites, quod nos *Corazas* vocamus, & partem illam, quæ manum obarmat, dicimus *manopla*. Pium etiam fortasse hoc; sed falsitatis levitatisque cogitandi nimis suspectum. Tùm quia impactor alapæ non dicitur fuisse aliquis ex militibus Romanæ cohortis, sed ejusdem Pontificis minister, aut famulus: cui certè neque licebat inter Romanos agenti tam graviter armari, neque etiam, si maximè vellet, permitteretur. Tùm quia armorum illud genus, quod, ut modò diximus, vocamus *Corazas*, & quo corpus totum, etiam manus & pedes ferro obarmantur; aut ego nimium fallor, aut neque usitatum, neque cognitum erat apud Romanos milites. Tum denique: quia imaginatio hæc factum ipsum non admodum auget: Namque ferrea illa (ut ita dixerimus) chiroteca, ex parte interiori, aut volæ manus, quæ sola ferit ejus faciem cui infligitur alapa, obtecta ferro non est, neque ferrum præfert, sed spissiorem quamdam telam lineam: ut proinde armamentum hujusmodi necesse non sit imaginari, depingivè; quanvis tolerabile videri possit rem non ita exactè discutientibus.

(p) Ioan. 18.22.

8 Hac ipsa nocte, qua dilectum à se Magistrum tam apertè negavit electus ille Apostolus & discipulus, tam multa tamque ignominiosa flagitiosaque perpessus est Christus, non solùm ab impiis & inverecundis ne-

bulonibus, quales certè erant Pontificis famuli, & aliorum fortassis ex primoribus Iudæorum, insuper etiam & vulgares Romanorum milites, qui ChristumDominum apprehenderant; sed etiam ab ipsis Iudæorum præcipuis, qui Pontificis domum frequentabant, præsentesque adfuerant. In primis enim, ab his postremis verosimile est tolerasse illud insigne ignominię & contumeliæ probrum, quod refert Matthęus illis verbis: (q) *Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt: alii autem palmas in faciem eius dederunt.* In quo plures, etiam è veteribus interpretibus exposuerunt, à Iudæorum primariis passum esse Christum, ut fustibus, baculis, aut scipionibus quibus innitebantur, &, quod magis mirandum est, crepidis, ab ipsorum pedibus detractis, percussus fuerit ac verberatus, non solùm in capite, sed etiam in facie ipsa & vultu venerando. Ad hæc vilis turba servorum (quod & animus meminisse horret) in faciem ipsius cæpit expuere, eumque colaphis atque alapis cædere, nequid deesset ad ignominiam, obvelatis lucis serenæ oculis, palmis eum cædere, per jocumque aut summam injuriam inclamare: *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit.* Omnia hæc disertè constant ex ipsa narratione Evangelica, ne quid dicatur de verborum conviciis, quæ satis indicavit Lucas (r) verbis illis: *Et alia multa blasphemantes dicebant in eum.* Quare latus & spatiosus relinquitur Pictoribus, quamlibet eruditis, campus ad hæc multis variisque modis oculis intuentium repræsentanda: quin nullus fortè par erit lugubri scenæ repræsentandæ, cùm certe verè atque opportunè inclamare hic liceat: (s)

(q) Mat. 26.67.

(r) Luc. 22.65.

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet? & possit lacrymis æquare dolorem?

(s) Æneid. 2.

Verùm antequam hinc discedamus, duo advertenda veniunt. Unum, & quidem quod maximè facit ad ipsam Artem Pictoriam, est, quod quando ChristusDominus depingendus occurrat, opprobria hujusmodi, contumeliasque sufferens, depingi res debet ad faculę vel candelæ lumen; propterea quod omnia hęc gesta nocte sint; & quidem provecta atque intempesta; jamque procedente supra gallicinium. Cùm verò depingendus erit pontificis & seniorum objectus & subditus judicio; non ita, sed jam lucente die. Constat enim ita contigisse ex Lucę Evangelio, qui exactius tempus annotavit illis verbis: (t) *Et ut factus est dies, convenerunt seniores plebis, & principes sacerdotum & scribæ, & duxerunt illum in concilium suum &c.* Quanvis Evangelistæ alii non ita circumscriptâ temporis circunstantiâ factum enarraverint. Alterum illud est, quod cùm Christus tam diriter contumelioseque exceptus à militibus & ministris ea perpessus est, quæ commemoravimus; committendum non est, ut depingatur vestibus exutus, etiam quod ad humeros attinet & scapulas: quod, ni fallor, alicubi vidi depictum. Cùm enim de hac nuditate nihil Evangelistæ dixerint, neque ejusdem meminerint quique Patrum graviorumve interpretum, ut ea depingatur pro pictoris libito, propę est ut annumeretur erroribus.

(t) Luc. 22.66.



CAPUT

CAPUT XV.

DE PICTURIS IMAGINIBUSQUE EORUM, QUÆ in Christum Dominum acta sunt ante latam in eum mortis sententiam.

1 X Caiphæ domo sive palatio, rectà Christus deductus est ad Pontii Pilati prætorium, populi ingenti multitudine, insuper & præcipuis iniquorum sacerdotum atque Pontificum, eumdem comitantibus, aut potius insequentibus. Prætorium autem erat ædificium ingens planeque elegans, quale decebat Senatus populique Romani majestatem; cujus auctoritate, imò Tiberii Cæsaris, Pilatus Judæam regebat sextus in ordine, ut refertur à Josepho, (a) postquam Judæa ipsa redacta fuerat à Romanis in Provinciæ formam. Hoc autem, sive ædificium, sive palatium, quod ad rem de qua agimus spectat, hoc fere modo depingi poterit. Reseratis nempe foribus ostendatur ingens aula variè perornata Architecturæ modulis; solum autem ejusdem, lapidibus optimè tessellatum, à quo eadem aula vocatur ab Evangelista *Litostrotos*, hoc est, *strata lapidibus*. E regione verò aulæ, atrium pulcris atque ingentibus ornatum columnis, addito omni eo, quod decens atque opportunum videbitur Pictori, non solùm Historiæ, sed etiam Architecturæ (quæ pars non modica Pictoriæ Artis est) perito. Hæc enim sufficient, ut res ibidem gestæ satis verosimili decentique modo oculis subjiciantur & repræsententur. Circa verò ipsius præsidis vestes, quas Romano more gestasse facile credendum est, nonnulla sese hic offerebant annotanda: sed nolo esse nimius in rebus non satis exploratis; & quæ directè saltem ad Sacras Imagines, quà tales sunt, parum aut nihil spectant. Quæ inter populum atque ipsum Præsidem acta primò sunt, cùm magis ad verba clamoresque pertineant vociferantium, quàm ad Picturam; non est quidquam quod adnotari debeat: nisi forte, quòd erecta capita, aperta ora, elatasque in altum manus vociferantis populi, peneque vergentis ad tumultum ferociam, quodammodo debeant ostendere.

(a) Antiq. l. 17. c. 19 & l. 18. c. 4.

2 Contigit hic autem, ut ab ipso præside mitteretur Christus ad Herodem, Galilææ Tetrarcham, *& ipse*, ut Lucas ait, (b) *Jerosolymis erat illis diebus*, abs dubio causâ solemnitatis Paschatis: quod etiam Picturis solet exprimi. Pingendus igitur est Herodes apparatu planè regio, purpura vestitus, cinctusque militari, regalique stipatus satellitio; Christus autem Dominus summâ circunspectione modestiaque stans ante Tetrarcham, cui ne verbum quidem dignatus est respondere; ut proterea illum & ipse rex, & ejusdem (ut Lucas vocat) (c) exercitus illum contempserit, *& indutum veste alba* ad Pilatum Provinciæ præsidem remiserit. Et sane propter hunc locum statui supra * Christum Dominum communiter usum non fuisse vestibus albis; nisi forte pro *veste alba* reponi possit, *candida & splendente*: de quo nonnulla memini dixisse me supra. * Ergo remissus Christus Dominus ad Pilatum, cùm insolens populus à pessimis principibus & senioribus instigatus, ejusdem damnationem ad Crucis mortem ingenti vociferatione flagitaret; jussus est à præside, non tam odii causâ, quàm studio sedandæ multitudinis (quod optimè notavit Parens Augustinus) (d) ut flagris cæderetur. Res autem hæc, utpote præcipua in Passionibus Christi, & cujus picturæ & imagines plures sunt, attentius venit consideranda; ut propterea operæpretium sit observare, quæ magis notatione digna videbuntur.

(b) Luc. 23. 7.

(c) Ibid. v. 11.

* Cap. 9. n. 3.

* Cap. 13 n. 3.

(d) Div. Aug. in Psal. 63. ad v. 2.

3 Igitur ut tale tantumque supplicium subiret innocens Dominus, aut potius ut demissam reverentemque Æterno Patri exhiberet obedientiam; vestibus primùm exutus est, partim à se ipso, ut credere par est, partim etiam ab insanis lictoribus & ministris. An autem censendum sit nu-

ditatem hanc, sicuti & illam, quæ in aliis actibus passionis Christi, præcipue in ipsius crucifixione, totalis fuerit, ita ut relictus sit tam nudus quàm illum Mater Virgo peperit: an non totalis, sed ea tantùm quæ satis fuerit ad perferenda supplicia? non unanimiter decernunt gravissimi quique Theologi atque Interpretes: Nam scriptores aliquot è vulgo scripturientium, si verum dicere cogar, ego nihil moror. Alii enim, id neque improbabiliter, asserunt nuditatem Christi in suę sacrosanctæ Passionis gestis haud fuisse totalem & omnimodam, sed quæ satis dumtaxat esset ad perferendum probrosa diraque supplicia, manentibus obtectis illis corporis partibus, quæ retegi pudor ipse & natura vetavit. Neque contrarium (asserunt ii) decens esse, ut Christus Dominus in se ipso permiserit. Alii verò (atque ut ego existimo, longè probabilius) tuentur nuditatem illam fuisse omnimodam atque totalem, maluisseque verecundissimum atque pudentissimum Dominum, non solùm in flagellatione (de qua minus hoc ambigitur) sed & in aliis Passionis suæ gestis, adeoque & in ipsa crucifixione, ita nudum ac illum Mater sanctissima pepererat. Vocavi hoc probabilius: tum quia ita docent veteres EcclesiæPatres (e) Ambrosius, Athanasius, Augustinus, Cyprianus, Rupertus, & Eucherius, ut mittam magis recentes D. Bovaventuram, Ludolphum, aliosque inter recentiores magni nominis Theologos, Jansenium Gandavensem, Joannem Lorinum, & qui instar multorum est P. Franciscum Suarium, dictum jure meritoDoctorem Eximium. (f) Tùm quia valde est rationi consentaneum, ut Christus Dominus hoc modo voluerit nuditate suâ nostram operire nuditatem, & tale tantumque animæ sanctissimæ tormentum, quale est nudum omnino conspici etiam ab impudicissimis oculis, voluisse sustinere, Patrique offerre; ut hac etiam ratione mederetur impudentiæ nostræ ac inverecundiæ.

(e) Div. Ambr. l. 10. in Luc Athanas. Orat. de Pas. & cruce Domini. Aug l. 16. de Civit. c. 2 & lib. 12. contr. Faust. c. 263. Cypr. Epist. 63. Rup. & Euch. in c. 9. Genes.

(f) Suarez t. 2. in 3. p q. 46. art. 8. disp. 36 sect. 4.

3 Sed quod ad institutum nostrum spectat: quanvis opportunum sit & conveniens, ut hoc non ignorent animæ præsertim doctiorum & piorum hominum, non expedit tamen curiosius quàm par est, in hoc idem inquirere. Certum enim, exploratumque est, Christum Dominum non aliter in Passione suâ debere pingi, quàm obtectis, obvelatisque partibus illis corporis, quas pudor honestasque contegi jubent. Quare illum aliter depingere non modo turpe foret, sed & sacrilegum. Pingendus igitur, effigiandusque est eo, quem nuper diximus modo: quandoquidem in hoc, tùm majestati, dignitati, ac reverentiæ, tùm etiam oculorum nostrorum ęgritudini ac debilitati consulitur.

4 Ergo Christus Dominus vestibus denudatus ut subiret flagellationis supplicium, doloris plenum, insuper & ignominiæ, utpote quod non decernebatur nisi servis, ut ex ipso Jure Civili (g) constat, alligatus columnæ est: quod vetus & recepta docet Ecclesiæ traditio. In quâ columna depingenda, video passim Pictores uti parvâ quadam, ad suæ ipsorum phantasiæ modum descriptâ: in cujus Superiori parte exstat ferreus prorsus annulus, in quo innixi sunt funes, quibus est Christus Dominus alligatus. Ego verò non ita censeo: sed columnam fuisse unam ex illis, quæ erant in præsidis atrio, & quibus innitebatur superior pars porticus. Moveor ex Hieronymo, (h) qui de locis agens Jerosolymitanis, *Ostendebatur*, inquit, *illic columna Ecclesiæ porticum sustinens, infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur & flagellatus.* Nam quòd conspiciatur Romæ columna multo minor, quàm ut porticum sustinere quiret, tantùm probat esse fortasse partem illius columnæ, ad quam alligatus est Dominus. Iam nisi magnus Auctor (i) prior dixisset, dicerem planè, non impugnatione dignum esse, sed risu, asserere Christum Dominum flagellatum esse ab ipsius manu Pilati; propterea quod Ioannes dicat, *Apprehendit Pilatus Iesum & flagellavit*: quasi verò ea quæ judex jubet, aut etiam rex, supplicia, non dicantur passim fuisse à judice facta, vel eo solo nomine quod jusserit. Neque rursus, ut vulgus loquitur, & quod magis mirandum est, aliqui, qui vel maximè recusarent vulgares haberi, loquuntur, flagellatus est Christus Dominus manibus Iudæorum, sed lictorum Romanorum, aut militum; quod & in Coronatione, & in Crucifixione ipsius evidenter expressit Evangelium, ut videbimus:

(g) L. in servorum ff. de pœnis.

(h) Div. Hier. Ep. 27.

(i) Beda l. 4. in Mar. c. 44.

qui-

quinimmò Judæi, aut saltem ipsorum præcipui, tam religiosi, aut potius tam superstitiosi atque hypocritę haberi voluerunt, ut ne in prætorium quidem præsidis ausi fuerint introire. Notavit hoc Ioannes illis verbis: (j) *Et ipsi non introièrunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* E vulgaribus autem, si qui aderant, credibile est incitasse milites, aut etiam oblatâ pecuniâ corrupisse, ut eum acrius & acerbius flagellarent: sed flagellasse eos, sicuti neque coronavisse, neque crucifixisse, dicere, est absurdum. Pingendi igitur sunt seminudi, & Romano more pedes caligis militaribus obtecti, exsertis validè lacertis, & planè truculento modo verberantes.

(j) Ioann. 18. 28.

5 Circa Passionem autem ipsius Christi Domini in hoc tremendo actu atque supplicio, illud in primis est certum & omnino supponendum, flagellationem hanc gravem fuisse, & acerbam, quæ non sine ingenti, vehementissimoque dolore illata est, neque sine multi cruoris effusione, vivicibus etiam ac tumoribus. Pilatus namque Christum Dominum flagris cædi jussit eo animo, ut totius accusationis esset integra pœna, hostesque ejus Judæi placarentur, nec majorem exigerent. Verisimile igitur est, præcepisse ut flagellaretur, laceraretur, rumpereturque flagris acerbissime, & ita ut imperavit, esse factum. Cui rei prælusit Evangelicus Vates Isaias (K) illis verbis: *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostrę super eum, & livore ejus sanati sumus.* Quo fit, ut inepta prorsus, imò & parùm pia sit opinio aliquorum, qui temerè asseruerunt Christum Dominum plagas tantum quadraginta, uti pręscriptum in Lege erat, accepisse, aut trigintanovem, ut moris erat apud Judæos, qui, ne legem transgredi viderentur, non tantùm quadragenario numero plagarum non addebant, sed minuebant etiam, ut factum est in Apostolo, & ipse scriptum reliquit illis verbis: (l) *A Iudæis quinquies quadragenas, una minus, accepi.* Inepta, inquam opinatio hęc: tùm quia obstant ea quæ nuper diximus: tùm etiam quia pœna hæc non est inflicta à Judæis lege suâ agentibus, sed à Gentilibus, qui nullâ circa hæc etiam lege civili tenebantur; & quos satis constat sæpius verberibus & flagellationibus damnatos à se reos interemisse: quô frequentius nihil est in Sanctorum Martyrum Actis. Ergo pingendus Christus est acerbè & crudelissimè flagellatus, multoque sanguine madidus, multoque livore tumescens. Ast circa instrumenta flagellationis, numerumque ipsum plagarum, res piè quidem dicuntur, sed non satis certæ. Nam quod ad primum spectat, sunt qui miris modis rem describant, aut potius exsaggerent. Dicunt enim primùm, fuisse Christum Dominum funibus crassioribus cæsum: deinde additos esse scorpiones ferreos: ad hæc catenis, tribulis ferreis obarmatis; postremo spineis virgis: non quòd ii asserant quater fuisse pulsatum verberibus (nam bis fuisse alii planè docent, quanvis non firmo aliquo fundamento:) sed quòd in eadem flagellatione hęc omnia instrumenta, &, si quæ graviora sunt, sibi mutuò successerint. Verùm hæc, quantumvis sint pia meditatione cogitata, parum sunt certa, nimisque distantia à Romanorum, qui vigebant tum temporis, moribus. Abstinebit igitur eruditus Pictor, si me audit, ab his nimium excogitatis exquisitisque, parùm tamen solidis describendi modis, depingendis. Quod ne liberè dictum à me existimet aliquis, adducere hìc placet verba viri eruditissimi juxtà atque Eminentissimi, (m) quæ Italicè, ne quis conficta putet, sic habent. *Dal modo ancor può causarsi il non verisimile, di che varii esempii si scorgono in molti atti dell' istessa passione, come nel coronarlo con le spine smisurate, nell' batterlo alla colonna con flagelli inusitati, nell' inchiodarlo in croce con maniere stravaganti &c.* Latinè verò ita fermè sonant. *Ex modo etiam oriri potest inverosimilitas, cujus varia exempla observari queunt in multis ejusdem passionis actibus: veluti ipsum coronando spinis ultra modum ingentibus, eumdem ad columnam flagellando inusitatis omnino flagris, eumdem etiam crucifigendo miris atque insolitis modis.* Quare verosimilius, atque, ut mihi videtur, magis veritati consentaneum est, quod Euthymius, aliique post ipsum docuerunt, instrumenta flagellationis Christi fuisse duriores & intortos funiculos, aut lora cruda

(K) Is. 53

(l) 2. ad Cor. 11. 24.

(m) Card. Gab. Paleot. lib. 2. cap. 16. f. 180.

cruda ex bovino corio confecta; qualia ea sunt, quibus Scriptura commemorat ab Antiocho Rege cæsos fuisse sanctos ac fortissimos juvenes, (n) ubi *Contigit*, inquit, *& septem fratres unà cum matre sua apprehensos, compelli à rege edere contra fas carnes porcinas, flagris & taureis cruciatos.* Supplicium enim hoc sumtum de Christo Domino fuit, tamquam de homine vilis plebeculę, & penè servis æquiparando: hujusmodi autem homines, sicuti & servos, moris fuisse ut loris cæderentur, res est notissima. Innuit id Horatius: (o)

(n) 2. Machab. 7. 1.

(o) Lib. 3. Carm. Od. 5.

Qui lora, inquit, *restrictis lacertis*
Sensit iners, timuitque mortem.

Cęterum qui de hoc plura velit, adeat multæ eruditionis penu Ramiresii Pentecontarchum, (p) cui præiverat eruditorum ocellus Lipsius, (q) quem adire possunt docti: hæc enim satis superque sunt ad Pictorem, qui non cum vulgo sapere velit, erudiendum.

(p) Cap. 27. per tot.

(q) Lips. de Cruce l. 2. cap. 2. & 3.

6. Quod ad secundum attinet, hoc est de plagarum numero: scriptores pii, iique permulti, pręsertim è recentioribus, asserunt fuisse plagas Christo illatas in ipsius flagellatione ultra quinque millia. Hoc tamen viris gravissimis & doctis, neque ob id minus piis, planè videtur incredibile. Etenim pręterquamquod Romani (ut de Judæis nihil dixerim) non consueverunt, maximè per illa tempora, tam multis plagis verberare: Pilatus non id intendit, ut Christum flagris omnino conficeret; imò propterea flagellavit eumdem, ne illum morti traderet, necaretque; sed quoquo modo, quanvis acerbiori, servatum eriperet à Judęorum irâ, ejus necem & crucifixionem efflagitantium. Non igitur fit verisimile, neque jussisse, neque permisisse etiam tam diriter, & cum mortis evidenti periculo flagellatum iri. (r) Et quamquam nonnulli asserant revelatum hunc esse plagarum numerum pię cuidam feminæ: *tamen* (verba legis Scriptoris gravissimi, doctorisque & nomine & merito Eximii *) *neque hujusmodi revelationes feminarum cogunt nos, ut eas veras esse credamus, neque ibi dicitur plagas flagellorum, sed vulnera passionis eum numerum excessisse.* Iraque sat constat ex dictis, quę vera & magis rei gestæ consentanea sit ratio hujus facti depingendi. Sed ne quidquam prætermisisse videantur, id breviter addimus, solere nempe à viris pietate insignibus, neque indoctis meditandum proponi Christum Dominum post tam diram flagellationem in dorso, coactum esse à pessimis tortoribus, scapulis ad columnam versis, accipere toto pectore, atque etiam ventre novas dirasque plagas. Ego verò, etsi hoc factitatum legerim cum aliquibus ex Christi servis, quò acerbior atque ignominiosior esset ipsorum pœna, imò clarius etiam & spectabilius martyrium: tamen ita pingi factum cum Christo Domino probare non ausim, neque adeò ullo modo debere pingi: obstat enim, & silentium Evangelistarum, & ipsa rei inusitata illis temporibus indignitas, quæ neque asseri, neque minus pingi patitur citra solidum firmumque, vel textus sacri, vel Patrum testimonium.

r) Ludolf. Cart. de Vit. Christi part. 2. c. 58. Eckius ser. de Pas. D. & alii.

* Suarez to. 2. in 3. part. q. 46 ar. 2. disp. 35. sect. 2

7. Jam flagellatione peractâ, perpessus est Christus probrosam dolorisque plenam coronationem, quam fusè narrant Evangelistæ. In quo quidem facto doctè & cum judicio depingendo nonnulla occurrunt. Primum quidem: ad hoc factum acerbitatis atque ignominiæ plenum concurrisse totam præsidis Romani cohortem, ut dissertè constat ex Matthæo, (f) qui ita habet: *Tunc milites præsidis suscipientes Iesum in prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem.* Quod idem habet Marcus: ut vel hinc constet, permultos fuisse Gentilium Romanorum milites, qui passioni Christi Domini Servatoris sese immiscuerint: constabat enim integra cohors haud minus quadringentis vigintique hominibus, ut ex bonis Authoribus demonstrat harum rerum Author peritissimus. (t) Quare & in hoc coronationis facto, & in ipsius Christi Domini apprehensione in horto fuerit conveniens (præterquamquod est elegans) non unum aut alterum depingere, sed plurimos, ut tabulæ ferat spatium: cùm hìc congregatam fuisse totam cohortem, & illic etiam sat detur intelligi ex verbis Joannis ita dicentis: (u) *Iudas ergo cùm accepisset cohortem, & à pontificibus & Pharisæis ministros &c.* Constat etiam hinc id, cujus supra

(f) Matth. 27. 27.

(t) Lips. de Milit. Rom. lib. 2. Dial. 4.

(u) Ioan. 18. 3.

supra meminimus, scilicet Judęos, etsi authores fuerint & impulsores passionis Christi, nullatenus tamen fuisse (ut vulgus perperam loquitur, & fortè sentiunt nonnulli, qui sibi videntur non esse de vulgo) ejusdem propriis manibus executores. Incumbebat enim id munus in reos à Romanis judicibus damnatos, non aliis quàm militibus: cujus elegans locus est in Tertulliano, (x) ubi dissuadet homini Christiano ne militet, his verbis: *Et vincula, & carcerem, & tormenta, & supplicia administrabit, nec suarum ultor injuriarum.* Sed id satis confirmant Evangelia, ut planè, quod ad rem nostram spectat, eruditorum testimonia omnino superflua videantur. Deinde illud observo, quod etsi aliqui censeant, in nudum Christum Dominum, expoliatumque, ut erat à flagellatione nudatus, lusisse teterrimos impiosque milites hánc fabulam: tamen certius, & longè probabilius esse, ad illam peragendam denuò Christum denudatum fuisse vestibus, quas post flagellationem resumpserat; dicente expresse Matthæo; (y) *Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei*; quod scire Pictorem eruditum, ut ego censeo, nonnihil intererit. Rursus adnoto, quòd hęc Christi Domini per summam injuriam coronatio facta est, non in atrio ubi flagellatus fuerat, sed in ipso prǽsidis prætorio, aut sanè in aliquo ipsius vestibulo, dicente Marco, (z) & satis clarè exponente rem, illis verbis: *Milites autem duxerunt eum in atrium prætorii.* Quid autem intelligendum sit nomine pretorii, & quâ ratione locus hic depingendus veniat, diximus supra; * ut proinde nihil hìc eadem repetere cogemur.

(x) Tert. de Coron. Milit. c. 11.

(y) Matt. 27. 28.

(z) Marc. 15. 16.

* Sup. n. 1

8 Illud etiam observandum est: vestimentum illud, quod Marcus (a) simpliciter vocat purpuram verbis illis *Et induunt eum purpura*, appellari apud Matthæum *chlamydem coccineam*: & meritò. Nam licèt strictius loquendo inter purpuram vestemque coccineam discriminis nonnihil intersit; tamen apud veteres hæc duo promiscuo nomine appellata fuisse, pluribus probari posset, quæ consultò relinquimus. Fuit igitur illa *chlamys*, seu vestimentum purpureum aliqua ex illis quæ provinciæ presidi Pilato in usu fuerat, non quidem nova aut splendens, sed quæ usu ipso detrita, & fortè aliqua ex parte disrupta, non tam in ornatum cederet, quàm in derisum. Utebantur enim rectores Provinciarum aut præsides purpureâ chlamyde, ut aliquid in eis refulgeret imperatorium, quod S. Paulinus scribens ad *Licentem* satis expressit illis versibus:

(a) Marc. ib. 17.

Quanto sudoris pretio, damnoque decoris
Constet ibi chlamys, hic bonor officii.

Ipsam autem chlamydem aptè difinit Clemens Alexandrinus, (b) *Chlamys*, inquiens, *quam nonnulli penulam, aut mantellium, alii paludamentum, quidam Berum vocant, quia corpus amiciat.* Ipsa autem, quæ nihil aliud erat nisi insigne & conspicuum pallium, una tantùm ex parte induebatur, ut nunc etiam pallia solent, neque consuebatur, sed infrenabatur fibulâ, à colloque dependens, fluebat liberè per terga. Quod eleganter expressit Statius inquiens: (c)

(b) Clem. Alex. in Pædag. lib. 2. c. 10.

——— Tergo demissa chlamys.

(c) Stat. l. 5. Sylv.

Cooperiebat autem per terga corpus, non usque ad zonam, ut quidam perperam exposuerunt; sed usque ad flexuras poplitum, paulòvè infra. Plures id adstruunt: sed elegantes omnino sunt Corippi Africani versus, qui ita habent: (d)

(d) Corip. lib. 2.

Substrictoque sinu vestis divina pependit
Poplite fusa tenus, pretiose candida limbo
Cæsareos humeros ardenti murice texit
Circumfusa chlamys, rutilo quæ ornata metallo
Principis exserta vincebat lumina dextra.

Sed qui plura de Militari Imperatorioque paludamento, chlamydeque regia, aliisque id genus vestibus scire cupiat, adeat virum eruditissimum Julium Cæsarem Bulengerum, (e) qui *de Imperatore, & Imperio Romano* plenissimè scripsit. Illud certum est, reges etiam usos fuisse chlamyde purpureâ; imo & donatam hanc à Romanis Imperatoribus illis, quos re-

(e) Buleng. de Imp. & Imp. Roman. lib. 2. c. 4. & l. 4. c. 39.

reges statuere, aut declarare decreverant, ut multis probat laudatus Author. Christum igitur Dominum, quem per scurriles jocos omninoque sacrilegos impii milites, Judæorum regem per deridiculum amicire & salutare voluerunt; induerunt eum prædicta chlamyde coccinea, quæ satis constat ex dictis, qua ratione pingi debeat à Pictore erudito.

9 His ita gestis, *Plectentes*, ait Evangelista, *coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, & arundinem in dextera ejus.* Quæ fuerint hujusmodi spinæ, sanè grandes atque peracutæ, è quibus milites coronam plexuerunt, ut venerando imponerent capiti, varie ab Interpretibus discutitur; aliis affirmantibus fuisse ex marinis juncis, qui oblongas & acutas spinas habent duriores terrestribus: & ita precipuè censent illi qui putant spinas coronæ non tantùm pellem, carnemque Christi sacratissimam perforasse, sed cranium ipsum: quod minime tamen credibile videtur viro certè pio, in primisque docto & erudito: (f) Aliis verò asserentibus fuisse ex illis, quas innasci in arbore appellata rhamno, quæ in Syriæ locis crescit fortior & frequentior. Hoc secundum videtur mihi verosimilius, qui sentio cum laudato nuper Authore, spinas illas pellem (quæ non debilis est in capite) carnemque insuper Christi perforavisse; imò & quodammodo lancinasse, ut loquitur Tertullianus, (g) severus admodum author, & qui non leviter loqui solet. Non tamen os illud, quem calvariam appellamus, aut cranium. Etenim præterquamquod cuspides, quæ cranium penetrassent non poterant non inferre vulnera lethalia, quæ certè Pilatus conatus Christum Dominum eripere à morte, non solùm non jussisset (quòd enim non jusserit longe videtur verosimilius) sed neque fieri permisisset; in quod tamen inclinant Ecclesię Patres, (h) Augustinus, Chrysostomus, Leoque Pontifex: Præter hæc, inquam, quæ, amabo, spinæ essent, quæ tantam haberent penetrabilitatem atque duritiem, nisi essent, non dico marinæ, sed ferreæ? Campus etiam satis patens relinquitur, ut pingatur facies Christi Domini, caput, capillique sat deturpati & madidi ex multo sanguine profluēte de vulneribus ab spinis inflictis.

(f) P. Frācisc. Suar. ubi supr. sect. 3.

(g) Tert. de Coron. milit. sub fin.

(h) Aug. tract. 16. in Ioan. Chrysost. hom. 83. in Ioan. Leo Pap. ser. 10. de Pas. D.

10 Circa formam verò ipsius coronæ, sunt qui dicant, (i) impositam Christo in galeæ modum; ita ut fuerit non circularis tantùm sed spherica: neque solùm caput per tempora undique circumdederit, sed totum insuper usque ad verticem ipsum obtexerit. Pium hoc fortasse: neque enim de hoc disputamus, aut ullo modo controvertimus; sed (quod pace ita imaginantium dictum sit) parùm solido assertum fundamento. Etenim preterquamquod coronę omnes quibus victores, & qui præclaram aliquam operam Reipub. navaverant, à Romanis, aliisque donabantur; formatæ non erant in modum galeę, sed tantùm in circuli modum caput ambientis; sive illę ex gramine, ex lauro, ex olea, aliisve hujusmodi conficerentur; de quo argumento plura sunt apud Lipsium: (j) præter hoc, inquam, quis nesciat coronam Christo Domino per ludibrium impositam, non solùm his, quas memoravimus, sed præcipuè illis quibus utebantur Reges, vocabanturque passim diademata, fuisse simillimam? Adeò certum videtur hoc, ut, quisquis Author fuerit ejus hymni, qui in solemnitate Coronæ Domini communiter canitur, habeantur illa:

Cum spinarum aculeum
Christus pro nobis pertulit,
Per diadema spineum
Vitæ coronam contulit.

Diadema autem, vel pueris ipsis notum est, fuisse albam tæniam sive vittam, tempora totumque caput regis ambientem stringentemque. Quâ ratione Silius Italicus cecinit non ineleganter. (K)

——— *Vittaque majorum*
——— *Decoramen fronte sine ullo*
Delapsa attactu nudavit tempora regis.

Et in eodem libro:

——— *Regnique insigne vetusti*
Gestat læva decus: unguntur tempora vitta
Albenti ———

Quò respiciens Lucianus, ut signaret Alexandrum Regem diademate coronatum, illis verbis utitur: διαδεδεμένον λευκῇ τὴν κεφαλὴν *revinctum caput alba tænia:*

(i) Cornel. Jansen. Concord. Evang. c. 14. Vid. Paccieci pag. 53.

(j) Lips. de Milit. Rom.

(K) Sil. lib. 16. de bello Punic.

tænia: Immò vel iisdem pueris vulgatum est Valerii Maximi illud: (l) *Pompeio candida fascia crus alligatum habenti, Favonius, non refert, inquit, qua in parte corporis sit diadema.* Nempe suggillans Pompeium, quòd regnum affectaret adhuc in florente Republica. Quâ de re alia annotari possent prẹter illa quæ sat multa congerit laudatus Julius Bulengerus. (m) Facessat ergo, quantum mea saltem fert opinio, hujusmodi imaginatio; & pingatur Corona Domino imposita ex prẹacutis sentibus contexta, eo modo quo fieri consuevit à peritissimis Pictoribus, non in galeæ modum, sed regii diadematis caput per tempora circumdantis.

(l) Valer. Max. lib. 6.c.2.

(m) Buléng. de Imp. Rom. lib. 3.c.3.

11. Quòd per ludibrium datum sit Christo à militibus inane atque joculare sceptrum, arundo nempe, satis exprimunt Evangelistæ, dicente Matthæo, (n) *Posuerunt* (hoc est coronam de spinis contextam) *super caput ejus, & arundinem in dextera ejus*; & Marco: (o) *Et percutiebant caput ejus arundine.* Quòd autem manus ejus ante pectus fune, & quidem fortiter, obstrinxerint; non exprimunt: sed recepta communiter ab Ecclesiâ ipsa videtur traditio: cùm neque Picturæ discrepent, neque scripta. Quamobrem hoc modo Christus Dominus pingendus est in hoc passionis suæ ludibrio, &, quod ad pietatem spiritumque attinet, triumphali actu. Quæ verò in hoc expertus sit à tetris illis nebulonibus acerba & contumeliosa, tùm procacibus verbis, tùm etiam injuriosis ac supra omnem indignitatem factis, vix verbis ullis exprimi queunt, multo minus depingi penicillo. Quare legat Pictor pius atque eruditus quæ scripta sunt circa hoc ab Evangelistis, & patebit ei varius atque elegans rem describendi campus. Illud constat: Christum Dominum ita graviter cæsum atque illusum, plagis plenum atque vicicibus, multoque perfusum sanguine, productum esse à Præside, ostensumque populo ad fores ipsas fortè Prætorii, vel per longe lateque patentem fenestram, additis illis verbis, *Ecce homo.* Res est hẹc multâ consideratione longe dignissima: verùm, quòd ad Picturam attinet, error est, quem aljoqui bonus & excellens pictor admisit, teste laudato Francisco Paccieco, (p) depingere Christum absque spinea corona; cùm disserte oppositum asserat Evangelista (q) verbis illis: *Exivit ergo Iesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentum.* Quòd verò depingatur nullam arundinem manu gestans, non tam aperte damnari erroris potest, qua ratione excusari quoquo modo potest Paulus de Cespedes, qui ita depinxit: sed tamen ferendum non est; cùm Pilatus ea ratione produxerit Christum, ut populo ostenderet, veluti à suis ministris ludibrio habitum regem planè ridiculum: quod idem Evangelista expressit infra, cùm dixit: *Et dicit* (Pilatus nempe) *Iudæis: Ecce Rex vester.* Quare cum arundo speciem ostentaret sceptri in manibus Christi, dati per jocum omnino impudentem, verisimile non est, neque verum, ostensum fuisse populo Jesum Christum sine arundine, quam manu gestaret.

(n) Matt. 27.29.

(o) Marc. 15.19.

(p) Pacc. pag. 538.

(q) Ioan. 19.5.

12. Nihil acquiescentibus hostibus Christi, & ante prætorium ingenti clamore vociferantibus, ut Christus Dominus crucifigeretur; acquievit tandem non æquus judex, tulitque in eum mortis sententiam. In qua re peculiare nihil advertendum occurrit, nisi quòd cùm hoc depingitur, describi debet Pilatus Judææ Præses, pro tribunali sedens, ut disserte monuit Evangelista. Tribunal autem sedes erat, ad quam per gradus aliquot ascendebatur; ut qui de rebus ferebat sententiam & grandior appareret dignitate, & omnibus fieret magis conspicuus. An autem in eadem tribunalis sede manus laverit, quod commemorat Mattheus, non clarè constat ex Evangelista; (r) sed non ineptè colligi potest, sedentem etiam pro tribunali, jamjamque sententiam prolaturum, hanc, non à Romanis acceptam, sed à Judæis ipsis, quibuscum versabatur, ostentasse Præsidem cæremoniam.

(r) Matt. 27.24.



CAPUT XVI.

DE PICTURIS CHRISTI DOMINI AD SUPPLICIUM ducti, Crucemque bajulantis.

1 Rolatâ in Christum Dominum extremi supplicii sententiâ, exuerunt eum milites chlamayde illa, quam ei per ludibrium ante imposuerant, & induerunt eum propriis vestimentis. Totum id expressum in Matthæo: (a) *Et postquam*, inquit, *illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde & induerunt eum vestimentis ejus, & duxerunt eum ut crucifigerent.* Quæ fermè eadem sunt apud Marcum. Quæ essent vestimenta Christi Domini, satis superque in superioribus annotavimus.* Unde duo hic a Pictoribus descripta probare nequeo. Unum est, quod frequentissimè depingunt indutum tantummodo tunica, eaque violacea: cùm tamen non colore hoc (maximè si addititius & fucatus esset) usus fuerit Christus Dominus in suis ipsius vestibus, quamquam lanæ color obscurior, si ad violaceum obscurum dicatur quòd nonnihil accedebat; contentionis funem non traham. Ergo indutus prodivit è prætorio tribus, ut supra asseruimus, vestibus; tunicá nempe inconsutili, quæ fortassis fuit alba; tunicá etiam superiori, ejusdem que cum pallio coloris atque ipso pallio: quod etiam tetrici hostes Judæi curarunt (ut fit credibile) quòd ipsi imponeretur, ea ratione; ut ipso habitu, quo universo populo cognitus erat, & quo paucis ante diebus, non pluribus nempe quàm sex, quinqueve, urbem Jerosolymam populo acclamante triumphali penè modo intraverat, ab omnibus universim agnosceretut. An verò spineam coronam portaverit, cùm pergeret ad supplicii locum, Evangelistæ certè non exprimunt. Et Pictor fuit, (b) primi etiam subsellii, qui illum in hoc passionis suæ tractu sine spinea corona depinxerit. Sed pia atque uniformis est & Auctorum sententia & Pictorum ipsorum consuetudo, ut spinea redimitus corona bajulans ipsi sibi crucem depingatur: quod quidem verisimile fit ex eo quod præcipuum crimen quod Judæi Christo per summum scelus affinxerunt, erat quod se regem facere voluisset: in cujus rei illusionem imposita est eidem Christo Domino à militibus contexta corona de spinis: quam proinde longè verosimilius est, rursum eidem impositam, non sine novorum vulnerum puncturis, ad publicum spectaculum populi. Quare ut non recedat Pictor eruditus ab hac pia consuetudine, est quod suadeat; & ut recedat, nihil est quod urgeat.

(a) Matth 27.31.

* Supr. c. 2.

(b) Vide Pacciec. pag. 538.

2 Quòd crucem, in quâ figendus erat, suis ipse humeris portaverit, adeò disserte atque perspicuè monuit Evangelista Joannes, (c) ut de hoc dubitare minime liceat: sic enim habet: *Et bajulans sibi crucem, exivit in eum, in dicitur Calvariæ locum.* Putat autem Pictor non ineruditus, & quem sæpè laudavimus, (d) hoc modo actum esse cum Christo Domino, ex peculiari odio; utpote quod cum aliis malefactoribus ut fieret, non erat, neque fuit unquam in more positum. Quod, ne ipsi videamur affingere, en ejus verba Hispanicè fidelissimè excripta: *Pues saliendo el Señor: : llevando su cruz; cosa que no se hacia jamas con los malhechores, ni se hizò con los ladrones que le acompañaban, &c.* Quę ita fermè sonant Latinè: *Prodiens ergo Dominus.... portansque suam ipsius crucem; res nempè quæ fieri consueverat numquam cum ipsis malefectoribus, neque facta fuit cum latronibus ipsis, qui eum comitabantur.* Sed fallitur: Nihil enim fuit in antiquitate usitatius, quàm ut damnati ad crucem, ipsam, in qua figendi erant, crucem portarent. Artemidorus oneirocriticus, (e) *Ferre*, inquit, *aliquam drorum inferorum, malefico quidem id videnti crucem indicat: similis enim & crux morti, & qui in ea figendus, prius eam portat.* Quod idem confirmat Plutarchus (f) *Et corpore*, inquiens, *quidem quisquam maleficorum suam effert crucem,*

(c) Ioan. 19.17.

(d) Pacciec. pag. 530.

(e) Artem. l. c.41.

(f) Plut. de Tarda numinis vindict.

cem, &c. Hoc verò non solùm apud antiquos, sed etiam hodieque in usu esse apud Orientis gentes, testem habeo, & quidem oculatum. Refert enim illustris & sat notus Orientalium partium peragrator, sese vidisse in urbe Memphi, quam hodie Turcæ Cairum vocant, damnatum quemdam ad horribile illud mortis genus, quod est apud ipsos valde frequens, quo reo per obscęna infigitur palus altus ac præacutus, quo postmodum erecto, & viscera omnia ipsius corpusculi pondere perforante, prominenteque, atque exeunte, jam per humerum, jam per collum, atque aliquando per caput ipsum, damnatus miserabili morte consumitur: Vidisse, inquam, damnatum ipsum ex ipso tribunali, aut domo judicis, usque ad supplicii locum vi atque ictibus coactum, ut palum ipsum in quo affigendus erat, portare, & bajulare super humeros. Quòd si onus aliquando impatiens detrectabat, coactum rursus pugnis atque ictibus fuste impactis, ut iterum resumeret. Quod idem oculatus etiam testis magnę, imò maximæ auctoritatis mihi narravit, se vidente, contigisse durante obsidione urbis Hungariæ præcipuæ, quam Budam vocant; ubi damnatus quidam, religione, aut potius impietate, Calvinista, ob horrendam proditionem, in qua deprehensus est, ad hoc idem mortis genus pariter coactus est, ut bajularet in humeris palum, in quo erat suffigendus. Ut vel hinc appareat, quàm non solùm antiquum, sed etiam sit recenter observatum, ut damnatus ad crucem, crucem ipsam ferret: contra id quod nimis asseveranter asserit Pictor, minus in hac parte antiquitatis eruditus. Nam quod ait Latronibus, qui cum Christo tandem sunt crucifixi, non impositas esse cruces, quibus figendi erant; nullo prorsus testimonio, rationevè probat, sed potius supponit, argumento ductus planè negativo, sumtoque ex Evangelistarum silentio, qui sanè rebus Christi Domini describendis atque narrandis omnino intenti, non erat cur aliis extraneis minutius referendis incumberent: quamquam nec omnino hujusmodi rei sint obliti, dicente atque docente Luca, (g) ductos esse ad supplicium duos illos latrones; quanvis neque ille, neque alius, quòd suas ipsorum baiularent cruces: ita enim habent: *Ducebantur autem & alii duo nequam cum eo, ut interficerentur.* Ergo dum ipse Pictor, aliusvè fortassis eruditior, non probet latronibus non esse impositas cruces super humeros, contrarium omnino tenendum est: & quod ad institutum præsens attinet, depingendi sunt, suam quisque sibi crucem in humeris portans. Pingendi etiam sunt (ut id obiter adnotemus) nonnudi, quod pluribus placuisse video, sed vestiti: cùm ita plerumque deducerentur ad mortem, & non nisi paulò ante fixionem ipsam exspoliarentur vestibus: quod rectè, ut assolet, Lipsius (h) animadvertit: præsertim cùm maleficos illos eodem prorsus modo atque Christum Dominum exceperint, exceptis pauculis, quæ jamjam sumus annotaturi. Et hac ratione vaticinium illud fuerit plenissime impletum, quo aliquot ante seculis erat prædictum; *Et cum sceleratis reputatus est.* (i)

(g) Luc. 23. 32.

(h) Lips. de Cruce c. 7.

(i) Isai. 53.

3 Portavit igitur Christus Dominus Crucem, in qua tandem pro humani generis redemtione pependit, per mediam Jerosolymorum urbem, nullius adjutus auxilio. Quod enim dicitur de Simone Cyræneo (de quo statim nonnulla) egresso jam Domino, aut dum egrederetur à porta urbis, contigisse, probabilius est: sed quòd mole crucis fatigatus, cùm aliunde viribus nimium fractus ac debilis ex multis, iisque gravissimis, quæ ante perpessus erat per horas non paucas, ponderi bis, aut ter etiam cesserit, sub cruceque ipsa ceciderit; & piè creditur, & per se satis est probabile. Unde etiam & piè depingitur, objiciturque oculis, rem tam gravem tamque acerbam cum pietatis sensu intuentibus, quanvis hujus rei, quemadmodum & aliarum, expresse non meminerint Evangelistæ. Quod rursus etiam frequenter depictum videamus unum aut alterum ex militibus fuste cogentem illum ut resurgat, absurdum non est, neque id inverosimile; præsertim cum certum sit, ad crucẽ damnatos ductos sæpius fuisse ad supplicium, non sine multa vexatione, quę plerumque fiebat impactis stimulis. *Nec dubium est*, inquit eruditus, quem nuper allegavimus, (j) *quin impulerint, dejecerint, erexerint, per sævitiam, aut per lusum.* Quę autem ipse addit, digna profectò sunt ut hîc inferantur. *Pictores nostri*, ait, (*nec heri aut hodie*) *asserculum, sive tabellam imæ Christi*

(j) Lips. l. 2. de cruce c. 6.

sti vesti appingunt; quæ clavis præacutis consita, pedibus calcibusque euntis illidatur: numquid alludentes ad hanc Destimulationem? quæ tamen stimulis aliis facta. Quos oblongos, sive e sudibus præacutis, sive & ferro præfixis gestabant ad hunc usum. Sumptum à bubus, quos sic exstimulabant. Sed nisi ea Pictorum mens, ipsi vidento: ego inventiculæ ejus nec auctor sim, nec interpres. Hucusque Lipsius. Cui ego libens addo, hanc pingendi rationem in hoc casu inventiunculam plane esse, aut inventiculam, ut constanter habet editio quâ utor, quanvis correcta, falsò aut temerè à Pictoribus excogitatam: quam tamen depictam videre mihi hucusque non licuit.

4 Sed de Christo ipso Domino, cruce suâ lamentabiliter, aut potius triumphanter onusto, & ad mortis locum pergente, nonnulla, & in ipso Evangelio expresse narrata, & à pia & communiter recepta traditione referuntur, quæ omnia perstrinxit Lucas (K) illis verbis: *Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum: quæ plangebant, & lamentabantur eum. Conversus autem ad illas Jesus, dixit: Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, &c.* In hoc depingendo nullus Pictori occurrit obex, neque ullus esse potest, cùm tam disserte expresseque idem narret Evangelista. Quare sat est si proponantur mulieres flentes, aut linteis abstergentes lacrymas. Cæterùm operosum magis est quod piè creditur, imò & asseritur ut communi quadam traditione receptum. Primò enim dicitur, occurrisse illi Sanctissimam Parentem, non quidem aliis feminis, quæ referuntur, commistam, sed disjunctam ab illis, piissimo dolore tristique spectaculo perculsam. quod quidem, ut mihi videtur, minime reprehendendum est, dum tamen decorè & circunspecte fiat. Namque cùm postea describatur stans juxta ipsam Domini nostri filiique ejus Crucem, sat est credibile prosequutam eumdem, imò & illi occurrisse crucem humeris bajulanti. Neque minus credibile est, è piissimo corde prodiisse suspiria, obortasque, neque omnino repressas ab oculis pias lacrymas. Quare hoc depingi nihil inconvenit, dum tamen, ut jam monui, decorè hoc & circunspectè fiat. Nam repræsentare eamdem, ut piissimam Matrem, ita feminarum omnium constantissimam, jactatis brachiis, & vociferantis in modum, ore aperto, capillos vellicantem, aliisve indecoris modis hujusmodi; non rem ornare, ut par erat, sed planè deturpare est. Quę omnia satis concinne complexus est Hymno venustissimo in Officio de Compassione Virginis pius atque elegans Poëta, (l) cujus ea verba sunt.

Non ejulantem cernimus;
Non ungue vellentem comas;
Silensque plus novit pati
Virtus dolore fortior.

Multo minus depingenda est apprehensa, jactatavè à furente milite, soloque afflicta: cùm hęc omnia, aliaque similia, non pietatem (ut ineptè videtur aliquibus, qui non cum judicio se esse pios videri cupiunt) sed levitatem præ se ferant; & cum irreverentia, ne quid gravius dicam, aut populo dicantur, aut in Imaginibus repræsententur. Quòd verò inter illas, quæ referuntur ab Evangelista, occurrerit Christo femina quædam, nomine *Veronica*, aut, sicut aliis verosimilius placet, *Berenice*, quæ linteo faciem eius absterserit, in quo ad vivum eadem facies sanguineo veluti sudore manserit depicta; quanvis à nullo Evangelistarum enarretur, neque (quod magis est) ab aliquo veterum Patrum, receptum jam est: imò & asseritur iconem eamdem asservari, ostendique Romæ; imò, ut communiter traditur, Giennii in Hispania nostra. Quare depingi sine nota potest: & ego quidem depictum servo in tabulâ non admodum recenti; est enim, ut mihi affirmatum est à peritis, Othonis Bergamaschi, unius ex iis qui prodierunt ex celebri schola Raphaelis.

5 Ergo portavit Dominus, quantumvis laboribus, vigiliaque insuper, & horrendis verberibus fractus, suam ipsius Crucem usque ad civitatis quæ ad Calvariæ locum ducebat, portam; quâ cum egrederetur (quod non leviter colligitur ex Evangelii textu, loco que, quem statim sumus allegaturi) ab humeris Christi crucem receptam, alterius dorso imposuerunt portandam: non quòd charitate moti aut benevolentiâ, id Christo præstiterint; sed vel quòd ita debilitatum atque exanimem sentiebant quod portare ultra omnino non posset; timebantque, si magis urgeretur, inter eorum

(K) Luc. 23. 27. 28

(l) In codice officior. Ordin. B. M. de Mercede, quo utuntur PP. Galli.

eorum manus expiraturum: sive quòd accelerare magis volebant mortem (juxta quod diversimodè exponunt Patres atque Interpretes) ad totum hoc instigantibus Judæorum principibus impios atque obduratos milites Romanos. En Evangelii verba: (m) *Exeuntes autem, invenerunt hominem Cyrenæum nomine Simonem: hunc angariaverunt ut tolleret crucem ejus.* Hic Pictores nostri maxima ex parte non aliter pingunt, nisi describentes Christum Crucem super humerum portantem; Simonem autem eamdem, arrepta ipsius extremitate, portantem: quod tamen ponderis habita ratione, vix constat, juvare ne esset, an impellere, & casui relinquere magis obnoxium. Sed non est cur ad conjecturas recurrere opus sit: Lucas enim Evangelista (n) omnem dubitandi rationem adimit illis verbis: *Et tùm ducerent eum, apprehenderunt Simonem Cyrenensem venientem de villa, & imposuerunt illi crucem portare post Jesum.* Quare ut Patrum atque interpretum communior fert opinio, qui videri possunt apud Scriptorem sępè laudatum, (o) sublatam crucem ab humeris Christi, solus deinde portavit coactus, aut angariatus ad id munus Simon ille Cyrenæus. Quod & mysterio factum esse docent prædicti Patres; inter quos eleganter Ambrosius: (p) *Bonus*, inquit, *ordo nostri profectus est, ut prius Crucis suæ trophæum ipse erigeret; deinde Martyribus traderet erigendum, &c.* Quis autem fuerit ille Simon? an Iudæus, an alienigena? & quid proprius & expressè significet verbum illud *angariaverunt*? quod idem atque coëgerunt dato pretio denotat, explicare, & multis exornare, parergon est, quod non admodum, aut certè nihil refert ad nostrum institutum.

(m) Mat. 27. 32.


(n) Luc. 23. 26.

(o) Mald. in Matth. 27. col. 640.

(p) Div. Ambr. l. 10. in Luc

CAPUT XVII.

DE PICTURIS CRUCIFIXIONIS CHRISTI DOMINI, & de Sacris Imaginibus ejusdem crucifixi.

1 Entum est ad campum, ut ita dicamus, in quo, etiam inter doctos atque eruditos agitantur pugnæ non modicæ. Sed nos ad cordati Pictoris eruditionem, selectiora, probabilioraque deligemus. Principiò autem Mattheo & Marco (a) referentibus, occurrit, quòd oblatum est Christo myrrhatum vinum; seu, ut Mattheus exprimit, *cum felle mistum*; sive quòd utraque re, felle scilicet & myrrha conditum esset: sive quia id quod valde amarum est, fel sive felle commistum appellare soleamus, ut explicuit Parens Augustinus. (b) In hujus rei descriptione commemini vidisse Christum Dominum depictum exspoliatum vestibus, & lapidi insidentem. In quo quidem non bene rei gestæ consulitur. Propinatum est enim vinum hoc ante crucifixionem Christo; estque longe distinctum à potione illa, quam Joannes (c) refert, & Lucas insinuat: imo propinatum est à militibus, vel ex more observato cum damnatis ad mortem, præcipuè crucis, ut multis probat Auctor eruditus: (d) sive à mulieribus, Christum sequutis, ex pia quadam affectione, commiserationeque illarum erga Jesum; ut parùm, vel saltem multò minus sentiret horrendos illos fixionis cruciatus. Quippe vel Medicorum filiis notum est * hujusmodi vinum myrrhâ commistum nonnihil largius epotum, sensum obtundere; adeo ut tormenta atrociora minus, aut ferè nihil sentiat quicumque illo potatus est, ut referunt & non improbant viri eruditissimi. Atqui neque reis, neque adeo Christo Domino detrahebantur, aut detractæ sunt vestes ante crucifixionem ipsam, ut notum est cuivis etiam mediocriter erudito. Sed jam ad rem ipsam propius accedamus.

2 Expoliatus Dominus omnibus prorsus vestibus, non sine ingenti ignominia, novoque tormento: est enim omnino vero consentaneum, quòd expoliatio denudatioque illa ab impiis militibus facta inhumano impe-

(a) Matth 27. 34. Marc. 15. 23.

(b) Div. Aug. l. 3. de Consens. Evangel. c. 11.

(c) Ioan. 19. 29. Luc. 23. 36.

(d) Ramirezius in Pent. c. 9. pap. 93.

* Vide Galen. de Simplic. med. l. 15 c. 19.

petu, ac penè barbaro plagas illatas Christo, à quibus non modicus sacrosanctus effluxerat cruor, qui jam inter carnes virgineas vestesque ipsas concreverat, majorem in modum instauraverit: Denudatus, inquam, à furentibus carnificibus, jussus est, ut sese nudus super crucem in solo ipso jacentem extenderet. Ille, qui tamquam agnus innocens ductus est ad victimam, obstitit ac recusavit nihil, dictoque citius sese, pansis brachiis super paratam crucem, extendit. Hanc pingendi rationem libens sequor, & executioni mandatam sæpius inspexi à Pictoribus peritissimis. Nam etsi nescius non sim, duplicem fuisse in more modum damnatos crucifigendi; unum ut in jacente cruce prius figerentur, postea erigerentur in altum: alterum, ut scalis admotis, damnatum ipsum apprehensum ac levatum in cruce jam erecta defigerent: Imò neque ignorem, in hunc posteriorem modum magis inclinare virum omni laude majorem, qui de re hac accuratissime scripsit: (e) tamen in priorem modum ego magis propendeo: Tum quòd ratio id suadeat generatim loquendo. Nam, ut rectè vidit laudatus Auctor, longè facilius erat hominem supinum super crucem jacentem affigere, quàm tollere in erectam, pendulum labentem, atque etiam ut in plurimum obnitentem & reluctantem. Tùm quia frequentior hujusce rei pictura, imo & narratio contemplatioque facta à quibusque peritissimis atque doctissimis, hunc rei gestæ modum præscribit. Quod non leve auctoritatis pondus habet: cùm aliunde res ipsa probabilitatem præ se ferat. Tum etiam: quia in Sanctorum Martyrum gestis hoc ita dissertè describitur: de Sancto enim Pionio, cruci propter Christi confessionem affixo, hæc habentur in veteribus Actis: *Ultrò se vestimentis spoliavit: & in cœlum suspiciens, ac Deo gratias agens, super lignum se ipsum extendit, militique tradidit, ut clavis configeretur.* Nihil hoc clarius dici potest: sed si quid est clarius, illud est quod ibidem sequitur: *Eum igitur ligno affixum erexerunt.* Quibus simillima fortasse leguntur in aliis crucifixorum Martyrum Actis, quanvis ea hucusque videre mihi non licuerit. Tum denique: quia prædicto & descripto modo, magis (ut mea fert opinio) commendatur Christi Domini patientia, mansuetudo, atque æterno Patri exhibita summissio: magis enim longè videtur mansueti esse atque obedientis, se ipsum ultro super crucem aptare, brachia extendere, eademque clavis tradere perforanda; quàm permittere se carnificibus duci, trahique per funes in patibulum.

(e) Lips. de Cruc. l. 2. c. 7. pag. 45.

3 Sed, aut ego nimiùm fallor, aut cogitatum nostrum ipse Christus Dominus satis superque innuit. Etenim de crucifixione sui loquens, (f) *Cùm, exaltaveritis*, inquit, *filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.* Quod & alibi repetit: *Et ego*, ait, *si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Utrobique enim, etsi non incommodè, intelligi possit, exaltatum fuisse Christum Dominum in Cruce, ita ut super jam erectam & collocatam fixus fuerit: longè tamen commodius intelligitur fuisse exaltatum, si super jacentem extensus, & clavis confixus, simul cum ipsa Cruce fuerit in sublime erectus, conspectuique omnium expositus. Hoc certè, quantùm de re judicare possum, longe videtur verosimilius intendisse Christum Dominum, cùm ait, *Et ego si exaltatus fuero à terra.* Verùm, ne quovis modo videatur libere dictum, illud amplius confirmo ex verbis ipsius Domini, qui cum Nicodemo loquutus: (g) *Sicut Moyses*, inquit, *exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* Ubi planè se comparat Dominus serpenti æneo, quod Moyses exaltavit in deserto, ut refertur in libro Numerorum. (h) Nunc verò si rectè perpendantur, & intelligantur verba, quæ habentur in prædicto Numerorum loco, palam fiet, serpentem illum æneum à Mose fabrefactum per prius fuisse affixum ligno, seu perticæ, posteaque, ut populo ostenderetur, erectum: in illis enim verbis, *Et posuit eum pro signo*, est evidens allusio ad signum, seu vexillum, quod primum quidem hastæ sive perticæ prope terram impositum, elevatur postea, ut omnibus conspicuum fiat. Quâ de re multa gravis & Hebraicorum verborum energię peritissimus Interpres. (i) Ergo ut minimum longè probabilius videtur, ut dicatur, depingaturque Christi crucifixio eo quem protulimus modo: ut scilicet fixus primum super jacentem Crucem, postea elevatus sit atque ere-

(f) Ioan. 8. 28. & 12. 32.

(g) Ibid. 3. 14.

(h) Num. 21.

(i) Hier. Oleaster ad. h. loc in polit. lit. r.æ pag. 500.

erectus, sive, ut ipse inquit, exaltatus, infixa extremitate Crucis super terram, cuneisque fortiter constricta, quò permaneret haud facilè mobilis.

4 Pluscula sunt, de quibus admonendi sunt Pictores circa Picturam effigiemque Christi Domini nostri Crucifixi; quæ sanè frequentior est inter Christianos: quo nomine solùm Orthodoxos intelligo. Nam reliquos qui Christiani audire volunt, & Christi venerandas Imagines non modò rejiciunt, sed & conspurcant, & in eas ferino quodam œstro debacchantur, quid hic memorare attinet, aut in illis confutandis tempus insumere? Fecerunt jam pridem hoc viri & pietate & doctrina clarissimi. Nudum, vestibusque suis spoliatum crucifixum esse Christum Dominum, tam certum est, quàm quod de fide: neque enim aliter Evangelistæ rem gestam enarrant, ut videri in illis satis superque potest. Matthæus, (j) *Postquam autem*, inquit, *crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes*: & Marcus, *Et crucifigentes*, ait, *eum, diviserunt vestimenta ejus mittentes sortem.* Quibus eadem omnino consentanea habent Lucas & Ioannes, ut infra magis annotabimus. Quare minus est, ne quid amplius dicam, veritati conforme pingere Christum crucifixum tunicâ oblongâ indutum, operto tiara capite, calceatisque pedibus: nisi forte hoc (quod magis verum puto) referendum sit ad aliquid symbolicum significandum, quale est imperii dignitas Christi Domini, quæ eidem in Cruce obtigit: juxta quod ipse dixerat: *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Quod idem omnino dicendum est de aliis Martyribus crucifixis; cùm lege moribusque esset receptum, nudos & nullo modo vestitos damnatos crucibus adfigi. Quod si vestitos, & propriis indutos ornamentis depingi curavit Auctor pius, elegans, atque eruditus, (K) non ea ratione ductus est, quòd ita putaret esse factum; sed aliis piis prudentibusque rationibus, quas ipse in Prologo perstrinxit paucis verbis: sunt autem hæc: *Primùm quidem, quod quamquam mos fuerit apud antiquos, ut qui in crucem agendi essent, omni corporis amiculo spoliarentur; nobis tamen vestitus exprimi debere visum esse, habita quidem ratione vestimentorum pro uniuscujusque dignitate, munere, ac natione: quòd id ad honestatem maximè faceret ac dignitatem.*

5 Quod si alicubi servandum esset, præcipuè hoc, locum, & quidem pudori ac rationi consentaneum, habere deberet in feminis, propter rationes plusculas, quas tradidimus supra *lib.*1. *cap.*5. agentes de nuditate corporum. An autem hæc nuditas corporis Dominici in Cruce pendentis totalis omnino fuerit, necne, non est cur hic multis curiosius vestigemus. Sat multa diximus supra, agentes de ipsius flagellatione, * quæ proinde Lector recolat: nobis enim tædiosum est actum agere, dictaque repetere. Illud tantummodo addidisse liceat, inane atque ineptum esse, Christum in Cruce depingi cum femoralibus, quanvis cum illis & eumdem fuisse crucifixum, imò & sepultum, apud Auctorem bonum doceatur & referatur docuisse auctor gravior atque eruditior. (l) Quod idem ego libens extendo ad aliud genus vestimenticuli, quod magis feminis quàm viris convenit, & quod Hispani vocamus *Enaguillas*. Inventiunculæ enim omnia hæc sunt, quæ certè videntur, non tam à pietate, quàm ab ignoratione proficisci. Cordati igitur atque eruditi Pictoris erit, coxis sacrosancti Corporis admovere panniculos, eo fere modo quo plerumque fit ab his qui sunt Artis non omnino rudes aut imperiti. Quòd si aliquando, sive per Artis ostentationem, sive per aliud quodcumque momentum, excogitatum non sat prudenter neque verecunde factum est, ut Pictor, Sculptorvè Catholicus pinxerit, aut sculpserit Christi Domini è cruce pendentis imaginem omnino nudam, etiam quoad illa quę pudor honestasque contegi suadent; hoc numquam à Pictore Sculptorevè trahendum in exemplum erit: imò verè prudentis atque pii erit hujusmodi nuditatibus velum obtendere. Neque id omitti poterit sine cujusdam specie flagitii. Quâ in re, quod ad eruditioris cujusdam doctrinę specimen attineat, referre non gravabor id quod literarum monumentis consignatum reliquit vir sæpè laudatus, (m) eruditionis, & Pictoriæ Artis scientia commendabilis. Ita enim habet (libet enim ejusdem verba His-

(j) Matth 27. 35. Marc. 15. 24.

(K) P. Bartholom. Riccius a Castro ficardo in Proœm.

* Sup. c. 15. n. 2.

(l) Abulensis p. 5. cap. 42. apud Ioan Iac. Chifflet. in Crisi Historic. de linteis sepulcra lib pag. 197.

(m) Pacecc. Histor. de la Pintura pag. 622.

panica Latina transcribere) *In ara quę est trans Chorum magni Templi regię domus Scorialensis , collocata est imago marmorea , ad justæ naturalisque staturæ mensuram exacta , quam Hispaniarum Regi Catholico Philippo Secundo , merito cognomine Prudenti transmisit magnus Ethruriæ Dux : & erat opus Benevenuti Celini Sculptoris insignis. Hanc ut videret & contemplaretur , ingressus est aliquando idem Philippus Hispaniarum Rex , cui comites aderant Infantissæ Flandriæ ac Sabaudiæ. Verùm cum jam Rex nosset imaginem illam omnimoda nuditate , parumque pudoris ratione habito , repræsentare Christum Dominum crucifixum ; antequam feminę Principes accederent , ne parum decoro , & inverecundo offenderentur adspectu , Rex æquè pius ac prudens linteolum , ad id fortasse paratum è sinu extulit , suisque ipsius manibus aptavit illis partibus quæ obvelatæ debuissent exsculpi. In cujus rei memoriam prudentis sanè , ac piæ , linteolum regium ibidem mansit , quanvis postea adornata fuerit effigies aptiori ac majori velamine. Quod accepi* (concludit eruditus Author) *à Riligiosis viris ejusdem domus, cùm ego, & qui mecũ aderant comites prædictam imaginẽ oculis attentius perlustraremus, anno* 1611.

6 Quod Christo Domino in cruce pendenti imposita fuerit illa spinarum corona , quam pertulit , dum à furentibus militibus illuderetur , irrideretur que , Evangelistę alto omnino premunt silentio. Pia tamen persuasio , atque quodammodo in Ecclesia recepta traditio id asserit atque adstruit. Neque id mirum: illud enim præter Tertullianum , (n) qui rem non obscurè tangit atque insinuat, dum Christus Dominus ab eo describitur , *inhęrens crucis cornibus , & corona spinea in capite ejus circumdata*: pręter illum , inquam , dissertè atque expresse docet Gregorius Magnus Romanus Pontifex , (o) qui in Orationibus (si tamen ejus illæ sunt) de Passione Christi ita habet. *O Domine Iesu Christe , adoro te in cruce pendentem , & coronam spineam in capite portantem.* Neque deest conjectura , & quidem satis efficax. Cum enim Pilatus ipse tradiderit Iudæis Christum crucifigendum , eo nomine , obtentoque ab illis falso crimine, quòd regnum Judęę , aut potius Judæorum omnium affectaverit ; hocque & nihil aliud titulus Cruci impositus prætulerit : cumque illi nihil omiserint, quod quidem Christum Dominum potuerit dehonestare , & populo irridendum traducendumque propinare : omninò est longè probabilius (ne quid dicam asseverantius) sublevatum in Cruce fuisse cum probroso illo spineę coronæ gestamine. Quod quidem , etsi multis aliis , neque infirmi ponderis , argumentis probari atque illustrari posset ; his tamen referendis supersedeo : tum quòd res communiter videatur recepta ; tùm etiam quòd eam confirment Auctores quique graviores atque pii , qui circa Christi Domini Passionem crucifixionemque minutius describendam , pias laudabilesque suas cõtulerunt operas.

(n) Tert. l. contr. Judęos.

(o) Orat. 2.

7 Majoris momenti atque moliminis est controversia illa , quæ circa Clavorum numerum , quibus Christus Dominus crucifixus est , operosa contentione versatur. Verùm antequam hanc ingrediamur , in qua quid tenendum sequendumque , non tam ex nostro , quàm ex peritissimorum virorum judicio firmissimis rationibus atque argumentis , Deo dante, ostendemus ; operæpretium erit scire, non defuisse aliquos qui vel palam negaverint , vel saltem dubitaverint, num Christus Dominus ferreis clavis Cruci affixus fuerit ; an tantùm illigatus funibus. Aliquos , inquam ; sed quos & quales? bone Deus! Nempe illos , qui non ad sacrosanctas Christi Domini crucifixi aras provoluti, ut par erat ; sed ex suilla hæreticorum hara prodeuntes, excogitarũt ridicula quęque atque absurda: ut pote quibus nihil est tam sanctum, tamque inviolandum, ut non illud statim fœdè conspurcent: impuneque dilacerent. (p) *Quis scit*, inquit concionator hæreticus , *an Iudæi Christum alligaverint Cruci?* Sed relicta in nebulonem hunc meritissima invectiva, quam æque solidè atque eleganter exequitur allegatus ad marginem Auctor , errorem hunc, & male sani capitis delirium convincit apertissimæ falsitatis atque ineptię, non jam solum Traditionis auctoritas , Patrumvè Ecclesię , unanimis consensus ; sed , quod caput est , cogitationem vento leviorem atque nebulâ , discutit atque exsufflat Evangelii textus intemerata atque incorrupta fides. Ita enim apud Ioannem Evangelistam , gestorum Christi ac pas-

(p) Ioan. Vvestfalus in Conc. de Pas. Dom. [illegible] apud Prateolum. Vide Cornel. Curt. Augustinianum, de Clavis Dominicis. An. 1670. p. [illegible]

passionum testem oculatissimum incredulus ille discipulus, qui non solùm suis ipsius oculis, sed & digitis rem omnino mirandam credere voluit, testatur, atque eloquitur, (q) *Nisi videro*, inquiens, *in manibus ejus fixuram Clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.* Tam clara sunt hæc, tam aperta, tamque omnino perspicua atque dilucida, ut eis velle aliquid addidisse, supervacanei, aut saltem non admodum necessarii laboris esse putem: illud interim admonere contentus, quâ scilicet fide Evangelii verba pertractent illi, qui ab illius; & Sacræ Scripturæ verbis ne latum quidem unguem, aut transversam stipulam fas esse discedere, crepantibus buccinis, majoribusque tibiis passim occinunt. Sed nos ad rem.

(q) Ioan. 20.25.

8 Igitur Christum Dominum affixum fuisse Cruci tribus dumtaxat Clavis, eo modo quo in Sacris ejusdem Imaginibus, quà pictis, quà sculptis, passim cernitur: ut scilicet unaquæque manus hinc inde distincto Clavo fuerit affixa, pes autem uterque uno, atque eodem valentori atque grossiori; fuerit confixus; sententia est, quam negare non possumus, hoc saltem ævo vigere magis usu receptam, & quam, præter usum ipsum, disertè atque expressius amplectuntur viri atque Scriptores doctrinâ præstantes. Hi omnes videri possunt apud Danielem Mallonium, quem sequuntur alii, prȩsertim Pictorum vulgus, qui rem hanc facto ipso comprobant; adeo, ut oppositum pingendi modum, ut parum solidum atque omninò inelegantem apertè improbent atque respuant. Cæterùm, quòd ad Pictores attinet, quorum munus, si non delectu maximo societur atque judicio, facilè, non in Pictorum, sed in fictorum levitatem atque audaciam prolabitur; videbimus postmodum ex testimoniis satis probatis, qui Pictores fuerint, qui primi ausi sint reprȩsentare Christum Dominum tribus clavis dumtaxat crucifixum. Quod verò ad Scriptores spectat, loco aliquorum, quos nuperi allegant, pios quidem, atque in sacris meditationibus exercitatos, sed non æquè versatos in antiquitatis cognitione; reponemus alios; qui (quod pace quorumcumque dictum sit) reputari debent hujus rei attentiores & magis idonei testes.

9 Quare, ut mentem nostram dilucidè aperiamus, longè magis nobis arridet sententia asserentium Christum Dominum non è tribus tantùm, sed è quatuor omninò Clavis è Cruce pependisse confixum: ita ut unaquæque manus seorsim transfixa fuerit, atque unusquisque pes clavo alio, atque alio fuerit transfixus. Hęc sentētia, quę claris atque disertis Patrum, etiā antiquorum, testimoniis innititur, Scriptorum veterum judicio comprobatur, & recepto etiam usu Pictorum atque Artificum, non solum antiquorum, Græcorum, ac Latinorum, sed etiam moderno comprobatur, ut perstrictim omnia videbimus; probanda mihi est, in primis Sacræ Scripturæ auctoritate, in ejus favorem hoc efformato syllogismo. Ex Sacra Scriptura, tum Prophetica, tum Evangelica, satis constat, Christo Domino in sua sacrosancta Passione nullum omnino ex ossibus confractum, comminutumve fuisse. Atqui si tribus tantum clavis Christus Dominus fuisset crucifixus, vix aut ne vix quidem credibile est oppositum non accidisse: Falsum ergo est Christum Dominum fuisse crucifixum tribus solùm, & non quatuor Clavis: Cumque alius modus probabilis non suppetat crucifixionis Christi; dicendum absolutè est, eumdem Christum Dominum quatuor clavis & non tribus dumtaxat (ut fert Pictorum vulgus) fuisse crucifixum. Pro assumpta, sive Majori, ut vocant, ratiocinii propositione sat apertissime est Evangelium Ioannis, Passionis Christi testis oculatissimi; ita enim habet: (r) *Iudæi ergo* (referam enim integra verba, quò magis constet narratorum consequentia atque fides) *quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur: Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Iesum autem cùm venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura; sed unus militum lancea latus ejus aperuit.* Et post pauca, *Facta sunt enim hæc*, subdit Divinus Evangelista; *ut Scriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia scriptura dicit, Videbunt in quem transfixerunt.* Hucusque Joannes

(r) Ioann. 19.31.

nes, qui quæ ex Scriptura veteri testimonia allegavit, desumpsit, primum quidem ex libro Exodi, (ſ) secundum autem ex prophetia Zachariæ. Verissima est ergo major illa propositio, nempe quòd Christo Domino in sua ipsius sacratissima Passione os ullum non confractum fuit neque comminutum. Jam quòd si Christus ipse crucifixus esset tribus Clavis, contrarium atque oppositum debuisset accidere, satis constat judicio ac ratione Anatomicorum atque Artificum. Quippe in hac passione uterque pes sanctissimus perforatus describitur atque concipitur unico clavo, eoque (ut par erat) adeo oblongo robustoque, ut longitudo ad sesquipedalem ferè mensuram se extenderet, ut non solùm terebrare debuisset utrumque pedem, sed etiam ligno altè infigi, imò illud etiam perforare, & à parte opposita (ut probabiliter fas est conjicere) retorqueri ac retundi. Grossities autem quæ præfatæ longitudini responderet, debuisset esse non modica: clavus autem hujusmodi (qui proinde magna vi, violentoque impetu infigi adigique debuisset à crucifigentibus) ut non perfringeret comminueretvè aliquod ex ossibus sanctissimis, vix aut ne vix quidem concipi potest. Cumque hoc admittendum non sit stante prophetica atque Evangelica veritate, fit consequens, utrumque Christi Domini pedem non fuisse unico atque eodem clavo confixum. Placuit hæc ratio Pictori, Artis & multiplicis etiam doctrinæ peritissimo. Sic enim habet: (t) *No ay duda sino que tiene summa dificultad (no dando lugar à milagro) clavar vn pie sobre otro junto con el madero de la Cruz, sin que al romper el clavo con la violencia de los golpes se quiebren los huessos de los pies (siendo de fè lo contrario) y es cosa que à doctissimos hombres de nuestro tiempo les hace no pequeña repugnancia.* Quæ ita ferè Latinè sonant: *Dubium non est quin sit admodum difficile (nisi quis velit recursum ad miraculum) figere unum pedem super alium, atque utrumque terebrare, lignumque ipsum, absque eo quod dum uterque pes transfigitur vi atque impetu ictuum pedum ossa rumpantur: cùm tamen de fide sit oppositum accidisse. Et res est profectò quæ pluribus ætatis nostræ hominibus, hisque doctissimis, repugnantiam ac difficultatem non modicam ingerit.* Quod quidem, ne videatur libere dictum ab homine cordato atque erudito, confirmari satis superque potest nonnullorum judicio.

(ſ) Exod. 12.46. Num. 9. 12. Zach. 12.10.

(t) Pacheco. hist. de la Pintura, pag. 605.

10 In primis enim Reverendissimus Fr. Angelus Roca, Augustinianus, Episcopus postmodum Tagastensis, in Commentariolo quod scripsit de vivificæ Crucis particula, quæ in Apostolico sacrario servatur, *Dicunt quidam*, inquit ille, *ad Christi cruciatum efferendum, & magis efferandam Iudæorum sævitiam, probabile videri tribus tantùm Clavis hanc crucifixionem esse peractam: at illi non vident, etiam hunc modum non tantùm esse ineptum, sed etiam ossium fracturę oppidò accommodum: cùm tamen ex Propheta, & Prophetæ Interprete Ioanne manifestum sit, nullum Christi corporis os confractum fuisse.* Quam eamdem sententiam tuetur doctissimus Magister Fr. Vincentius Durangus, sacri Ordinis Prædicatorum Conventus Sancti Pauli Hispalensis Prior, (u) illis verbis: *Alterum quod me in hanc sententiam movet, illud est: quòd si confixi fuissent pedes, unus superpositus alteri, clavus qui utrumque pedem confixisset, debuisset esse oblongus, admodumque robustus; & consequenter utrumque pedem ruptis ossibus dilacerasset &c.* Quod idem eleganter atque urgenter prosequitur ibidem. Cui omnino consentit (ut plusculos alios mittamus) is qui per id temporis ex Ordine Seraphico vigebat & degebat Hispali, cujus nomen scire non licuit; sic enim habet: *Atqui clavus unicus super utrumque pedem, eo ferè modo quem nunc videmus, impossibilitatem ostentat, moraliter loquendo, nisi recursus fiat ad miraculum, quod hic adstruere nil necesse est. Atque impossibile est*, (subjungit ibidem) *utrumque pedem uno clavo perforare absque eo quod, aut in alterutro, aut in utroque ossa disrumperentur: & prophetiæ veritas non staret, qua dictum est, Os non comminuetis ex eo.* Quod idem alii eadem ratione luculentissime confirmant. Atque ille vulgatus utrumque pedem Christi Domini uno tantùm clavo transfigendi modus, sat falsitatis ex ipsa sacra Scriptura convincitur.

(u) Apud Pacc. pag. 631.

11 Addo illud, quod etiam ex Evangelio petitur; nimirum quòd Christus Dominus crucifixus est à quatuor militibus; ita enim habet incon-

concussis verbis: (x) *Milites ergo cùm crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus (& fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem) & tunicam.* Ergo consentaneum rationi & veritati est, quòd sicut quatuor fuere milites Christum crucifigentes, juxta quatuor membra crucifigenda: ita quatuor, & non minus, fuerint clavi qui adacti sunt; nimirum ad unamquamque manum unum, unumque ad unumquemque pedem. Ratiunculis & conjecturis hæc probare promtum erat. Verùm sat fuerit, quod homo gravis admodum & maturi judicii, doctrinaque clarus in paucis, ex hoc numero quaternario militum, quatuor omnino fuisse clavos, qui membra Domini Cruci affixerint modo nuper dicto, plenissime statuat: is est Cardinalis Toletus, (y) qui sic habet: „Quare autem quatuor „fuerint (*nempe milites*) ea mihi cau„sa non improbabilis visa est, quia „quatuor fuerat Dominus clavis cru„cifixus: simul enim manus & pedes „affigebantur. Quanvis tres fuisse „clavos multi affirment, tamen pro„babilius mihi visum est fuisse qua„tuor. Id quod significare satis vi„dentur Ruffin. *lib.* 1. *Hist. cap.* 8. & „Theodoret. *lib.* 1. *suæ Hist. cap.* 8. „singuli autem milites simul occu„pati erant, &c. Ut proinde veræ, nostræque sententiæ hoc etiam ex Evangelio quatuor statuente milites in Christi crucifixione, robur accedat.

(x) Ioann. 19.23.

(y) C. Tolet. in Ioa. c. 19. fol. 496.

12 Quare hanc eamdem sententiam, quæ vera atque explorata jam cuivis docto videri potest, non pauci ex sanctis ipsis Patribus amplectuntur: Cyprianus, (z) ipsum Dominum depingens crucifixum, *Clavis*, inquit, *sacros pedes terebrantibus.* Ad quæ verba Jacobus Pamelius, non obscurus ejusdem Interpres, *Fuit*, inquit, *Author in ea sententia, quòd non unico, sed duobus clavis pedes Christi terebrati fuerint.* Atque aliquid de suo adjiciens eruditus interpres, *Certe*, ait, *confirmatur id ipsum vetustissimis quibusdam picturis.* Augustinus Parens, (a) *Immaculata*, inquit, *Christi vestigia diris confixa clavis*, ubi pluralem numerum idem apertissimè statuit: idemque ejusdem Magni Parentis alia verba confirmant, (b) quæ ita habent: *Cur, ò anima mea, te præsertim non transfigit gladius doloris acutissimi, cùm videre nequires violari clavis pedes, & manus tui plasmatoris!* Gregorius Turonensis meridiana luce clarius rem ipsam exponens, (c) *Quod clavi*, inquit, *Dominici quatuor fuerint, hæc est ratio: duo sunt affixi in plantis, & duo in palmis.* Idem prorsus asserit primariæ omnino dignitatis Doctor & assertor, nempe Innocentius Tertius Romanus Pontifex, * qui non pietate minus, quàm doctrinâ clarissimus, *Fuerunt*, inquit, *clavi quatuor; quibus manus confixæ sunt, & pedes adfixi.* Mitto alios plurimos, qui, quòd non ita dissertè, sed aliquantulum subobscurè loquuti fuerint, nolo pro re hac producere testes. Sed mittere, indictosque transire nec volo nec possum præcipua doctrinæ ac sanctimoniæ laude commendandos duos, qui modum hunc cogitandi, adeoque pingendi, dissertissime exponunt. Ii nempe sunt Rupertus Abbas, Cardinalisque Bellarminus: prior enim exponens illa verba prophetiæ Amòs, *Vidi Dominum stantem super altare*, eleganter pieque, ut assolet, rem totam edisserit, *Magna*, inquiens, *verè visio per hoc ostenditur. Quærimus ergo, ubi vel quando factum sit tale quid, cujus in signum stans Dominus super altare, videri debuerit? Quærentibus autem in toto Christi Evangelio, vel in omni Evangelicæ gratiæ sacramento, nihil tam magnum, nihil tam evidens, secundùm hujus visionis proprietatem, nobis occurrit, quàm schema, vel habitus Domini nostri Iesu Christi crucifixi. Crucifixus namque & sacrificium pro nobis factus, super altare Crucis stetit, statione difficili, statione laboriosa: sibi diligenter animadvertendum, neque unquam oculis mentis nostræ debet abesse stationis illius spectaculum. Pendebat, & stabat manibus ad Crucis cornua confixis; pedibus ligno suppedaneo per clavorum fixuram cohærentibus, in modum stantis. Taliter stans, ipse hostia, Crux verò altare erat.* Libuit integra verba transcribere, utpote quibus nihil dici potuit verius & elegantius. Posterior autem, quanvis dignitate superior, atque eruditione cuilibet comparandus, (d) „De structura igitur (inquit) „Crucis communis veterum senten„tia est, quod ex tribus lignis con„stiterit; uno oblongo, in quo cor„pus crucifixi extendebatur: altero trans̶

(z) D. Cyprian. ser. de Pas. D.

(a) D. August. lib. 6 Medit.

(b) Ibid. c. 41.

(c) Gregor. Tur. de gloria Mart. lib. 1. c. 6.

* Innoc. III. serm. de Uno Mart.

(d) Card. Bellar. in Procemio ll. de septem Chr. Verb. qui prim. Romæ prodiit 1618

„ transverso, in quo manus figebantur: tertio affixo ad partem inferiorem, in quo pedes crucifixi quiescebant, sed clavis confixi, ne dimoveri possent. Ita tradunt Patres antiquissimi Sanctus Justinus, & Sanctus Irenæus: qui authores satis apertè indicant, utrumque pedem supra scabellum stetisse, non unum pedem super alterum. Ex quo sequitur, clavos Christi quatuor fuisse, non tres tantùm, ut multi existimant; qui ea de causa pingunt Christum Dominum ita Cruci affixum, ut unum pedem super alterum habeat. Sed apertissimè contra sentit Gregorius Turonicus, & confirmatur ejus sententia ab antiquis Picturis. Vidi ego ipse Parisiis in Bibliotheca Regia antiquissimos Evangeliorum libros manuscriptos, in quibus pictus erat frequenter Christus Crucifixus, & semper cum quatuor clavis. Hucusque Bellarminus.

13 Quamobrem quod ad intentum hoc pertinere palam videatur, & ad plenissimam sacræ imaginis Crucifixi, quæ longè est omnium frequentissima, elucidationem spectet; placet hîc breviter perstringere illud quod hi duo gravissimi Authores annotatum voluere: nempe Christum crucifixum fuisse eo modo quo repræsentaretur in modum stantis: qui ea ratione contigit, ut fixus fuerit pes unusquisque breviculo scamno, aut ligno suppedaneo, quod firmiter Cruci ipsi, utpote clavis confixum, adhærebat. Qui modus ad homines crucifigendos passim in usu fuit, ut viderunt Authores doctissimi, quos tandem, re melius inspecta, sequitur eruditorum coripheus Justus Lipsius: (e) & planè censet cum Christo Domino sic fuisse actum, videri sibi longe probabilius. Sanè hunc modum crucifigendi, ut vidit Bellarminus, amplexus est vetustus Author Irenæus (f) qui ita loquitur: *Ipse habitus Crucis fines & summitates habet quinque: duos in longitudinem, & duos in latitudinem, & unum in medio, ubi requiescit qui clavis configitur.* Cui præluserat Justinus Martyr, (g) qui „ Rectum in Cruce (inquit) unum est lignum, à quo est suprema pars in cornu sublata, cùm alterum ligno aptatum est, & utrimque tamquam cornua illi uni cornu conjuncta extrema apparent. Et illud in medio defixum, & ipsum tamquam cornu eminet, in quo requiescunt & innituntur crucifixi. Clarius autem postea eamdem rem docuit, atque asseruit Gregorius Turonicus: (h) *In stipite*, inquit, *erecto foramen factum manifestum est: pes quoque parvæ tabulæ in hoc foramen insertus est: super hanc verò tabulam tamquam stantis hominis sacræ adfixæ sunt plantæ.* Quo clarius nihil dici potuit. Subscribit etiam supra allegatus laudatusque Pontifex Innocentius, (i) dum inquit: *Fuerunt in Cruce Dominica ligna quatuor; stipes erectus, lignum transversum, truncus suppositus, & titulus superpositus.* Ubi sententiam nostram, & suppedaneum asserculum ipsa luce clarius confirmat.

(e) Just. Lips. in notis ad lib. 2. de Cruce, c. 9.

(f) D. Irenæus.

(g) D. Justin. in Dialogo.

(h) Greg. Tur. de glor. Mart. c.

(i) Innoc. III. serm. de Un. Mart.

14 Quæ cùm ita sint, non est cur à nostra hac sententia deterreat Imaginum Christi Domini Crucifixi cum tribus tantummodo clavis ingens numerus, qui ab aliquot seculis conspicitur, & cujus pingendi rationem sequuti sunt clarissimi Pictores & Sculptores ubivis gentium. In primis enim vetustiorum seculorum Imagines venerandæ contrarium adstruunt, atque oculis exhibent, non tantùm apud Græcos, apud quos (ut sunt antiquorum rituum, morumque tenacissimi) nulla de re hac existit ambiguitas; sed etiam apud Latinos, Italos nempe, Germanos, Belgas, Gallos, Hispanosque nostros: quod plurimis productis exemplis illustrare costati sunt viri admodum docti, infraque memorandi. Deinde hodie apud plurimos, penes quos magis viget hujusmodi rerum exactior inquisitio, non aliter pingitur Christus Dominus crucifixus, quàm hoc nostro, quem descripsimus, modo. Ita planè videtur in Imaginibus, aut penicillo factis, aut ære subtilissime incisis, aut etiam ex argento, ebore, aliaque crebrò materia fabrefactis, quæ passim non admodum paucis ab hinc annis cernuntur factæ, præsertim apud Belgas, & apud Gallos, fortasse & apud alios, in quibus constantissimè Christus describitur segregatis pedibus, atque unoquoque eorum ad suppedaneum illud asserculum clavo separatim transfixo: hoc uno tantùm interveniente discrimine, quòd in earum aliquibus, brachia Christi

Christi Domini repræsentantur in altum extenta, plus fortasse justo; in aliis non item, sed modicè sublata. Circa quod eruditi pictoris judicandi atque statuendi integrum manebit arbitrium.

15 Neque refert quicquam, si adversus ea quæ adstruximus hucusque objecerit aliquis: Primò quidem: quod stante Imaginum Crucifixi cum tribus tantùm clavis depicti, tam grandi, tamque copioso numero; videtur opposità pingendi ratione induci novitatem, quę vel eo solo nomine deberet à viro cordato non admitti, sed omnino respui. Deinde: quòd si verum est, quod Christus Dominus non tribus tantùm, sed quatuor Clavis fixus fuerit, ut tot tantisque momentis rationis atque authoritatis adstruximus; profectò non apparet origo unde contrarius, & jam penè apud omnes receptus mos oppositæ rationis pingendi fuerit introductus: cùm tamen extitisse aliquam, aut omnino probatam, aut probabilem, sit verò maximè consentaneum. Non, inquam, hoc refert: Nam hæc quantulacumque sint, aut sanè videantur, non ægrè diluuntur. Ad primum enim reponimus, quod repræsentare Christum Dominum crucifixum, ut verè fuit, non cum triplici, sed quadruplici clavo, non est ullo modo novitates inducere, sed veram germanamque antiquitatem sequi, atque præferre: imò explodere est quidquid novitatis introductum est post multa secula ab iis, qui vel falsa imaginatione abrepti, vel rerum ignoratione acti, vel, quod deterius est, malitiâ corrupti, prędicto, & reprobato à nobis modo Christum Dominum repræsentaverunt crucifixum: quod magis constabit ex dicendis. Ad secundum constanter dicimus: non uno ex capite ortum traxisse hanc Crucifixi Domini repræsentationem tribus dumtaxat clavis confixi. Primò enim aliqui rerum gestarum veritati non admodùm intenti, sed suæ potius phantasiæ atque imaginationi nimium obsequuti, crucifixionem hoc pacto repræsentaverunt, quòd illis videretur elegantior (ut ipsi loquuntur) aptitudo, & crucifixi corporis positura: alia autem, & vera, videretur ineptior & frigidior, & in qua non adeò patens artis ostentationi locus esset, ut rectè vidit laudatus sæpè Author, eruditum Grethserum allegans. (j) Alii verò eumdem pingendi modum amplexati fuerunt, pietate quadam, quamquam non admodum eruditâ, manuducti; quòd nempe talis cum tribus clavis crucifixio visa sit illis truculentior crudeliorque, adeoque aptior ad Christi Domini cruciatus efferendos, & magis efferandam Judæorum sævitiam, qui militibus ut ita fieret persuaserint, ut supra vidimus ex laudato Angelo Roca. Alii ad nihil horum considerati us attendentes, usui ac consuetudini tantùm inservierunt, inserviuntque passim; illis prorsus simillimi, qui (quod ait Seneca) ad destinatum finem eunt quà itur, non quà eundum est. Quod etiam ad rerum ignorationem spectat. Sed quod magis mirandum est, adeo, ut qui rei ignarus hæc legerit, extasi atque stupore replendus prorsus videatur, illud est, quod Imaginum Christi Domini cum tribus tantùm clavis crucifixi authores, non solum plurimi, sed omninò primi, non ex ignorantia, multoque minus ex pietate; sed ex malitia deterrimoque in Ecclesiam Catholicam odio, fuerunt hæretici Albigenses. Et quem, in quis, tantæ rei (nam aliquis, isque magnus ut existat necesse est) producis atque adducis testem? Nempe omnium in re hac longè optimum, omnique exceptione majorem. Is est Lucas, iisdem hæreticis contemporaneus, dictus ab Episcopatu, qui est in Gallecia partibus, Tudensis, vir pietatis multæ atque eruditionis eximiæ, & de quo par est credere, neque in re tanti momenti deceptum fuisse, nec voluisse decipere. Is igitur, ut plura nunc, quę non tam præsentis instituti videntur, omittamus, ita habet: *In derisum etiam & opprobrium Crucis Christi, imaginem Crucifixi unum pedem super alium uno clavo figentes, aut evacuare, aut in dubium ducere fidem sanctissimæ Crucis, & sanctorum Patrum traditiones novitatum diversitate superinducta contendunt, &c.* Quod idem, paucis interjectis, repetit, *Fecerunt*, inquiens, *tum temporis supradicti hęretici Crucem cum tribus brachiis tantùm, in qua erat imago uno pede super alium tribus clavis eidem cruci affixa, quę brachio eminentiori carebat, quam venientes populi loco Crucis Christi devotissimè adorabant &c.* Atque alio tandem loco de iisdem hæreticis Albigensibus, quos novos Manichæos appellabant, sermonem instituens, *Alii*, inquit, *nulla fulti*

(j) Pacc. pag. 619.

fulti authoritate, asserebant tribus tantum clavis cruci fuisse affixum, & non dextrum latus ejus, sed sinistrum lancea vulneratum. En quos, qualesque prorsus Authores habeat modus jam vulgatus pingendi Christum Dominum tribus dumtaxat clavis Cruci suffixum: Et en tandem quæ perstrictim dicenda habuimus circa rem hanc, à pluribus hinc inde controversam. Qui de ea autem volet plenius atque ad satietatem erudiri, videat duos, qui de eadem plenissime scripserunt, hoc est, Franciscum Pacciecum, Corneliumque Curcium Augustinianum Belgii Provincialem: nobis enim jamjam ad alia gradum facere convenit, si tamen prius liceat hoc unum admonere Lectorem: nempe quòd imagines Christi Domini cum tribus solummodo clavis crucifixi errorem quidem, ut sat probavimus, continent in Historia atque in descriptione rei gestæ; non tamen idcirco connumerandæ sunt inter eas, quæ periculosi erroris ansam præbent, eo nomine, quòd hujusmodi pingendi modus primitus ab Hæreticis fluxerit. Tametsi enim id illis temporibus contigerit, in quibus prædictę hęreses grassabantur, jam nullus omnino est qui eo pravo fine, quo ducebantur Ecclesiæ hostes, sequatur hunc pingendi modum: imò pauci sunt admodum, qui fortè sciant illum ab Albigensibus primitus adinventum: sed ut ita faciant, vel pietate solùm, vel imitatione moventur. Quare, quod reliquum est, optandum videtur ut sacrę Imagines Christi Domini Crucifixi posthac modo quem adstruximus à Pictoribus Sculptoribusque efformentur. Cæterùm erroris præsertim periculosi damnare eas, quę hactenus effectæ sunt, neque ego ausim, neque bono jure quivis cordatus & pius audere poterit.

16 Statuta igitur atque stabilita Christi Domini Crucifixione cum quatuor omnino clavis, imo & cum ligno sive asserculo suppedaneo, quod nobis visum est longè verosimilius; illud restat, de quo Pictores Sculptoresque sacrarum Imaginum admoneam: nempe rem esse supra quam dici potest ineptam atque ab rei veritate nimis abhorrentem, depingere Christum Dominum, non facie tantum, sed toto etiam corpore (ut vulgò fit) veluti omnino intactum, coloreque vigenti & succulento, atque (ut ipsi Pictores vocant) morbido. Apage, obsecro, male cogitantis animi inconsiderantiam. Christus Dominus non ita prorsus in Cruce pependit, ut vulgariter pingitur; sed ad exemplar amoris & patientiæ laceratus, conscisus, & contusus vulneribus, plagis, & vivicibus: quod quidem multis hic confirmare atque ostendere necesse non est; præsertim animo seriò consideranti, quot & quanta ante ipsam Crucifixionem mala pertulerit. Nonnulla, quæ rem hanc illustrare atque elucidare possent, cōsultò omittimus; cùm satis superque sit, debeatque esse Evangelici Prophetæ textus, & locus, quem quia totum id mirificè demonstrat, & graphicè quodammodo depingit, integrum non gravabor adscribere: loquens enim de Christo Domino, eâ perspicuitate & claritate, quam sola Judęorum cœcitas & cordis duritia non viderit, ita dissertè habet: (K) *Non est species ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum: despectum, & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus eius & despectus, unde nec reputavimus eum.* Quibus, quanvis per se clarissimis, & ad id, de quo agimus, illustrandum atque demonstrandum accommodatissimis, & luce ipsâ, quod ajunt, magis conspicuis; (l) illa subjungit: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: & nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum.* Ubi ergo sunt qui Christum D. in Cruce pendentem eo prorsus modo depingunt, illoque corpore demonstrant, quod esset hominis nihil grave aut molesti antea passi; non verbera, non ictus, non livores, non vibices, aliaque id genus innumera? Certè qui ad hęc, aut magis profunda meditatione, aut cogitatu magis solerti affecti fuerunt & intenti, diverso modo Christum Dominum depinxerunt Cruci suffixum. Taceo enim primorum seculorum, & quæ Nicodemi vulgò feruntur, taceo veteres quasque Picturas & sculptas imagines: hoc unum non omiserim. Extra muros Albani oppidi prope Tormim fluvium Monasterium est, quod, ut ferunt, satisque costat, olim fuit Patrum Canonicorum Præmōstratensium, jam tamen diu est quod cessit Hieronymianis Patribus: ibi inter alias, easque plurimas atque optimas, imago naturalis ferme staturæ affabrè sculpta

(K) Isa. 53. 2. 3.

(l) Ibid. v. 4.

sculpta colitur Christi Dñi. Crucifixi: verum ea non solùm hiantia vulnera, profluentem sanguinem, verberum stragem, genuum excoriationem, aliaque; sed etiam vibices, ictuumque livores ita toto corpore præfert; ut non solùm affectu pio, sed horrore quodam venerabili, pavoreque, atque stupore spectantium oculos perstringat. Cujus pingendi atque effingendi rationem vellem sedulo imitaretur quisque Pictor Sculptorque Christianus, qui conaretur exhibere imaginem Christi Domini crucifixi.

CAPUT XVIII.

ERRORES ALII, QUI NON RARO OCCURRUNT circa pingendam Crucifixionem ipsius Christi Domini.

1 
Ihil est magis frequens Pictori Christiano & Catholico, sculptorique, quàm repræsentare Crucifixi Domini imaginem, vel solam, vel aliis rebus sociatam & adjunctam. Quo circa importunum, tædiosumvè reputari non debet, quod in documentis, quæ circa hoc non importunà videbuntur, nonnihil diutiùs immoremur. Principiò igitur: non desunt qui Crucem ipsam Christi Domini, non è duobus lignis se invicem secantibus, sed è duobus quidem, at uno alteri superposito, & nulla parte prominente, depingant, eô prorsus modo quo apud Græcos Latinosque pingitur T litera. Plures hujusmodi haud raro spectantur picturæ: & nos ipsi in curta, qua utimur supellectili, habemus nonnihil antiquam tabulam, cujus supra meminimus, * in qua Christus Dominus depictus est ferens sibi Crucem, quæ hoc omnino est modo depicta. Itaque asserunt, qui hanc pingendi rationem sequuntur, aut potius illi, qui ut tali modo facerent, tradiderunt quodammodo documenta pingendi; quòd Christi Domini Crux, in qua mortem passus, mortem devicit, in T literæ forma erat constructa; quæ proinde non lignis duobus se invicem secantibus, sed duobus dicto atque explicato modo constabat. Quod si extremum aliquod supereminebat, hoc non Crucis erat pars, sed tantùm referebatur ad titulum, quem supra Christi caput collocatum esse nos disertè docent Evangelia. Atque in hujusmodi opinionis robur id assumunt, aut assumere posse videntur, quòd in Ezechielis prophetia disserte illud habetur: (a) *Signa thau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus*, *&c.* Quod signum non aliud prorsus esse quàm Crucis, tradunt uno agmine Patres & Interpretes, quos omnes prævivit Maximus Hieronymus, (b) qui in ejusdem loci explicatione sic loquitur: *Antiquis Hebræorum literis, quibus usque hodie Samaritæ utuntur, extrema Thau crucis habet similitudinem.*

* Cap. 16 n. 4.

(a) Ezec. 9.4.

(b) Div. Hier. ad hunc loc.

2 Sed longè probabilius est, & (quod mea fert opinio) omnino verum, Crucem Christi Domini formatam esse è lignis duobus sese mutuò secantibus; ita ut essent eiusdem extrema, non tria solummodo, sed quatuor: neque id sine mysterio. Etenim quatuor illæ extremitates atque fines Dominicæ Crucis denotare videntur Christum Dominum totum Orbem quà late patet, & quatuor partibus terminatur atque finitur, Cruce suâ mundasse & redemisse; imò, ut Augustinus loquitur, (c) domuisse etiam ac subjugavisse. Ejusdem Magni Parentis cogitatus est, explicantis locum illum Pauli (d) loquentis de latitudine, longitudine, sublimitate, ac profundo venerandæ Crucis, quem in eodem sensu explanavit Doctor Angelicus. Sed prætereundus non est pius ac præclarus Poëta rem hanc eodem prorsus modo, imò clarius magisque dissertè elucidans, ita enim habet: (e)

(c) Div. Aug. in ps. 103

(d) Eph. 3.

(e) Sedul. lib. 5.

Neve quis ignoret speciem crucis esse colendam;
Quæ Dominum portavit ovans, ratione potenti;
Quatuor inde plagas quadrati colligit orbis.
Splendidus auctoris de vertice fulget Eous;
Occiduo sacræ labuntur sidere plantæ,
Arcton dextra tenet, medium læva erigit axem.

Qui verò pluscula de hac re fortassis, habere desideret, adeat eruditum Scriptorem Lipsium, (f) qui more suo huic rei illustrandæ non tam collegit quàm elegit aptissima: nobis enim (quod non semel præfati sumus) neutiquam placet aliorum scripta expilare, & illorum laboribus plenas ac totas margines infarcire.

(f) Lips. lib. 1. de cruce.

3 Sed esto, dicet aliquis: fuerit Crux, in qua Christus Dominus fixus genus hominum vindicavit, eo configurata modo quem diximus: Ast Latronum, qui crucifixi sunt cum eo, alio modo prorsus compactas fuisse, non ambigendum videtur. Ita enim Pictores quique Christiani in modum T literæ sæpissime depingunt. Ita prorsus, inquam; sed non rectè, neque ex historiæ ac rationis fide. Moveor ad hoc ex præclara, & jam diu in Ecclesia recepta ac celebrata historia Inventionis Sanctæ Crucis, cujus etsi Eusebius non meminerit, quod plus justo movet novatores atque heterodoxos, qui soli sibi videntur homines; cum interim aliis doctioribus minus quam pueri videantur: meminere tamen Auctores gravissimi Sozomenus, Socrates, Theodoretus, Ruffinus, & quod magis est, Divus Ambrosius. In ea enim dicitur: Sed utamur verbis ipsis receptis, probatisque ab Ecclesia in jam memorata solemnitate, quæ ita prorsus habent: *Itaque loco Crucis purgato, altè defossæ tres cruces erutæ sunt, repertusque seorsum ab iis Crucis Dominicæ titulus: qui cum ex tribus cui affixus fuisset, non appareret, eam dubitationem sustulit miraculum. Nam Macarius Jerosolymorum Episcopus factis Deo precibus, singulas cruces cuidam feminæ gravi morbo laboranti admovit: cui cùm reliquæ nihil profuissent, adhibita tertia crux statim eam sanavit.* Quo posito, atque statuto, pro opinione nostra argumentari, atque urgenter quidem, promptum cuivis ac facile est. Nam si Crux Christi Domini eâ formâ ac figurâ erat, quam nuper descripsimus; latronum verò ac malefactorum alia prorsus, nempe ea, quam *Tau* litera præse fert, quod ut ego sentio, veteres Christianos, ut ex traditione quadam receptum, latere non poterat; satis notum, imò evidens signum aderat ut Crux Christi à reliquis duabus facillime secerneretur, dignosceretùrque: Atqui non ita contigit, sed dubitatione perculsis miraculo opus fuit, ut Crux venerabilis Christi à latronum crucibus secerneretur, ac distingueretur: Ergo quia tria patibula omnino inter se convenientia ac simillima videbantur. Cùmque de Cruce Christi Domini non levibus conjecturis affirmaverimus fuisse compactam ex duobus lignis sese invicem intersecantibus, eadem prorsus figura ac forma consignanda est latronum crucibus; aut certè tam Christi Domini, quàm latronum cruces configuratæ erant ad modum literæ *T*, quod jam rejecimus, neque ipse vulgus pictorum admittit.

4 Ex quo ulterius non obscurè, ut mihi videtur, deducitur latrones illos clavis etiam fuisse confixos, & non funibus tantùm per brachia atque crura patibulis constrictos; quod postremum repræsentant imagines editæ etiam ab artificibus, sive pingendi, sive sculpendi arte peritissimis, qui certè non censentur è vulgo. Quippe si Christus Dominus confixus fuit Cruci cum Clavis, & quidem quatuor, ut latius nonnihil statuimus; hoc etiam, etsi deesset aliud, evidens signum erat ad dignoscendam distinguendamque ab iis Crucem Christi Servatoris: in hac enim solâ clavorum foramina, & terebrarum vestigia permansissent, in aliis verò non item; utpote in quibus non figenda clavis, sed loris ac funibus constringenda fuerant membra damnatorum. Sed quid opus multis? Christum Dominum, quem Evangelistæ simpliciter atque uniformiter affirmant crucifixum; clavis, & non funibus confixum Cruci fuisse Fide sanctum est, ut probavimus supra, atque evidenter ostendimus.

mus. Atqui de malefactoribus illis, qui Christo dati sunt comites supplicii, eodem prorsus loquendi genere, eodemque prorsus nomine dictum atque affirmatum est fuisse crucifixos: sic enim habent Evangelistæ: Matthæus, (g) *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones*: Marcus, *Et cum eo crucifigunt duos latrones*. Utrobique autem usi sunt Evangelistæ verbo Græco σταυροῦν, quod propriè significat *crucifigere*. Quod etiam duo alii Evangelistæ sequuti sunt. Ergo de latronibus, quantum ad hoc, quod est fixos fuisse clavis, idem prorsus judicium ferendum est: hanc enim sententiam, præter dicta, dissertè docent Patres Augustinus, (h) *Qui in semetipso* (inquit de bono latrone loquens) *erat clavis confixus, & non saucium intellectum, neque confixum sensum habebat*: Chrysostomus (i) ita de eodem sermonem habens, *Quod mente sana vigilabat Clavorum confixione constrictus, quis poterit non admirari*? Et tandem Gregorius Magnus de eadem re differens, (j) *In Cruce*, ait, *Clavi manus pedesque ejus* (nempe boni latronis) *ligaverunt, nihilque in eo à pœnis liberum, nisi cor & lingua remanserant*. Quæ, & alia, quæ produci poterant, adeò clara sunt, ut insignis Doctor Abulensis recte notaverit consuetudinem quorumdam, qui aliter latrones pingunt ligatos, & non affixos, ex indiscreta quorumdam devotione fuisse introductam, ut observavit vir semper cum laude nominandus. (K)

(g) Matth. 27. 38. Marc. 15. 27.

(h) Div. Aug. ser. 130. de tmp.

(i) Chrys. hom. 1. de Cruce & latr.

(j) Moral. lib. 18. c. 23.

(K) Suar. tom. 2. in 3. p. q. 46. art. 11.

5 Neque in oppositum movere quempiam debet (veremur enim aliquorum scrupulos) quod Christus Dominus, utpote Clavis quatuor pedes manusque perforatus, multoque sanguine largiter profluente destitutus, citius illis malefactoribus occubuit; quos ut morte consummarent, eorumque corpora de patibulis tollerentur, opus lictoribus fuit recurrere ad utriusque crurifragium: quod totum fusè narrat Evangelista; ne minori aliquo fundamento assertum videatur alicui minus in lectione sacra erudito, sic enim habet: (l) „ Judæi „ ergo (quoniam Parasceve erat) ut „ non remanerent in cruce corpora „ sabbato ::: rogaverunt Pilatum, ut „ frangerentur eorum crura, & tolle„rentur. Venerunt ergo milites: & „ primi quidem fregerunt crura, & „ alterius qui crucifixus est cum eo, „ Ad Jesum autem cum venissent, ut „ viderunt eum jam mortuum, non „ fregerunt eius crura, &c. Ex quibus videtur colligi, latrones passos in cruce fuisse non tam dira supplicia, neque dolores tam immanè acerbos, quàm sunt, qui ex terebratis manibus ac pedibus, lignoque confixis par est ut oriantur. Cujus signum est, quòd Christo Domino jam defuncto, ipsi vivi supererant: atque ut morerentur, necessarium visum est ut frangerentur eorum crura. Verùm collectio hęc, etsi nonnihil apparens, infirma prorsus est ac debilis: proindeque falsum est latrones, qui fuerunt cum Christo Domino crucifixi, non fuisse clavis confixos, sed tantùm, ut vulgariter pingunt, retortis funibus per brachia cruraque constrictos. Etenim Christus Dominus longe graviora acerbioraque passus est abs dubio, quàm ipsi; ut proinde mirum non sit, si citius ipsis occubuerit: tum quia plurima alia, eaque crudelissima atque gravissima totâ præcedente nocte totoque ante crucifixionem die ab iniquis iudicibus, deterrimis ministris, crudelissimisque lictoribus sustulit ac perpessus est: Tum etiam quia delicatioris temperatiorisque contexturæ corpus habebat, ut notant communiter scriptores & Patres, quos sequitur Auctor non ignobilis, qui de re hac integrum librum edidit: (m) Tum denique quia ille qui ad mundi redemptionem venerat, libereque pro nobis mortem Crucemque subiit, & qui proinde vere de se ipso aliquando dixit; (n) *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à me ipso*; nemini mirum videri debet, quod citius aliquanto mortuus sit, qui in subeunda morte tantum passus est quantum voluit. Quare de primo, quod ajunt, ad ultimum, fixum maneat, tàm ipsum Christum Dominum, quàm eos qui cum ipso idem genus pertulere mortis, clavis crucibus confixos esse, easque inter se fuisse similes, ita ut non facile una illarum ab altera discerneretur: quod vel maximè congruit cum illa prophetiæ impletione, qua jam olim dictum erat, (o) *Et cum iniquis reputatus est*.

(l) Ioan. 19. 31. &c.

(m) Vincent. Moles.

(n) Ioan. 10. 18.

6 Iam quod à me aliquando est observatum picturam spectante, non vulgaris certè, ut videbatur, artificis, ineptum existimo. Depictus enim in eâ erat Christus Dominus pannicu-

(o) Isai. 53. 12. Marc. 15. 28.

lo, ut par est, partes illas obvelatus, quas retegi prohibet pudor: at latrones non item, sed omnino nudi: quanvis non modico artificio, ut eædem uniuscujusque partes minus oculis repræsentarentur. Sed hoc, ut nuper dixi, mihi saltem videtur ineptum. Quod enim ad rei veritatem spectat, tam Christus, quàm supplicii comites, omnimoda nuditate, ut supra satis superque probavimus, fuerunt expositi: & quod ad oculorum offensionem attinet, eorum nullus depingi debet eo modo omnino indecoro atque inverecundo; quanvis negari etiam non posit, quòd in Christo Domino, ob illius excellentiam, majestatemque, illa indecora atque in honesta pingendi ratio reputari debeat indignior. Hic verò, ne longius provehar, opportunè mihi videtur admonendum, quâ corporis ostensione, quove situ depingendus sit Christus Dominus cruci confixus. Nam supposita etiam probabiliori, aut simpliciter vera sententia, de fixione ejusdem quatuor clavis, & de ligno illo suppedaneo; circa quæsitum hoc duplicem pingendi tationem non semel adspexi. Alia quidem, ut brachia (nam de his speciatim ambigitur) omnino extensa ad rectos Crucis angulos repræsententur; atque alia, in qua brachia ipsa cum manibus supra caput ipsum miris modis distenta provehuntur: quem postremum pingendi modum sequuti sunt Belgæ duo insignes Vvandikius & Rubenius. Ego verò, qui in rebus hujusmodi, ut in aliis etiam, numquam extrema, &, ut videtur, nimis affectata consector; auctor essem erudito Pictori illius sapientis moniti, (p) *Medio tutissimus ibis*. Hoc enim in re hac ratio naturalis exposcit; scilicet ut neque brachia, pendente ab iis corpore, non omnino recta, & nihil inclinata permaneant; sed nonnihil inflexa: & rursus non ita sursum versus protensa, ut viderentur omnino manus corporis mole ac pondere disrumpendæ.

(p) Ovid. lib. 2. Metam.

7 Cùm verò (ne hoc etiam intactum relinquamus) imago Christi in tabula depingitur, quæ urbem Jerosolymam, pro debito picturæ ornatu repræsentat; pingendus est Christus Dominus, non versa ad urbem facie, sed dorso, ut revera fuisse, spectata loci topographia, docent, qui loca illa studiosius inviserunt ac perlustrárunt. Nec sine mysterio: hoc enim in reprobationis populi pertinacis signum fore eventurum sat apertè Prophetæ prædixerunt; quale illud est Jeremiæ; (q) *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam*, & illud: *Dorsum, & non faciem ostendam eis in die perditionis eorum.* Itaque depingendus est Christus Dominus, cùm in tabula picturavè urbs ipsa Jerosolyma appingitur, dorso ipsi urbi obverso, atque Orienti, facie ad occidentem respiciens; & consequenter dexterá ad Aquilonem, sinistrá ad Meridiem extensá. Neque tam minuta hæc nos ipsi confingimus: docuere illa Auctores veteres, fideque dignissimi, (r) Sedulius, Beda, & Damascenus. Quæ proinde curanda sunt, quantum fieri posit, à peritis & veri studiosis artificibus.

(q) Jerem 12. 7. Ibid 18. 17.

(r) Sedul. l. 4. Beda 3. c. 9. Dam. de Fid. Orth. 4. c. 13.

8 Cùm juxta temporis diversitatem, & secundum contemplantium pios affectus depingatur Christus Dominus, aut vivus, aut in Cruce pendens, & in agone illo inenarrabili constitutus, aut tradito jam in manus Patris spiritu vita defunctus; satis per se apparet cordato Pictori quid in unaquaque harum imaginum repræsentatione conveniat. Vulnus enim lateris, quod militis lancea perfodit, cùm Christus non nisi post mortem acceperit, ut clarè ex Evangelio est manifestum: neque pingitur, neque pingi debet, cùm pingitur Christus adhuc vivus, Crucisque terribiles sustinens dolores. Cùm verò jam defunctus exprimitur, & inclinato supra pectus capite; depingi idem vulnus & representari consentaneum est. Quanvis enim inter ipsum tempus quo Christus Dominus exspiravit, & illud, in quo emortuo ejus Sacratissimo Corpori lanceæ vulnus illatum est, intercesserit spatium non omnino modicum, ut ex Evangelicis narrationibus probari evidenter poterat: tamen cùm Christus Dominus emortuus in Cruce depingitur, insuetum est, & fere numquam visum, ut representetur illo vulnere carens: quod vel maximè pietatem instillat, & devotionem acuit. Cui autem utriusque lateris inflictum fuerit, atque adeò depingi debeat sacrum illud vulnus, dextrone, an sinistro; res est non omnino certa atque explorata. Sunt enim qui mordicus defendant, inflictum fuis-

se Christi lateri sinistro. Quod quidem ex eo capite probant satis; ut sibi videtur efficaciter; quòd cùm homo homini collocatur adversus, quæ dextera unius manus est, sinistræ adversari correspondet, & contrà, sinistra dexteræ. Quocirca in hac ipsa subjecta materia, quando aliquis cum alio duello confligit, dexter humerus, dextrum latus, dextraque manus in sinistrum humerum sinistrumque latus naturaliter fertur, sinistroque adeò lateri vulnus infligit. Consentaneum igitur videtur, ut miles, qui dextera sua Sacrum Christi Corpus ferro petiit, non dextrum latus, sed sinistrum perfoderit. Atque id quidem ex eo confirmant; quòd, ut refert Sanctus Bonaventura, cùm Deus usus Seraphico ministerio, Seraphico servo suo beatissimo Francisco vulnera impressit; dextrum, & non sinistrum Francisci latus vulnere decoratum apparuit: sic enim habet: (f) *Statim namque in manibus & pedibus ejus apparere cœperunt signa clavorum, ipsorum capitibus in inferiori parte manuum & superiori pedum apparentibus, & eorum acuminibus existentibus ex adverso.* Notet, obsecro, quanvis sit obiter, pius atque eruditus lector locum alium, neque obscurum, neque inelegantem, ad asserendum statuendumque Christum Dominum cum quatuor potius, quàm cum tribus clavis fuisse crucifixum. Si enim secus accidisset, sanctissimus ac Seraphicus Pater non in utroque pede, sed in altero tantùm caput clavi utrumque pedem transfigentis ostendisset, qua ratione fieret expressior imago Christi crucifixi. Sed nos ad rem. *Dextrum quoque latus* (prosequitur idem Seraphicus Doctor) *quasi lancea transfixum, rubra cicatrice obductum erat; quod sæpè sanguinem sacrum effundens, tunicam & femoralia respergebat.* Quo posito, sic arguunt. Spiritus ille Seraphicus, qui beato Francisco sacra impressit stigmata, figuram atque effigiem Christi gerebat, ut per se est evidens: Ergo cùm eidem Francisco facie ad faciem objectus apparuerit, totamque rem gesserit, cùm non sinistrum sed dextrum Francisci latus recto ictu pertigerit: signum est, quòd ille non in dextro latere, sed planè in sinistro vulnus illud præse ferebat. Ex quo vlterius fit idem in Christo Domino contigisse: atque hoc modo prorsus debere pingi; ut scilicet non in dextro sed in sinistro latere sacrosanctum illud vulnus ostentet.

(f) D. Bonav. in legenda S. Franc. c. 13.

9 Ego verò, qui certè à rebus moribusque usu receptis non facile arbitror recedendum, secus omnino statuo: affirmoque Christum Dominum non in sinistro costarum latere, sed in dextro vulnus illud tantopere mirandum accepisse; subindeque pingi debere dextro, & non sinistro latere lanceâ perfosso: quanvis fortasse verum sit quod piè nonnulli meditantur, cuspidem ferri ad oppositum latus nonnihil pertigisse. Moveor ad hoc ut statim dicebam) ex non variante imaginum & Pictorum usu, qui nisi nimium fallor, hoc quod dixi semper aut fere semper (neque enim audeo tā asseveranter rem definire) repræsentat. Neque certè contrarium evincunt ea, quæ superius objecimus. Fatemur enim, quod ad primum attinet, verum esse, quòd quando aliquis cum altero duello confligit, dextera manus fertur in latus lævum. Sed dicimus, hoc ita esse; quia tunc facies faciei, & frons fronti imminet atque adversatur: alioquin si quis adversarium à latere dextro impetat; nihil prohibet quin eidem dextro lateri vulnus infligat: imò ita omninò evenire necesse est, ut patebit ad sensum rem qualicumque consideratione meditanti. Quo fit, ut si miles lanceæ vibrator, vel equo insidens, ut plerumque pingitur, vel pedes consistens (nihil enim circa hoc difinit Evangelium.) dextrum Christi latus aggressus est; necessariò debuisset fieri, ut non sinistrum sed dextrum Christi latus confixerit. Secundum autem si recta trutina perpendatur, pro nobis potius, quàm contra nos militat. Volens enim amantissimus Dominus prędilectum servum transformare quodammodo in effigiem atque imaginem Crucifixi, rem ita coaptavit atque disposuit, ut Spiritus ille Seraphicus, qui sacratissima aderat impressurus stigmata, pectoris vulnus in sinistro latere gestaret, aut potius radium illum, quo renovaturus erat lateris vulnus in carne Beatissimi Francisci: hac enim ratione pertingens ad ejusdem dextrum latus, in eo loco, quo debebat esse, lanceæ veluti cicatricem imprimeret: Ad eum ferè modum, quo sigillum, aut ærea la-

lamina ceræ admovendum, aut chartæ; id quod in cera chartavè in dextra parte debet repræsentari, in sinistra prorsus fertur atque conspicitur.

10 Redeo iterum ad Latrones, qui cum Christo Domino fuerunt crucifixi. Et quidem cum duo Fide sancta constent, nempe quòd crucifixi sint, ita ut remanserint unus à dextris, & unus à sinistris Christi Domini, ut ex Evangelistis luce meridiana clarius apparet: alterum, quòd eorum unus, adspirante Dei gratiâ ineffabili, Christi prædicator evaserit, Sanctusque & Divinitatis confessor repentè fuerit factus, socio in obstinatione sua perseverante: par est, ut ille depingatur à dextro Christi latere, versâque facie ad eumdem: hic verò, id est nequam, & qui, utpote imago Judaici Populi, *usque in finem perseverat latro*, (t) locetur à sinistris, vultuque truci in contrariam partem averso. Neuter autem, cùm adhuc vivi depingantur, ut plerumque solet, depingendus est fractis baccillo cruribus; cùm hoc nisi sub idem tempus mortis utriusque contigerit; ut nempè novo illo tormento certè horribili, dolore, atque strage victi morerentur. Id verò quod docuimus nuper de loco Boni Latronis ad Christi dexteram, mali autem ad sinistram, quanvis non defuerint, qui omninò secus accidisse contenderint (neque enim opinamentum est, quantumlibet absurdum, quod patrono careat) non conjecturâ solùm niti, sed veterum Patrum testimonio ostendere operæpretium duxi. Itaque sic expresse docent (ut de aliis taceam) duo præcipui Augustinus, & Leo Magnus; (u) prior quidem illis verbis, *Ipsa Crux, si attendas, tribunal fuit: in medio enim judice constituto, unus latro qui credidit, liberatur, alter qui insultavit, damnatus est. Nihil ergo medium erit. Similis ille latro futuris ad sinistram, similis alter futuris ad dexteram.* Posterior verò Leo nempe Magnus, (x) his quæ sequuntur: *Iesus Christus filius Dei Cruci, quam etiam ipse gestarat, affixus est duobus latronibus, uno ad dexteram ipsius, alio ad sinistram similiter crucifixis: ut etiam in ipsa patibuli specie monstraretur illa quæ in judicio ipsius omnium hominum est facienda discretio: cùm & salvandorum figuram fides credentis latronis exprimeret, & damnandorum formam blasphemantis impietas prænotaret.* Hucusque Leo Magnus; ut vel hinc appareat, quàm, etsi non impium, ineruditum est hæc, quantumvis minutiora videantur, omnino negligere.

(t) Div. Chrys. h. 2. de Cruce & latrone.

(u) Div. Aug. in c. 7. Ioan. tract. 31. tom. 9.

(x) Leo Magn. ser 4. de Pas. Dom.

11 Majus facesseret negotium imago Virginis Deiparæ stantis, ut habet Joannis Evangelium, juxta Crucem Iesu Filii ejus, si non jam viri doctissimi atque gravissimi rationis atque auctoritatis Sanctorum Patrum pondere fulti, inane quorumdam opinamentum profligassent. Pingebant enim aliqui (quod ego in vetustis tabulis non semel inspexi) Sacram Virginem Deiparam, non juxta Crucem stantem, ut par erat, sed in solo collapsam, deliquium & spasmum patientem, penèque exanimatam: rem totam ex suo ipsorum cerebro, potius cum propria ægritudine atque infirmitate æstimantes, quàm cum tantæ virginis virtute & constantia metientes. Hoc, fatemur, jam rarò spectatur in tabulis imaginibusque Christi Domini crucifixi: sed quod deterius fortasse est, haud rarò auditores Christiani auribus excipiunt à nonnullis, piis quidem, ut illis videtur, hominibus, qui dum conciones ad populum habent, hæc, aut his similia ineptissimè obtrudunt; habentes, ut loquitur Apostolus, zelum, sed non secundum scientiam: Verum hæc, ne quid gravius censeam, ineptiæ meræ sunt, anilesque fabulæ, quæ tamen usque adeo olim invaluerant; ut coactus fuerit gravis judicii vir atque Theologus (y) in hujus rei confutationem libellum conscribere: & meritò quidem. Etenim Sancti Patres jam pridem hunc opinandi, seu verius errandi modum depulerant. Ambrosius enim ita habet: (z) *Sed Maria nec minor quam Matrem Christi decebat, fugientibus Apostolis, ante Crucem stabat, & piis spectabat oculis filii sui vulnera.* Quibus similia habet aliis in locis. Anselmus, pius alioqui contemplator Marianæ pietatis ac teneritudinis, ita docet: *Inter tot pressuras filii sui constanter ipsa sola stabat in fide firma. Et pulcrè stabat, ut decet pudicitiam virginalem. Non se laniabat in tanta amaritudine, non maledicebat, non murmurabat, nec vindictam hostium a Deo petebat; sed stabat disciplinata, verecunda, virgo patientissima, lacrymis plena, doloribus immersa.* Denique, ut alios omittam,

(y) Caietan. opusc de spas. B. V. quod ultimum est t. 2.

(z) Ambr. Ep. 82. ad fin de instit. Virg. c. 7. & or. in funere Valent.

S.

S. Antoninus pietate ac doctrina conspicuus, (a) *Stabat*, inquit, *verecunda, modesta, lacrymis plena, doloribus immersa, ita tamen divinæ voluntati conformis, ut (sicut Anselmus ait) si oportuisset, ad implendam secundum rationem voluntatem Dei, ipsa filium in cruce posuisset, atque obtulisset. Neque enim minoris fuit obedientiæ, quàm Abraham.*

(a) 4. p. Theol. t. 15. c. 41. § 1.

12 Possemus Sanctis Patribus viros Catholicos atque de Ecclesia benemeritos non paucos adjungere, nisi res apud doctos piosque haberetur notissima. Unius tamen quin verba referam temperare mihi non possum: (b) *Quis ferat*, inquit, *pictorum, vel quorumdam male feriatorum hominum, pene dixerim, impietatem, qui vulsisse comas, caput defædasse, pectus contudisse, collapsam, spasmum passam, & tantum non exanimatam, alievisque fultam brachiis, ut quamlibet è vulgo matrem proponunt?* Quare siquæ verba Sanctorum Patrum, piorumque doctorum in contrarium objiciantur atque adducantur; vel pio quodam sensu interpretanda sunt, vel certè nō nimis curanda, sed prudenter prætereunda. Hi enim Patres, si qui sunt; in primis non sunt admodum antiqui: cùm tamen antiquiores non solùm illo modo non sint loquuti, sed etiam contrarium sæpius indicaverint. Deinde aliqui ex illis libris, tractatibusve, incerti sunt, fluxæque, atque ut dicitur, sublestæ fidei. Quod totum doctè, ut solet, vidit atque annotavit Doctor Eximius. (c) Unde dicta sufficiant, nobis præsertim, qui de re eadem nonnulla superius prælibavimus. * Depingenda igitur est Virgo Deipara modestissimè tristis, sed constanter stans juxta Crucem, ut dissertè loquitur Evangelium: An autem & pias aliquot lacrymas fundens, ambigi poterat; præsertim cùm id clarè negare videatur gravissimus Author S. Ambrosius (d) tritis illis verbis; *Stantem lego; flentem non lego.* At verò nihil invenio, quod hoc dici atque affirmari, atque adeo depingi prohibeat; fudisse nempè Sanctissimam Virginem pias lacrymas. Tum, quia id docent Authores Patresque supra nominati, quorum verba dedimus: tum denique quia Ecclesia ipsa id tenere videatur, cùm eidem Virgini Matri verba illa (e) adaptet in Officio Dolorum ejusdem, *Facies mea intumuit à fletu, & palpebræ meæ caligaverunt*; ut proinde nos ipsi, qualescumque simus, hoc docuerimus populum, concionem habentes, quæ typis est edita. * Et quod attinet ad Ambrosii verba, dici potest, non probavisse talem tantumque virum, ut diceretur Virginem, quæ virtutis, constantiæ, modestiæque typus erat, immoderatum planctum ejulatumve femineum edidisse; pias tamen & silenter effusas lacrymas non negasse. Quo autem loco collocari debeat in Christi Crucifixi tabula eadem Virgo Deipara, tractarunt aliqui; nec defuerunt qui assererent collocari debere ad sinistram Christi: sed ego secus omninò sentio, sequutus communem & receptam pingendi consuetudinem, quæ illam à dextris Christi statuit, mediam inter Christum Latronemque conversum; imò & rationem, piamque conjecturam: par enim erat ut inter Christum peccatoremque conversum, justumque factum, intemerata Virgo hominumque mediatrix intercederet. Sed descendamus jamjam ad alia.

(b) Matth. Galen. in Catec. 17 apud Molan. l. 4. c. 8.

(c) Suar. t. 2. in 3. p. q. 51. disp. 41. sect. 2. * Cap. 16 n. 4.

(d) De obitu Valent. prop. med.

(e) Iob. 16. 16.

* Tom. 2 Concion. nostr. ser. 22.

13 Miles unus è lictoribus spongia arundini imposita potans Christum Dominum, aut eam ori admovens, benè pingitur; cùm id dissertè referatur in Evangelio, quod sic habet. (f) *Sciens Iesus, quia omnia jam consummata sunt, ut consummaretur scriptura, dixit: Sitio. Vas ergo erat positum, aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus.* Bene, inquam, hoc pingitur; quamquam in hoc facto plura examinanda discutiendaque sese offerant, quæ, quòd propriè ad Picturam non spectant, libenter omittimus, ad sæpè laudatum Authorem (g) lectorem remittentes. Illud tamen non rectè pingitur; nempe quòd ut repræsententur sacerdotes populi in Christum Dominum jacientes convicia, depinguntur cum ornamentis sacerdotalibus, & quidem cum aliquibus, quę propria erant, non cujusvis, sed sacerdotis summi: ut illud est quod *Rationale* vocabatur. Tametsi enim certissimum sit adstitisse supplicio indignissimo, crucifixionique Christi Servatoris Judęorum sacerdotes, imò & sacerdotum principes, Christo illudentes, in eumque conviciis petulantibus debacchantes, vt satis dilucide constat ex Evangeliis: ta-

(f) Ioann. 19. 28.

(g) Suar. t. 2. in 3. p.

(h) Matth 27. 41. Marc. 15. 31. Luc. 23. 35.

(h) tamen omnino est falsum adstitisse, aut assistere potuisse, salvis eorum ritibus ac cæremoniis, ornatos vestibus, aut insignibus sacerdotalibus, quibus solum utebantur in Templo, ut docuimus supra. * Verùm Pictores non admodum hæc curant: quo fit, ut ineptos sese prodant, dum student, cupiuntque videri nonnihil eruditi. Pinguntur etiam milites taxillis ludentes, mutuoque sibi partientes Christi Domini vestes: & quidem hodierno more militum super tympanum militare. Bene hoc quidem, quod ad rem factique substantiam spectat; cùm totum constet ex narratione Evangelica: imo hujus, tamquam non postremi inter Christi opprobria, Sacer Vates prædixerit verbis illis, (i) *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Sed quod ad exprimendi pingendique rem modum attinet, non admodum rectè: cùm nec veteres taxillis nostratibus similibus lusisse satis constet, sed aliis, ut ex Antiquitatis studiosis colligitur: multoque minus verum sit, neque verosimile, jecisse talos super militare tympanum: quod nullo in usu fuit in Militia veterum. Sed tamen indulgere aliquid & condonare operæpretium est, præsertim in his, in quibus nihil periclitatur pietas & Fides: maximè quòd vix aut ne vix quidem Pictores habeant aliud, quo detur intelligi, milites qui Christum crucifixerant, jecisse sortem super Christi Domini vestimenta. Vestimenta, inquam: nam (ut hoc non omnino maneat prætermissum, quòd nonnihil etiam ad Picturam spectare videatur) bene & cum judicio annotatum est à recentioribus interpretibus, quòd non solùm tunica inconsutilis, quæ, si scinderetur, omnino maneret inutilis, uni ex illis carnificibus jactu & sententiâ sortis obtigerit; sed alias vestes (quæ ut minimum fuerunt duę) iidem milites in quatuor partes diviserunt, aut per futuras eas dividendo, aut alio quovis modo, & super illas sic divisas scisasque jecisse sortes, ne quis eorum conqueri posset deterius quid sibi fuisse distributum. Imò (aut nimiùm fallimur) vel hic est ipsissimus Evangelistarum sensus, præcipuè Marci, verbis illis: (j) *Et crucifigentes eum diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret.* Quibus non repugnant, imò mirè consonant; quæ scripsit Ioannes, qui ita loquitur. (K) *Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus (& fecerunt quatuor partes: unicuique militi partem) & tunicam.* Hoc est, post scissionem divisionemque superiorum vestium, quarum unicuique militum cessit una pars ex sortis arbitrio; ventu est ad tunicam interiorem, de qua Ioannes clarius aliis ita scripsit. (l) *Erat autem tunica inconsutilis de super contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem: non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit.* Videatur præter alios Doctor Eximius. (m)

* Cap. 4. n. 7.

(i) Psal. 21. 19.

(j) Marc. 15. 24.

(K) Ioan. 19. 23.

(l) Ibid. v. 24.

(m) Suarez de vita Christ. q. 46. art. 11 disp. 37 sect. 3.

14 Duo, quod ad rem præsentem attinet, annotanda hic atque examinanda supersunt. Primum est circa titulum superpositum capiti Christi Domini, quem integrum non alium fuisse, quàm illum, qui refertur à Ioanne, nempe IESUS NAZARENUS REX IUDÆORUM, receptum hodie atque inconcussum est, ut pote qui adhuc superest, & Romæ ostenditur: de quo nonnulla recentiores Interpretes. Et cùm Fide constet, titulum hunc scriptum fuisse tribus linguis, Hebraica nimirum, Græca atque Latina (qua de re, atque de eius mysterio multa, eaque præclara, dicta sunt etiam à veteribus Patribus:) Pictores tamen nostrates frequentius illum breviant, scriptis tantùm primis uniuscujusque dictionis literis, hoc pacto I.N.R.I. Neque hoc videri absurdum potest; solemne quippe fuit Romanis, præsertim in lapidibus, aut tabulis, sententias integras per compendia, ut vocabant, sive per initiales literas, quarum unaquæque uni dictioni responderet, scribere. Res est vulgarior quàm ut commentatione ulla egeat: nemo enim est, vel in ludo ipso literario, qui illa nesciat H. S. E. S. T. T. L. *Hic situs est. Sit tibi terra levis*, aliaque sexcenta: imo illud, quod vel anus legunt S. P. Q. R. Potuit ergo fieri, ut scriptio Latina tituli his literis comprehenderetur I.N.R.I. quas facillime quivis perlegeret, & diceret IESUS NAZARENUS REX IUDÆORUM. Potuit quidem: sed ita fuisse factum non facile concedam: quanvis donandum sit Pictoribus quod ita brevient facilè aut nullo negotio compendia perlecturis. Alii verò qui peritiores videri volunt, omnes literas, etiam uniuscujusque illarum linguarum expri-

primere conantur : sed præter Latinas, ceteras omnes, quàm absurdè! Videas ibi literas Hebraicas, aut certè quas Hebraicas esse contederent, quæ tamen non scripturam Hebraicam signant; sed quamvis longè aliam, Indicam, Turcicam, aut Copticam : quodque magis est, interdum etiam Græcas, quæ potius Armenæ, Ruthenæ, aut Polonicæ videbuntur. Neque verò me latet, antiquiorum Hebræorum literas non esse eas, quibus utuntur minus antiqui, usique sunt non paucis ab hinc seculis; nempe post reditum à Captivitate Babylonica. Ab illo enim tempore usui esse cęperunt characteres Chaldaici pro veteribus Samaritanis, quibus, & solis indifferenter utebantur quotquot censebantur Israelitæ. De quo, dissertationem longiorem aliis relinquimus. Sed tamen characteres illi, qui in titulo S. Crucis affiguntur à plerisque, neque Samaritani planè sunt, neque Chaldaici, nihilque aliud redolent, quàm meram barbariem. Quod etiam, quanquam moderatius, intelligi potest de literis Græcis, quas depingunt; tametsi fuerit sat diversa veterum Græcorum scribendi ratio, & Gręca, (n) ut verbo dicam *Palęographia*, de qua re opus integrum edidit vir insigniter eruditus.

(n)R. P. D. Bern. de Mont. faucon.de Palæographia Græca. &c.

15. Facillimum erat totam rem oculis subjicere expressius propriis harum linguarum characteribus. Hi tamen (sic enim sunt res nostræ) apud typographos nostros vix aut ne vix quidem jam reperiuntur; & si alicubi magno labore reperiantur, congredi cum iisdem typographis ut illos scienter tractent, & suis adaptent locis, censeri potest labor Herculeus. Quapropter, ne res hæc (quæ magis ad me nonnihil spectare videtur) omnino habeatur incognita, placuit integrumCrucis titulum legentium oculis exhibere hoc, rudi licèt, schediasmate; quod ita, servatâ uniuscujusque idiomatis ratione legendi, ita prorsus legi potest.

ישוע הנצרימלך היהודים
ΙΕΣΟΥΣ Ο ΝΑΖΩΡΑΙΟΣ Ο
ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΤΩΝ ΙΟΥΔΑΙΩΝ.
IESUS NAZARENUS REX IUDÆOR.

Id est: IESUAHH HANOTSRI MELECH HAIEHUDIM. Græcè autem. IESOUS O NAZORAIOS O BASILEUS TON IOUDAION. Denique Latinè : IESUS NAZARENUS REX IUDÆORUM.

Circa quod tamen aliqua subnotare erit operæpretium, ut si fortè contigerit laborem hunc qualemcumque nostrum in manus peritiorum hominum incidere, videant adhibitam fuisse diligentiam non omnino oscitantem. Dubitari enim primò potest, An titulo Crucis literæ exaratæ eâ linguâ, quam Evangelium vocat Hebraicam, fuerint propriè literæ Hebraicæ; eæ nimirum, quibus in conscribendis sacris libris utebantur tunc temporis Hebræi? an verò potius fuerint Syro-Chaldaicæ, & quibus propriis utebantur in vulgari hominum commercio, hodieque utuntur etiam in Sacra Scriptura Syri, ut certè sunt montis Libani Maronitæ? Quæ dubitatiuncula robur accipit ex eo quod ipse Christus Dominus in sua prædicatione non alia linguâ usus fuerit, nisi eâ quæ vocatur, & vulgo audit Syro-Chaldaica: quę quidem licètHebraicę ipsi valde sit affinis, ita ut potius dialectus alia, quàm diversa lingua vocari possit: tamen characteres proprios habet, non parumque dissimiles. Quod totum multis hinc inde observationibus ilustrare promtum erat, & facile : sed non id agimus, ut in rebus parergicis nimium immorari velimus; aut, quod deterius est, opinionem consectari nonnullius eruditiunculę. Itaque dicimus, literas tituli Crucis Christi videri longe probabilius fuisse proprie loquendoHebraicas,

cas, iis prorsus similes, quas Sacra Hebraica referunt volumina; & nullo modo fuisse Syriacas, aut Syro-Chaldaicas. Atque id sequuti Hebraicis purè literis, quæ multis ab hinc seculis in usu fuerunt, titulum Crucis expressimus. Deinde literas Græcas, quemadmodum & Latinas, characteribus majusculis expressimus: hoc enim tantum fortasse reprehendet qui ignoret, antiquos iis tantùm majusculis literis fuisse usos; quod vel pueris notum est, & constat ex inscriptionibus lapidum, & quod magis est, libris vetustis, quales habentur in Principum bibliothecis, ubi Ciceronis, Virgilii, Horatiique opera non ex aliis quam majusculis literis scripta leguntur: imo, quod non ita videbitur antiquum, hujusmodi leguntur Pandectæ Florentini. Denique eo ordine constituimus linguas, quem profert Evangelium Ioannis; qui rem exactius, ut videtur, describens, illud habet: (o) *Et erat scriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè*: cùm tamen Lucas scriptum reliquerit hoc modo: *Erat autem & superscriptio scripta super eum literis Græcis, & Latinis & Hebraicis*: quę valde levis, (siqua tamen est) videtur discrepantia. Sed de his hactenus.

(o) Luc. c. 23. 38.

16 Alterum quod hoc loco adnotare visum nobis est operæpretium, illud est; quòd ad ipsius Crucis pedem hominis cranium, adjunctis etiam ossibus duobus, frequentissimè pingitur. In quo sanè nihil erroris admisceri, sive imperitiæ, certum & exploratum esse debet. Triplici enim ex capite istiusmodi pingendi ratio provenire potuit. Primo quidem, quo, ut plerique veteres Patrum persuassum sibi habuerunt, in eo ipso loco, in quo Christus Dominus crucifixus est, sepultus jam diu erat Adam ille primus Parens hominum: ita enim (si tamen ejus sunt) dissertè docent illa Tertulliani carmina, quæ sic habent. (p)

(p) Tert. l. 2. Carm. cont. Marcion. c. 4.

Hic hominem primum suscepimus esse sepultum:
Hic patitur Christus; pio sanguine terra madescit:
Pulvis Adæ ut possit veteris, cum sanguine Christi
Commixtus, stillantis aquæ virtute lavari.

Quibus omnino paria habent Origenes, Athanasius, Ambrosius, Basilius, Chrysostomus, Augustinus, aliique: (q) à quibus etsi aliquando discesserit Hieronymus; tamen aliquando etiam ipsis consentit. Atque ex iis præallegatus Basilius observat, famam hanc non scripto productam, sed memoriâ conservatam in Ecclesia fuisse. quam ob id spernendam non esse, bene prudenterque monuit Eximius Doctor, *tom. 2. in 3. p. q. 46. art. 10.* Cæterùm quidquid de hoc sit, cui alii Authores refragantur, alia ratio potest esse, cur cranium, sive calvaria quędam hominis ad pedem Crucis Christi Domini in ea confixi depingatur. Ea namque, & literæ magis congruens, illa est: quòd mons ille, aut potius monticulus, in quo Christus Dominus est crucifixus, notus erat Calvarię nomine: eo quòd cùm destinatus esset reorum suppliciis capitalibus; (r) aut in eo truncarentur damnatorum capita, ut loquitur Hieronymus, aut totus hinc inde craniis, sive calvariis hominum esset refertus: aut denique (& est postrema, quam innuimus, ratio hujusmodi cranium pingendi) quòd eô nomine aptissimè significetur Christum Dominum morte sua sanctissima, quam pro nobis pertulit, mortem nostram, quam olim pro peccato incurrimus, vicisse destruxisseque: utpote qui eâdem nobis promeruit immortalitatem & gloriam. Quare hæc pingendi cranii ad pedem Crucis recepta communiter ratio nullo ex capite reprehendi potest, aut jure expungi: imo, ut memini, non tantum cranium, sed integram ex ossibus compactam hominis figuram, integrumvè (ut dicimus) skeletum ad Crucis pedem, non uno in loco observari depictum. Neque hoc, quamvis non ita crebrò conspiciatur, male aut ineptè fieri dicendum est: exprimit enim accuratius cogitatum hunc, quo nihil est frequentius in Scriptura & Patribus de Crucis Christi gloria, & de mortis victoria parta per Crucem.

(q) Orig. tract. 35. in Matth. Athan. ser de Pas. & cruc. Ambr. l. 5. ep. 49. Basil. in c. 5. Isaì Chrys. h. 14. in Ioã. Aug. ser. 71. de Temp. Hier. ad c 27. Matth & sup. Ep ad Eph. c. 5. & Ep. 17. ad Marcel.

(r) Div. Hier. ad c 26. Matth

***

CAPUT

CAPUT XIX.

DE IMAGINIBUS DEPOSITIONIS CORPORIS Christi de Cruce: & de eis quæ ejusdem referunt sepulturam.

1 X intemerata Evangeliorum Fide constat, defuncto Christo Domino virum quemdam nobilem Arimathæum, seu civem urbis Arimathææ, qui Ioseph vocabatur (pessimè enim, & supra modum ridiculè faciunt, qui ex uno Josepho cive Arimathæo duos confingunt, quos Josephum & Arimathæam ineptissimè vocant) petiisse à Provinciæ præside Pilato corpus Iesu, ut illud unguentis atque aromatibus, pro regionis more, delibutum honestè sepulturæ traderet. Nempe ita agente Deo, ut consummata acerba atque ignominiosa Passione Christi, illud adimpleretur vaticinium: *Et erit sepulcrum ejus gloriosum.* Josepho autem comitem fuisse Nicodemum, unum ex Pharisæorum principibus, Ioannes Evangelista nos docuit verbis illis: (a) *Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ & aloës, quasi libras centum.* Bene ergo, atque ex Evangelii fide pinguntur duo viri, dignitate atque authoritate spectabiles, qui quidem scalis admotis sanctissimum Corpus, detractis, ut par erat, clavis, de Cruce deponunt, non soli, sed aliorum (præsertim Ioannis, piarumque feminarum) adjuti ministerio. Quòd verò majoribus fasciis aut linteis corpus idem sacrum sublevantes, ne decideret irreverenter; bene depinguntur. Neque in hoc aliquid, quod adnotari, perstringivè debeat, invenitur.

(a) Ioan. 19.39.

2 Quòd verò in Deiparæ gremium ad ipsius Crucis pedem sedentis reclinatum atque impositum depingatur, & quidem frequentissimè; pietati est valde consentaneum. Pingatur tamen, aut effingatur, ut sæpè fit, manibus pedibusque clavorum penetratione perforatis, latereque lanceæ ferro perfosso. Quod ideo hic ut admonerem temperare mihi non potui, quòd nuper his diebus hanc ex ære imaginem firmis atque irretortis oculis intuenti, & quidem Artificis, (b) ut communis fama opinioque fert, omnium longè peritissimi, ingentem admirationem incussit, manus pedesque Christi jacentis super Virginis genua videre omnino vulnere carentes: cùm tamen perforatæ manus pedesque Clavis repræsentari, & confici debuissent. Ad idem pietatis genus attinet repræsentare ipsam Deiparam, clavos atque Coronam sanguine tinctos, nec sine lacrymis, intuentem. Extant enim de hujusmodi imaginibus Sanctorum Patrum, & piissimorum doctissimorumque hominum meditationes, contemplationesque admodum fervidæ atque piæ: quamquam nihil horum disertè referatur in Evangeliis. Quin imò si hæc ad Ecclesiasticæ fidem Historiæ operosius exigantur, difficultate non carent. Constat enim cum Christi Domini Cruce, reperta Elenæ & Constantini tempore, Clavos ipsos fuisse repertos: quos certè si hi, qui Corpus Domini è Cruce deposuere, omnino ab ipsa revulsissent, tradidissentque Matri Sanctissimæ, valde verosimile fit, eosdem vel ab eadem Matre purissima, vel ab alio ex iis, qui aderant fideli quoquam discipulo fuisse servatos. Verùm contigere potuit, quòd Iosephus eadem lege, quâ coactus fuit Corpus tollere, & Crucem immotam relinquere, coactus fuerit Clavos quoque in ea infixos, tamquam potissima supplicii insignia, instrumentaque relinquere. Unde licèt ad deponendum Corpus Christi illos abstulerit: (addo, & Matri constantissimæ ac patientissimæ ostendisse, atque osculandos tradidisse) fieri tamen potuit, ut eos iterum in Cruce figeret, propter dictam causam. Quæ ferè ipsa verba sunt viri, cujus auctoritas judiciumq; mihi semper placuit. (c)

(b) Mich. Angel.

(c) Suar. t. 2. in 3. p. q. 51. art. 3. disp. 41 sect. 2.

De-

3 Depositum autem de Cruce Sacratissimum Corpus, unguentis atque aromatibus largiter fuisse conditum ac delibutum, apertissimè constat ex Evangelio. Sic enim Joannes (ut alios Evangelistas taceam) disertè habet: (d) *Acceperunt ergo* (Josephus & Nicodemus) *corpus Iesu, & ligaverunt eum linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudęis sepelire.* Unctionem autem hanc merè externam fuisse atque honorariam, reverentięque ergò exhibitam, bene & sapienter monuit Doctor Eximius; (e) ne, ut ipse annotat, cogitaret aliquis Christum Dominum recepto apud nos vulgariter more fuisse unguentis perunctum; scilicet corpore adaperto & patefacto, detractisque ac rejectis internis partibus, quod piæ aures (ut ibi loquitur) exhorrescunt. Verùm unctio delibutioque numquam (quod ego sciam) à Pictore aliquo est descripta, penicillovè expressa. Quare reliquum est ut ad involutionem Corporis Sacratissimi in linteis, sive in sindone sermonem nonnihil convertamus. Certum igitur est Christi Corpus traditum fuisse sepulturæ, non nudum aut seminudum, & linteis corpori non adaptatis atque adstrictis, ut à plerisque depingitur, sed involutum, & adstrictum fasciis, tæniis, aut institis, quę commodè coarctarent linteamina. Præterea & super faciem sanctissimam adaptatum impositumque fuisse sudarium, quod totam à fronte ad mentum usque contegeret: hic enim & non alius mos erat Judęis cadavera suorum sepeliendi; quem exacte fuisse observatum, jam constat ex Joannis verbis supra allegatis; *sicut mos est Iudæis sepelire.* Quæ omnia consequenter ad dicta optimè complexus est ipse, qui postquam retulit introisse Petrum in Christi sepulcrum post ejus resurrectionem, (f) *Et vidit*, inquit, *linteamina posita, & sudarium, quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum.* Vides linteamina, & quidem non unum, sed duo saltem: vides sudarium faciei sacrosanctę, capitique impositum. Tænias, fascias, sive institas hic disserte non vides, sed videbit, opinor, quisquis meminerit resurrectionis Lazari, (g) ubi illud habetur: *Et statim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus institis: & facies illius sudario erat ligata*: præsertim si prudens advertat id quod jam innuimus, nempe Christum Dominum sepulturæ traditum eo more quo solemne erat mortuos apud Judęos sepeliri. Sed repetamus verba, certè non longa: *Acceperunt ergo*, inquit Joannes, *corpus Iesu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire.* Sed qui de hoc cupiat curiosius atque exactius erudiri, recolat quæ supra diximus agentes de Resurrectione Lazari, * aut legat potius eruditum Opus Belgę doctissimi, qui de re hac librum integrum edidit, lectu utique dignum. (h)

(d) Ioan. 19.40.

(e) Id. ibi. q. 51. disp 51. sect. 2

(f) Ioann. 20.6.

(g) Ioan. 11.44.

* Sup. c. 13. n. 5.

(h) J. Jacob. Chifletius de linteis sepulcralib. Christ. D.

4 Ad sepulcrum ipsum quod attinet, plura diximus eo loco, quem nuper allegavimus; quæ paucis hîc perstringere erit operæpretium. Principiò quidem constat, sepulcrum, in quo illatum est Corpus Christi Domini, in horto fuisse, qui à colle ipso Calvario non longè distabat. Quod signanter dico: etenim, tametsi Joannes (i) asserere videatur hortum illum esse in ipso loco, ubi crucifixus est: tamen, ut bene monuit Eximius Doctor, (j) non oportet intelligi eam partem in qua crucifixus est Christus, fuisse hortum seu prædium; sed propè illum crucifixionis locum extitisse hortum, aut certè in ipso monte ad radicem ejus fuisse prædia, solitosque esse puniri damnotos ad mortem in superiori ejus parte, à qua potuit totus mons *Calvaria* nuncupari. Consuevisse autem Judæos eorum sepulcra in suorum ipsorum prædiis hortisvè excavare, sibique præparare, notior est res quàm ut multa probatione indigeat. Vide quæ supra super re hac libavimus, agentes de sepulcro Lazari. Unde bene atque congrue faciunt, qui sepulcrum Christi depingunt à Cruce ipsius non longè distans: ineptè autem, qui prope ipsam Crucem, aut locum crucifixionis illud depingerent. Jam verò de sepulcri forma atque artificio pluscula diximus dicto loco. Qua in re describenda, immane quantùm errant Pictores nostri! Ergo in rupe aliqua, aut solida terra specum excavabant, ad quam per portam angustam erat aditus: ingressis autem sese ultro offerebat arcuatum, aut concameratum opus in modum fornicis: eratque ad latus ejusdem camerę loculus

(i) Joann. 19.41.

(j) Suarez tom. 2. in 3. p. q. 40. art. 10.

culus, aut, ut ita dixerimus, podius, altus, tres ut summum palmos, capax verò corpus suscipiendi; in quo quidem cadaver ipsum unguentis conditum extendebant, collocabantque. Deforis autem speluncæ seu sepulcri ostium obstruebant vegrandi lapide; de quo, quod ad Christi sepulturam attinet, mentio solemnis est in Evangelio. De quo, inquam: Nam quòd in sepulcro Domini unus tantum fuerit lapis, quo nimirum obstruebatur monumenti ostium, non verò duos, ut sibi persuasit, imaginationeque ductus (absit invidia verbo) confinxit vir alioqui summus, atque à me numquam sine laude nominatus, nec nominandus umquam, persuaderi mihi non potest. Non quòd majori (apage ineptissimam arrogantiam) polleam ingenio atque judicio; sed quòd, ut jam monuimus alibi, non semel aut iterum, sed sæpius, non sine ingentis & reverentis animi voluptate conspexerim atque lustraverim Christi Domini sepulcri formam atque structuram, tam exactè atque ad amussim observatam à Religioso viro; qui loca illa sancta non solùm invisit, sed diligentissimè inspexit atque observavit: ut constans fama sit eumdem cum jam in Europam appulisset reversum fuisse iterum Jerosolymas, ut aliquam ex loci dimensionibus, quæ vel animo exciderat, vel quovis alio casu erat deperdita, iterum exactius delinearet. Sed afferamus ipsissima verba viri supra modum docti: (K) *Miror*, inquit, *neminem, quod sciam, Interpretum observasse duos in monumento fuisse lapides, & utrumque fuisse ab Angelo revolutum.* Ego verò (quod habita tanto viro quæ par est reverentia dictum volo) non miror. Unum enim tantummodo fuisse lapidem, quo claudebatur atque obstruebatur ostium totius monumenti, & nuper asserui & item assero: neque intra illam cameram, intra quam Corpus Christi Domini jacuit, fuisse monumentum aliud aut sepulcrum, quod alio item lapide tegeretur, affirmo: sed tantum erat loculus excavatus, aut podius (neque enim alia vox occurrit scribenti) altus ut summum tres palmos, nullo lapide contectus, supra quem tamen extensum erat emortuum corpus. Quod non solùm ex eâ figura, cujus sæpius memini, comprobatur; sed etiam, neque id obscurè, ex Matthæi verbis: ubi Angelus mulieres alloquens, remoto jam lapide, qui claudebat os monumenti, (l) *Venite*, inquit, *videte locum, ubi positus erat Dominus*: quod ego ad laudatam illam ædificii aut cameræ in rupe excavatæ formam mente & animo intentus, adeò clarè percipio, ut videatur mihi rem geri ante oculos; quin necessè sit lapidem alium intra ipsum monumentum imaginari, nolo enim dicere, ob viri reverentiam, confingere. Scio quid his, aliisque ejusdem rei non infirmis probationibus dicat laudatus Author. Sed clara res est: adeò ut oppositum, ut mihi videtur, nihil aliud sit, quàm quærere (quod proverbio dicitur) nodum in scirpo. Sed neque oppositum docuere viri, qui sepulcrum Christi oculati testes perlustrarunt, ex quibus fideliter allegatis melius, ut mihi videtur, rem attigit Eximius Doctor, (m) asserens Sepulcrum Christi, non unâ tantùm, sed duplici constare speluncâ (cujus rei etiam evidens vestigium est in figura sepulcri memorata) altera nempe exteriore, quæ erat veluti vestibulum, atriumvè ejus, quæ proprius obtinebat nomen sepulcri. Unam verò ab alterâ speluncâ dividebat ingens lapis ille, quo obserabatur os aut ostium ejus, quę proprius appellabatur sepulcrum: quin alicujus alius lapidis mentio fiat etiam ab his exactis descriptoribus. Additque satis opportune (ex hoc enim alia, quæ capite sequenti annotabimus facilè intelliguntur *) id quod præ oculis habendum est iis, qui penitius rem velint inspicere; *Ex qua loci*, inquiens, *descriptione intelligitur illam exteriorem partem speluncæ respectu diversorum dici posse esse extra & intra sepulcrum. Etenim si per sepulcrum intelligamus parvam illam & interiorem speluncam; ubi positum fuit Corpus Domini, reliqua pars dicetur exterior; & qui in illa fuerit dicetur esse extra sepulcrum: si autem per sepulcrum seu monumentum intelligamus totam illam speluncam, sic qui fuerit intra priorem partem ejus dicetur esse intra sepulcrum.* Hucusque Doct. merito cognomine Eximius. Itaque qui hoc modo delinearēt Christi sepulcrum, recte & juxta Historiæ fidem id agerent; qui verò secus, ut plerumque fit, certè non aliud quàm ineptire.

CA-

(K) Mald. ad c. 28. Matt. col. 585.

(l) Matth. 28. 6.

(m) Suar. tom. 2. in 3. p. q. 51. ar. 4. disp. 49. sect. 3.

* Infr. c. 20. n. 5.

CAPUT XX.

DE IMAGINIBUS RESURRECTIONIS CHRISTI Domini, ejusque Ascensionis ad cœlos.

1 Uamquam gloriosa Christi Resurrectio Fidei nostræ præsidium sit, totiusque Spei firmius fundamentum; non est tamen hujus loci de ejusdem Resurrectionis laude atque encomio (quod nonnulli, qui hæc eadem tractant, operosius agunt) plura præfari: hoc enim nihil est aliud, quàm ab instituto cæptoque itinere deflectere, aut verò (quod proverbio dicitur) saltare extra choros & oleas. Ergo Corpus Christi post ejusdem ad sanctissimam animam reunionem, resurrectionemque à mortuis evasisse pulcerrimum, ac supra humanæ cogitationis modum perlucidum atque mirabile, sat Fide ipsa & ratione constat. Depingi ergo hoc modo, radiisque circumsplendens, omnino debet; non tamen omnino nudum: neque enim hoc fert nostræ mortalitatis fragilitatisque ægra conditio. Itaque palliolo rubro ac majorem in modum rutilante contectum, ad medias præsertim corporis partes ipsum depingi, rationi ac modestiæ est consentaneum. Sed non ob id omitti oportet in manibus pedibusque, insuper & in latere sacrosancto Clavorum, ferrique lanceæ signa manifestissima: cùm ipse Thomæ incredulo tam dissertè dixerit: (a) *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas; & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli esse incredulus, sed fidelis.* Quin ipsa vulnera majestatem decusque gloriosi corporis majorem in modum augebant, ut meritò illud Ecclesia concinat, de Apostolis sermonem instituens:

(a) Ioan. 20. 27.

In carne Christi vulnera
Micare tamquam sidera
Mirantur.

Atque hoc quidem modo sese ostendisse Discipulis sat mihi sit probabile, ex hoc ipso quem allegavimus nuper loco. Si enim contectus vestibus illis apparuisset, non tam promptum videbatur dicere Thomæ, *Affer manum tuam, & mitte in latus meum:* tamquam scilicet de patente in corpore latereque ipsius vulnere, & non veste aliquâ contecto atque occulto loquutus. Et hoc satis est, ut monuerimus circa Corpus Christi gloriosum, à mortuisque excitatum.

2 Circa ipsam verò resurrectionem, actionemvè (ut ita dixerim) resurgendi, majores, tametsi vulgò admissi à Pictoribus, errores admittuntur, quos profligare, pietatis eruditionisque non parum interest. Principiò enim sat notum est ex Evangelio, Christo Domino jam sepulto, suggerentibus id Romano Præsidi Judæorum primoribus, adhibitos fuisse custodes, armatos nempe milites, eosque non admodum paucos; cùm constet Petrum (b) postmodum catenis vinctum, traditum esse ab Herode Agrippa quatuor quaternionibus militum custodiendum. Exhibent igitur Pictores nostri Christum sublevatum in aëra: custodes verò ac milites, procurrentes ad arma: ita ut eorum aliquis ensi manum admoveat, alius hastam vibret, clavam alius arripiat, aliique scutis clypeisvè caput muniant & obtegant: imò neque desunt qui ferocientem canem Christoque adlatrantem effingant. Hæc omnia verò, ut statim videbimus, nihil aliud sunt quàm ineptiæ, gestarumque rerum ignoratio. Sed antequam id faciamus evidens, notandus est hic ac perstringendus error longè major. Pingunt enim plerique quadratum loculum ac sepulcrum, nostris persimilem, ex quo remoto jam lapide atque operculo, prodit Christus Dominus uno quidem pede extra sepulcrum, altero autem cum crure veluti jamjam prodeunte: tantum enim præstat atque efficit rerum ignoratio, aut inconsiderantia.

(b) Act. 12. 4.

3 Quæ ut longius absit à Pictore erudito, præ oculis habendum est id, quod & Evangelium satis innuit, & Doctores Patresque Ecclesię quique doctis-

doctissimi disserte docent : hoc est corpus Christi Domini excitatum à mortuis, ornatumque dote illa mirabili, quam Theologi vocant subtilitatem, nullo modo eguisse, ut prodiret foras à sepulcro; quòd lapis ille grandis, quo ut supra diximus, os speluncę occludebatur, amoveretur aut tolleretur ab ostio sepulcri: Quinimo opposito modo rem esse gestam. Prodivit enim Christus immoto lapide, eo modo prorsus quo die eodem januis clausis ingressus legitur ad Discipulos : quod prorsus consensu docent hoc loco, atque annotant Ecclesiæ Patres : adeò ut illorum verba referre, locosque hìc indigitare supervacaneum opus censeri debeat, laborque hominis suo & aliorum otio aut tempore abutentis. Itaque, quò res clarior omnibus fiat, illud est præ oculis habendum, Christum Dominum, cùm actu (ut ita dixerim) à mortuis resurrexit, à nullo prorsus mortalium esse visum : obstabat enim ingens ille lapis, qui bene aptatus, insuper & signatus obstruebat obturabatque ostium speluncæ: Sed neque visus adhuc fuit, cùm immoto lapide exivit à sepulcro : Non quidem piis mulieribus, quibus non nisi aliquantò post Dominum excitatum, vitæque immortali redditum videre contigit: neque ulli ex ejusdem discipulis, qui paulò tardius, quamquam eadem ipsa die, ditati & lætati sunt visione Christi jucundissima : multò minus profanis atque infidelibus custodibus, qui certè tanto favore non erant digni. Quare quidquid contra hoc depingatur, eo modo quo supra retulimus; habendum est & recensendum inter ineptias: Quamquam non negaverim quòd ut res tanta tamque mirabilis nostris oculis quoquo modo repræsentetur, posse depingi Christum Dominum radiis splendentem, multoque fulgore circumdatum extra, vel supra sepulcrum, obseratum tamen adhuc, atque imoto lapide : qui certe remotus non est, nisi postquam Angelus terræmotu excitato, illum amovit ab ostio monumenti; ut piis feminis Christi discipulis in sepulcrum, ad quem ungendi Christum Dominum gratiâ, obsequiaque sua præstandi solicitę advenerant; pateret liber aditus, fierentque postmodum apud ipsos Apostolos atque discipulos testes resurrectionis Christi. Facilè hæc omnia probari atque ostendi poterant ex ipsis narrationibus Evangelicis, præsertim ex iis quę Matthæus habet : sed nolumus immorari in re tam manifesta, & de qua dubitare poterit nemo, nisi is cui cœco modo contendere, atque, quod dicitur, Andabatarum more pugnare fortassis arrideat.

4 Custodes autem ipsos non desunt, qui dormientes pingant : imo hæc disserte videtur esse sententia Pictoris cujusdam eruditi, non uno loco à nobis laudati. (c) Hoc tamen etsi potuerit ita contingere, contigisse tamen nullo modo fit verosimile. Tum quòd consopiri, immergique somno custodes omnes, qui certè erant milites, non erat prorsus Romanæ severitatis ac disciplinę; per quam minimè licebat, ut neglectæ ab omnibus permanerent noctis vigiliæ, saltem ab iis, qui jam primam aut secundam obdormissent. Tum etiam, quia neque ad Dei providentiam hoc spectabat; imò oppositum erat ipsi magis conforme : Sed quid dico erat? Fuit certe & saltem aliquos ex custodibus vigiles fuisse, cùm terræmotu concussa terra Angelus apparuit, lapidemque revolvit; apertissima est assertio Scripturæ. (d) Sic enim habet : *Et ecce terræmotus factus est magnus : Angelus enim Domini descendit de cœlo : & accedens revolvit lapidem & sedebat super eum.* Et statim post pauca : *Prę timore autem ejus exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui.* Quæ tametsi clariora sint, quàm ut ullo indigeant commentario, legatur tamen, loco nulli non pervio Augustinus Parens (e) ita disserens : *Concussa terra Dominus resurrexit : miracula facta sunt talia circa sepulcrum, ut & ipsi milites, qui custodes advenerant, testes fierent; si vellent vera nuntiare.* Imò, quod maximè notandum est, ipsi, aut saltem quidam ex ipsis, vera nuntiaverunt, quæ fuerant gesta, magnatibus populi : ita enim Matthæus docet (f) verbis illis: *Quæ* (mulieres nempe) *cùm abiissent, ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, & nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant.* Quare, ne hoc prætermittam, suadere Pictoribus, ut omnes sepulcri custodes depingant somno deditos, hallucinari est, &

(c) Frānc. Pacc. pag. 541.

(d) Matt. 28. 2. 4.

(e) In Ps. 63. ad v. 7

(f) Matt. 28. 11.

& facto ac re ipsa, quamquam non animo connivere cum Judæorum machinatione, qui ita oblatâ largiter pecuniâ, suasere custodibus, (g) *Dicite quia discipuli ejus nocte venerunt, & furati sunt eum, nobis dormientibus.* Ex quibus, aliisque, quæ consultò omittimus, statuendum est milites custodes sepulcri, aut saltem ex illis aliquos, non dormientes debere depingi, sed vigiles.

(g) Ibid. v. 13.

5 Majus aliquanto negotium facessere posset Pictori accurato atque erudito, an super lapidem sublatum à monumento duo Angeli depingendi sint, an unus tantum? an verò sedentes? an feminas quas Angelus alloquitur, intra vel extra monumentum describere oporteat? Utrique enim rei fundamentum præbere videntur Evangelia; Matthæus enim & Marcus unius tantum Angeli meminere: sic enim Matthęus habet: (h) *Angelus Domini descendit de cœlo, & accedens revolvit lapidem, & sedebat super eum.* Et rursus: *Respondens autem Angelus, dixit mulieribus.* Marcus verò: (i) *Et introëuntes in monumentum, viderunt juvenem sedentem in dextris coopertum stola candida, & obstupuerunt. Qui dicit illis.* Ubi unius tantummodo Angeli, & sedentis super lapidem, & ad pias feminas loquuti fit mentio. Quibus tamen non omnino consentire videtur Lucas, qui de eadem re sermonem instituens; (j) *Ecce*, inquit, *duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. Cum timerent autem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas, &c.* Ac denique, ne aliquid prætermittamus, Joannes: postquam retulisset ingressum Petri ad monumentum, & qua ratione ipse, & idem Evangelista à sepulcro Domini recessissent ut abirent ad suos, (K) subjungit: *Maria autem stabat ad monumentum foris plorans: dum ergo fleret, inclinavit se, & prospexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis sedentes, unum ad caput, unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Iesu.* Quod non parùm videtur distare ab his quæ retulerunt alii, etiam quod ad rationem attinet rem describendi atque pingendi. Hęc autem licèt per se quæstiones involvant, quarum discusio ad sacros Interpretes proprius spectat; non tamen ea sunt, quæ retardare debeant Pictorem eruditum. Dicimus enim quòd is non errabit, sive unum tantùm, sive duos Angelos depingat. Piæ autem feminę quas Angeli alloquuntur, intra monumentum quidem sunt depingendæ, eo modo quo supra animadvertimus dici, & esse intra monumentum, qui staret in ipsius vestibulo. * Quanvis enim duos Angelos apparuisse dubitari nequeat, attenta Evangelii Lucæ authoritate, juxta quam optimè fiet si duo Angeli depingantur: tamen cùm huic narrationi contraria non sit ea qua refertur fuisse unum, & qui apparuit, & qui pias feminas est affatus (cùm qui duos numerat, unum non adimat) bene etiam, & citra erroris notam depingi unus potest: pręsertim cum valde sit verosimile, quòd etsi duo visi fuerint, unus tamen eorum sermonem intulerit: ad eum ferè modum quo cum Legati duo principem aliquem adeunt, communiter dicitur, eos hoc vel illo modo loquutos: cum tamen certum sit, alterum tantummodo eorum alloquutum esse, alio præsente atque probante. Qua de re etiam exempla produci possent, si res tantumdem laboris exposceret. Describere autem duos Angelos (nam duos describi, ad historię seriem conformius est) sive sedentes, sive proprie stantes, aut pedibus consistentes, non magni refert. Dicitur enim stare, ut recte observavit Maldonatus, etiam is, qui non pedibus consistit rectus, sed ille etiam, qui quoquo modo præsens est, atque adstat: Quare congruentius videntur pingi sedentes. Denique illud quod ex Joanne retulimus, alia prorsus ac distincta res est, ut patebit narrationes Evangelicas vel mediocriter consideranti: quam si describi depingivè oporteat, eo modo quo simpliciter narratur erit describenda: ut scilicet intra illam intimam speluncam, quæ proprie sepulcrum vocatur, unus Angelus super illum loculum, aut podium (quem Hispanicè loquentes diceremus *nicho*, aut *poyo*) sedens describatur ad caput, alter in eodem ad pedes. Ex quo magis nonnihil illustratur relata, ac sæpè probata forma & figura sepulcri: circa quam recolantur accuratius ea quæ supra diximus. *

(h) Matt. 28. 2.

(i) Marc. 16. 5.

(j) Luc. 24. 4. 5.

(K) Ioan. 20. 11.

* Sup. c. 19. n. 4. sub fin.

* Cap. 15. n. 5. & 16. n. 4.

6 Inter illas verò feminas, quæ ad monumentum Domini venerunt pium obsequium præstituræ, nullo mo-

modo: adjungenda est Beatissima Virgo, quod tamen fecisse aliquos Pictores indoctos admoneor ex annotatione Auctoris sæpè allegati (l) Tum quòd non ita res numeretur ab ullo ex Evangelistis: tum etiam quòd oppositum omnino Sancti Patres docere sit perspicuum. Denique id admoneo, Christum Dominum semper atque sit depingendus excitatus à mortuis, in eo habitu quem supra descripsimus fore depingendum, qui certè aptissimus videtur gloriæ ejus atque triumpho. Cujus rei gratiâ in ejusdem manu vexillum parvum, atque imperatorio simile, pictores non male depingunt: nisi in duabus ejusdem apparitionibus, alterâ nempe, quâ Discipulis in via ambulantibus se conspiciendum obtulit; alterá verò cùm primò se præbuit Magdalenę spectandum. In illa enim depingi debet sub peregrini forma: quamquam ad hoc ipsum significandum tolerabile sit depingi curtâ & succincta veste, & ad genua tantum protensâ; in super & cum oblongo vaculo & galero conchis referto, ut moris est peregrinis nostris ex Compostella redeuntibus. In hac autem postrema depingi omnino debet sub hortulani, aut olitoris figura, ligonem palamvè manu gerens. Quæ omnia relinquenda etiam sunt arbitrio Pictoris prudentis pariter & non indocti.

(l) Mol. l.4.c.13.

7 Circa Ascensionem verò Christi Domini ad cœlos usque, quod Pictorem admoneamus unum vel alterum occurrit. Principiò enim in loco ipso in quo Christus steterat, impressa reliquisse sacra atque adoranda vestigia, communis scriptorum sententia est, & meritò. Docet enim eamdem S. Paulinus Nolanus Episcopus, (m) & longè post eum Beda Presbyter ex oculato loci teste Adamanno Presbytero: aliique etiam, qui de locis sanctis scripserunt. Quare quod ita referatur à Pictoribus, judicii & veritatis intererit. Deinde cùm ex Historia sacra satis constet, sub initium ipsum profectionis suæ in cœlos Christum Dominum benedixisse Discipulis, & hoc ritu nostro, eo scilicet quo Pontifices sacerdotesque populo benedictionem impertiunt; peractum esse doceant Scriptores gravis judicii: si forte hoc depingere aliquis velit, depingendus est Christus elevata manu, ad eum modum quo Episcopus solet, cùm populum benedicit. Sed jamjam ascendentem in cœlum, elevatis decenter manibus, ad eum modum quo sæpius fit, debere depingi, nemo est qui nesciat. Quapropter huic rei immorari non vacat, nec licet. Depingendos verò esse Angelos Christum comitantes, eidemque obsequentes, ex ipsa admirabilis facti narratione satis colligitur; idque pie pariter ac docte meditantut plerique Patrum, circa illud Psalmi: (n) *Attollite portas principes vestras*: ut plane sit vox spirituum cęlestium, qui Christum Dominum comitabantur ad cœlos euntem. Pingere verò Christum Angelorum manibus aut humeris in sublime subvectum, probare nequimus: imò in hoc erroris nonnihil aut periculi admisceri libentius propugnarem. Etenim Christus Dominus suâ ipsius virtute, & non creaturæ alicujus ope, servitio, aut ministerio, licèt humanitatem illam secum portans & elevans, quam assumpserat, in cœlos ascendit, unde venerat; imò unde nullo modo etiam ad terras adveniens discesserat. Quod si alicubi Parens Augustinus innuere videatur, (o) in Ascensione & elevatione Christi Angelicum affuisse ministerium: tamen non id intendit, sed nihil aliud, quàm quod fides docet: *Sub una*, inquiens, *eademque persona in eo qui elevat, divinam potentiam; in eo autem qui elevatur, humanam cognosce substantiam.* Quâ in re (neque enim defuerunt Auctores, etiam Catholici & pii, qui ita scripserint, ut nonnullam errandi occasionem præberent Pictoribus *) operæpretium mihi facturus videor, si hic transcribam elegantia verba Pontificis nomine & merito magni, (p) quæ ita habent: *Notandum quoque est, quòd Elias in curru legitur ascendisse: ut videlicet apertè demonstraretur, quia homo purus adjutorio indigebat alieno. Per Angelos quippe facta illa & ostensa sunt adjumenta: quia nec in cœlum quidem aëreum per se ascendere poterat, quem naturæ suæ infirmitas gravabat. Redemptor autem noster non curru, non Angelis sublevatus legitur: quia is qui fecerat omnia, nimirum super omnia sua virtute ferebatur.*

(m) S. Paulin. Epist. 11. Beda l.5. hist. c.18.

(n) Ps. 23. 7. Vid. Lorin. ad hunc loc.

(o) Div. Aug. ser. 3. de Asc. D. & 176 de Tempore.

* Vide Mol. l. 4. c. 14.

(p) Div. Greg. h. 29. in Ev.

8 Superest, ut quoniam hic mortalis vitæ Christi Domini finem, Resurrectionis ejusdem, Ascensionisque ad cœlos mysteria attigimus, paucula;

siquæ sunt, de Sancti Spiritus missione, extremoque Judicio carptim & breviter annotemus. Et quidem de missione illa cęlesti, quæ facta est die Pentecostes; Pictores repræsentant Spiritum Sanctum sub forma & specie columbæ: adeò communiter more recepto, ut vix aut ne vix quidem alius pingendi modus reperiatur. Hoc verò, si ad rei gestæ historiam strictius referatur, error, & non immeritò videri posset: Neque enim legitur Spiritum Sanctum in illo mirando eventu Apostolis visum esse, aut apparuisse quoquo modo sub forma columbæ, sed tantùm sub ignearum linguarum specie: *Et apparuerunt*, inquit, *dispertitæ linguæ, tamquam ignis, seditque supra singulos eorum: & repleti sunt omnes Spiritu Sancto.* Cæterum quoniam omnino receptus est in Ecclesia ab omnibus passim hic pingendi modus, rejiciendus non est, neque erroris ullius labe notandus: præsertim cùm jam olim in Jordane sub hac columbæ specie Spiritum Sanctum supra caput Christi Domini constet apparuisse; ac plures rationes adsint, quibus valde fiat congruum, ut Divinus ille Spiritus sub columbæ specie depingatur, quoties depingi oporteat; quas prolixum esset hîc commemorare. Illud tantùm breviter dixisse suffecerit, quòd nempe columbas aureas & argenteas, quæ Spiritum Sanctum repræsentarent, appensas super divina lavacra & altaria severus hæreticus sibi appropriare præsumserit. Qua de re Clerici & Monachi Antiocheni scribunt ad V. Synodum C. P. & inde repetitur idem factum in VII. Synodo: cùm certum sit, in una ejusmodi columba Sacram Eucharistiam asservatam fuisse à Magno illo Basilio, teste Amphilochio in ejusdem vita. Meminit etiam ejusdem Picturæ S. Paulinus Nolanus (q) in suis carminibus. Quòd verò in eadem tabulâ non solum Apostoli sed alii plures depingantur Discipuli, qui in eadem domo congregati aderant, quorum numerus paulò ante in eadem ferè narratione usque ad centum viginti protenditur; benè & sapienter fit, non erroneè, ut pessimè autumat Hęreticus, quem bene in hoc refellit Author sæpè laudatus: (r) ac denique Sacratissimam Deiparam, non solùm inter Discipulos illos media, sed nonnihil præ illis eminens depingatur, pium ac Catholicum est, non ridiculum, ut impudentia sibi admodum familiari hæretici deblaterant: Ex quibus unus, quem ne nominare quidem sustineo, *Ridiculè*, inquit, *facere eos, qui cum hanc historiam pingant, solent Mariam Matrem Domini in medio Apostolorum collocare; nimirum ut Apostolici eam Collegii principem faciant: quod Sanctissimæ illi Virgini nusquam in mentem venit.* Sed meminisse debuerant, quod Apostoli Discipulique germani Christi maximo in honore reverentiaque habuerunt semper Beatissimam Deiparam; qui certè eamdem velut communem Matrem reverebantur, memores nempe postremæ voluntatis Domini sui, qui uni eorum dixerat, jamjam moriturus, *Ecce mater tua*: quin propterea colligatur nisi absurdissimè, sanctissimam atque humilem Virginem in Ecclesia illa atque Collegio aliquid imperii, principatusvè sibi arrogavisse, (s) ut rectè docet Epiphanius, scribens contra Collyridianos, qui mysteria sancta Altaris Marię offerebant. Imò ipsa, quod perhibent Scriptores docti atque pii, non modica reverentiâ se gerebat erga Apostolos & Christi Sacerdotes: ut quæ noverat eos ministros Christi, potestateque ornatos divina conficiendi mysteria.

9 Immensus esset qui vellet annotare plurima quæ sese offerebant circa extremum Mundi Judicium, quòd sanè etiam non exactè describere non attinet ad Pictorem quemlibet, sed ad eximium. Et quidem cùm magni illius Michaelis Angeli hujusce rei pictura omnibus quotquot sunt, imò fuerunt, eruntvè unquam, judicio magnorum in Arte virorum, præstet, & antecellat, non solùm quantum spectat ad Artis peritiam, sed etiam ad rerum depictarum eruditionem: ea præ oculis erit habenda iis qui tantam provinciam assumpserint. Est autem & alia memorabilis, elaborata à Ioanne Cousino, Pictore Gallo, dicataque Regi Ludovico XIII. Galliarum Christianissimo; in qua tamen Pictor egregius nunnullorum offensionem incurrit: adeo ut ad Episcopum, tamquam violatæ fidei & contemptæ religionis reus, delatus fuerit; eo scilicet nomine quod pinxerit inter eos, qui extremo supplicio destinantur, viros aliquos cum insignibus, aut magnæ in Ecclesia dignitatis, aut religiosi habitus notis. Qua tamen, non tam accusatione, quàm calumnia, liberatus

(q) Div. Paul. Ep. 12.

(r) Mol. l. 4. c. 15.

(s) Hęres. 79.

tus est; asserens optare quidem, atque enixè cupere sese, ut nemo, vel dignitatis honore præditus, vel addictus professioni sanctimoniæ damnaretur; vereri tamen, non ita futurum, imo hujusmodi non paucos, quod maximæ miseriæ genus est, quò digniore sanctioreque professione atque statu fulserunt atque eminuerunt in terris, eó magis miseranda ruina fore damnandos. Sed de his hactenus.

10 Verum quia tales tantosque Magistros, quales sunt hi, quos commemoravimus, non omnibus, quanvis alioqui sua utcumque laude sat dignos, adire contingit; pauca sunt quæ circa extremi Judicii tabulam atque picturam perstrictim annotemus. Primum illud est, quòd quamquam aliqui ex antiquis pingere consueverint Sacram Deiparam provolutam in genua ante Filii thronum; imò etiam Ioannem Baptistam eodem gestu ac situ, tamquam pro peccatoribus preces atque obsecrationes profundentes: tamen hoc imitari non debere Pictorem bene cordatum & eruditum. Tametsi enim hęc pingendi ratio alio pio sensu valeat utcumque intelligi, ut bene monet Author sæpè laudatus; (t) longè tamen est rationi magis consentaneum, ut omnino aboleatur; ne videlicet periculosè errandi occasio ministretur indoctis, ut planè putent in actu illo formidando preces, etiam Sacratissimæ Virginis, peccatoribus atque impœnitentibus profuturas; ubi locus jamjam non erit misericordię, sed justitiæ. Neque verò aliquis in contrarium objecerit pii admodum priscique poëtæ locum, qui de Romano martyre sermonem habens, (u) ita concludit;

(t) J. Mol. l. 4. c. 24.

(u) Prud. Peristeph. hymn. 10.

Vellem sinister inter hædorum greges,
Ut sum futurus, eminus dignoscerer,
Atque hoc precante, diceret Rex optimus;
Romanus orat: transfer hunc hœdum mihi;
Sit dexter agnus: induatur vellere:

Nam hoc; quamquam pium & elegans, nihil aliud est quam pia hyperbole atque exaggeratio; quam proinde collocare in tabula veluti factum, nequaquam debet Pictor eruditus. Error quoque est, in extremo Judicio depingere jamjam à mortuis excitatos infantes trimulos, pubescentes pueros, incanosque atque effœtos senes. Omnes enim in illo magno omnium theatro, non tantum justi, sed & damnati, & ii qui in originali peccato decesserunt, apparebunt ætate integra; scilicet ea, in qua corpora, per vires animę non impeditas, habitura erant perfectionem sibi debitam, roburque: quę quia plerumque in tertio supra trigesimum annum contigit, dictum à D. Paulo est, (x) quòd *occurremus omnes in virum perfectum, in mensuram ętatis plenitudinis Christi*: quod etiam de omnibus procedere, quos nuper memoravimus, communis & recepta sententia est apud Doctores Scholasticos cum D. Thoma: (y) neque id mirum; est enim hæc sententia Patrum, Augustini, Hugonis de S. Victore, aliorumque passim. Neque hinc sequitur (quod monitum proprius spectat ad Pictores) quòd vel justi omnes, vel etiam damnati habituri sint, donati immortalitate, eadem facierum lineamenta, eosdem vultus, staturam eamdem; aut similia alia, quæ quia pertinēt ad naturæ varietatem & integritatem, prout nata est reperiri in diversis individuis, citra ullam tamen monstrositatem aut deformitatem; servanda profectò erit etiam post omnium resurrectionem. Neque moveat quempiam quòd Augustinus docere videatur rem esse admodum incertam, eo loco ipso quem nuper allegavimus; etenim *Resurgent*, ait, *omnes, tam magni corpore quàm vel erant, vel futuri erant, in juvenili ætate quanvis nihil oberit, etiam si erit infantilis vel senilis corporis forma ubi nec mentis nec ipsius corporis ulla remanebit infirmitas. Unde etiam si quis in illo corporis modo in quo defunctus est resurrecturum unumquemque contendat, non est cum illo laboriosa contradictione pugnandum.* Hucusque Augustinus. Quod tamen movere non debet eruditum Pictorem, ut secus faciat eo quem docuimus modo. Ibi enim sanctus, atque ab omni jurgio alienus Parens tantùm intendit rem non ita certam esse, ut pertineat ad Fidei capita: est tamen ita certa, ut contrarium impro-

(x) Ad Ephes. 4. 13.

(y) D. Th. in 4. dist. 44. q. 3. quæstiunc. 1. D. Aug. l. 22. de Civ. Dei, c. 16. & 20. Hug. tract. de Resur. c. 15.

(z)Suar. t 2.in 3 p.q 56. art. 1. disp. 50. sect. 5.

probabile videatur, ut rectè Eximius Doctor admonuit, (z) atque ex eisdem fundamentis planè convincitur adversus nonnullos, qui secus opinati fuerunt, quòd neque in damnatorum corporibus erunt post resurrectionem defectus illi, quibus in hac etiam mortali vita gravantur. Quapropter eorum etiam nemo resurget, sive mancus, sive mutilus, sive cæcus, sive gibbo tumens, sive claudus, sive varus, aut quovis alio laborans ejusmodi defectu. Et ratio, atque optima quidem, utpote à D. Thoma tradita, (a) ea est: quod resurrectio Dei est opus, & quidem solius Dei operantis omnino miraculosè: Dei autem perfecta esse opera satis notum habemus ex sacræ Scripturæ testimonio.

(a) D.Th. ubi sup.

11 Magis autem à vero Pictor aberraret, qui pingeret omnes è monumentis excitatos viros, & feminas nullas: motus fortasse aliquorum opinamentis, qui putarunt id hoc prorsus modo eventurum esse: delusi illo Pauli testimonio supra allegato, (b) ubi ait occursuros Christo omnes in virum perfectum &c. Verum hoc inane deliramentum est, quanvis illis favere nonnihil videantur ex Patribus aliquot, ut sunt Basilius, Athanasius, atque Hieronymus, (c) qui tamen non probè intelliguntur ab illis, qui tantorum Patrum auctoritate munitos se credunt. Docent enim nostram, & veram sententiam Patres quique Ecclesiæ gravissimi, etiam ii, qui pro opposito opinamento allegantur; Tertulianus, Augustinus, Chrysostomus, Beda; (d) quos omnes, judicio quo pollet, sequutus est D. Thomas: imò ipsi qui pro contraria assertione citantur, idem disserte tenent, Hieronymus & Athanasius, * cujus verba non pigebit exscribere: etenim *si incredibilia*, inquit, *hæc tibi videntur, audi Dominum Sadducæis dicentem, quòd in resurrectione mortuorum neque nubent, neque ducent uxores*: non (prosequitur eleganter se ipsum explicans) *quòd neque viri neque feminæ resurgent; nam in resurrectione ipsi quidem viri resurgent viri, ipsæ autem mulieres, resurgent mulieres, sicut & ipsa Theotocos: sed erunt, inquit, sicut Angeli.* Quo clarius & expressius dici nihil potest. Quod verò ad Magnum Basilium spectat, bene & eleganter illum vindicat recentior & eruditus Author statim allegandus. Et hos quidem Patres,

(b) Ad Ep. 4. 13.

(c) Basil. in ps. 114 Athan. ser 3. contr. Arian. Hier. sup. c. 4. ad Ephes.

(d) Tert. lib. de Resur. carnis c. 60. & seq. Aug. de Civ. l. 22. c. 17. Chrys. h. 71. in Mat Bed. in c. Luc. 20. D.Th. in 4. dist. 44. q. 1. art. 3. quæstiunc 3. & expressius l. 4. cont. Gent. c. 88.

* Hier. Ep 61. & Epist. 27. Athan. in quæstioni bus ad Antiochen. q 23

aliosque, sequuntur communiter Doctores Scholastici, passim cuique obvii.

12 Communiter, inquam; nam quod gravissimus alioqui Author asserit his verbis: (e) *Hoc certum est, ut constat ex doctrina omnium Scholasticorum, neque aliquis Catholicus id vertit in dubium*, videtur dictum minus advertenter, aut saltem nonnihil exaggeratius. Sanè eruditus ac sapientissimus P. Cornelius Alapide, de cujus fidelitate veritateque dubitare est nefas, (f) *Videtur*, inquit, *hæc esse sententia S. Hieronymi, & aliorum, qui dicunt, in resurrectione non fore sexuum diversitatem. Inter Scholasticos verò Scotus in 2. dist. 20. expresse docet omnes feminas, excepta una B. Virgine, resurrecturas in sexu virili.* Hæc ille. Quibus oblata, aut arrepta occasione, tam disserte atque eleganter respondet gravissimus atque eruditissimus Salmanticensium Theologorum (g) qui modò supersunt Decanus Primariusque Sacræ Theologiæ antecessor emeritus Magister Fr. Michael Perez, Basilianus Monachus, quem honoris & reverentiæ causa nomino; ut quod ad rem hanc illustrandam attinet, reliquerit nihil intactum. Adeat illum loco in margine designato eruditus Lector, profectò non pigebit laboris & operæ. Quare ut summatim cuncta dicamus: siqui Patres aliquando oppositam sententiam, aut, ut verius dicamus, absurdum docere videantur, interpretandi sunt bono & facili sensu. Quo planè intelligitur in Cælo post resurrectionem, sicut neque in Inferno ipso, futuram esse sexuum diversitatem, quoad usum, non quoad rei substantiam atque existentiam. Hæc fusius quàm fortassis oporteret & erat cordi, disseruimus, provexit enim nos rei dignitas, quæ non tam ad Pictorem spectat, quàm ad Theologum.

(e) P. Suar t. 2. in 3. p. q. 54. art. 1. disp. 4[?] sect. 3.

(f) Alap. in cap. 4. ad Ephes.

(g) Tract Theolog. Bibl. dub. 7. pag. 578. & seq.

13 Quòd verò in Pictura hac magis peccatum est, etiam à summis Artificibus, incomparabili etiam Michaele Angelo non excepto, est nudorum utriuslibet sexus corporum procax & petulans repræsentatio, quæ adeò ingens fuit in laudato illo Michaele, ut jussu etiam summorum Pontificum coactus fuerit Picturam emendare, modestiusque corrigere, quod ad nuditatem spectat. Pluscula de hoc argumento supra prælibavimus, quæ proinde hic nolumus repetere. Et sanè, quantum ad præsentem

tem rem attinet, non ineptum, superfluumvè tantùm, sed pene flagitiosum est, ut in tabula illa, in qua districtum illud Judicium oculis subjicitur mortalium, qui in eodem verbuli etiam otiosi rationem Christo sunt reddituri: in tabula, inquam, illa copiosa seges, latusque campus ministretur eisdem incidendi in cogitationes parum pudicas. Minutiora alia consultò relinquimus: præsertim cùm non admodum frequentia occurrant in laudatorum propriis nominibus Artificum tabulis & picturis. Nam quòd Angelos Angelus depinxerit alis carentes, sicut & dæmones caudâ atque unguibus orbatos, jam supra retulimus & improbavimus. *

*Sup. l. 2. c. 4. n. 6

14 Superest tantummodo pro argumenti, totiusque adeo huius libri complemento breviter delibare nonnulla de aliquibus Christi Domini imaginibus usitatis; quæ non tam factum aliquod referunt, quàm nonnullam mysterii significationem exhibere videntur. Quarum prima est, eaque antiquissima, ut pote cujus meminit Tertullianus: (h) quod obiter dictum monere atque urgere poterat Iconomacos: eâ enim sacris Calicibus depingebatur Christus sub Pastoris forma, ad se vocans atque alliciens peccatores, tamquam oves erraticas: sicut & multoties videtur Christus sub eadem Pastoris forma depictus, trahens super humeros ouem: in quo erroris est nihil, ut pote evidenter desumpto ex verbis & parabolis Evangelii. (i) Alia est, & quidem frequens, in qua depingitur Christus tenens sinistrâ terrarum orbem sub figura globi superposito Crucis signo, dexteraque illi benedicens, quæ auctoritate sua invaluit. Christo enim Domino illud vel maximè competit, quod Isaias ait. (j) *Quis mensus est pugillo aquas, & cœlos palmo ponderavit? quis appendit tribus digitis molem terræ?* illudque Pauli. (K) *Per eum placuit reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem Crucis eius, sive quę in terris, sive quæ in cœlis sunt*: aliaq; hujusmodi.

(h) Tert. de Pudicit.

(i) Ioan. 10. Luc. 15.

(j) Is. 40. 12.

(K) Coloss. 1. 20.

15 Aliæ magis peculiares videntur, non enim est infrequens pingi Christum Dominum veluti torculari immersum, & Crucem veluti trabem eumdem exprimentem; ità ut è quinque vulneribus effluat largus cruor, quem Angeli calicibus excipiunt. Quod quidem, etsi erroris nihil contineat; cùm planè desumi videatur ex Isaiæ verbis, dicentis in persona Christi, *Torcular calcavi solus*: si tamen verùm dici fas est, nollem ut ita frequenter usurparetur: id quod non facilè capiunt, neque intelligunt, nisi qui sint in Ecclesiæ & Sacrę Scripturæ doctrina aliquantulum provectiores. Alia est denique (ut nonnullas alias mittamus) in qua Christus Dominus flagellis conscisus spinisque coronatus, imò si bene memini, manibus etiam & pedibus clavis perforatus, depingitur super Crucem genuflexus, oransque Patrem. Hanc picturam imaginemque taxat atque damnat ut planè erroneam Author non mediocris nominis in hac palæstra; (l) cuius verba, ne quid meum dicere videar, hîc integra subjicere nil ambigo. *Erronea*, inquit, *item Pictura est, & quidem nimis crassè, quæ exprimit Salvatorem coram Patre suo orantem genibus flexis super patibulum Crucis. Contra quam Gregorius Naciancenus ait lib. 4. de Theologia: Paracletus Iesus non supplicantium servorum more ante pedes Patris pronus volvitur, eiusque genibus accidit. Apage hanc verè servilem, & spiritu indignam comparationem. Neque enim hoc deposcere Patris est, neque Filii in se admittere. Orat quidem Christus Patrem, sed neque humiliando se, neque supplicando. Verum introivit in cœlum tamquam Pontifex in Sancta Sanctorum per proprium sanguinem: ut appareat vultui Dei pro nobis. Ibi sui corporis ostensione flagitat, intercedit, interpellat, sive postulat pro nobis.* Ego verò, si modeste judicium & sententiam meam dicere postuler, hujusmodi Picturam erroris damnare non ausim. Nam quod Christus oraverit pro peccatoribus, non genibus in Cruce positis, sed ipsi Cruci (quod majus videtur) affixus, ex Evangelio constat, illis verbis, *Pater ignosce illis*: Quod verò depingatur genibus flexis super Crucem, præterquamquod potuit quodammodo evenire, per breve licèt tempus, antequam ipse crucifigeretur; stando maximè sententię quod fixus fuerit Cruci super solum extensæ, quam supra prætulimus: * Præter hoc, inquam, non denotat id fuisse factum; sed pia tantùm quædam cogitatio, ut mihi videtur, intendit offerre Christum Dominum Æterno Patri tormenta, mortemque suam illam acerbissimam atque ignominiosam; in quo quidem, judice me, nihil reperitur absurdum.

Isai. 63. 3.

(l) Mol. l. 2. c. 28.

* Cap. 17. n. 2.

LIBER

LIBER QUARTUS.

DE IMAGINIBUS SACRÆ ATQUE INTEMERATÆ Deiparæ: & quid in his summoperè tenendum, cavendumque sit.

CAPUT I.

DE PICTURIS IMAGINIBUSQUE SACRATISSIMÆ Virginis in genere: & quid in his probandum, improbandumvè.

1 UI hactenus toto precedenti libro disseruimus quę visa sunt opportuniora circa Christi Domini, Servatorisque nostri Imagines, ad annotandum ea quę se offerunt circa intemeratæ ejusdem Matris imagines recto ordine, ut arbitror, accingimur. Sed monitum ante omnia Lectorem velim, me hìc non implexas Theologiæ quæstiones, non strictiores etiam ad Historiæ fidem pertinentes nodos velle dissolvere: hæc enim plenius pertractare, alius loci labor est, sed tantùm intra argumenti metas excurrens, quæ pii atque eruditi Pictoris partes sint perquirere pertractareque conabor, multa aliis discutienda relinquens. Et quidem cùm post Christi Domini imagines nullæ alię frequentiores sint apud pios atque Catholicos, imò nullæ aliæ digniores: operæpretium censeo Pictores admonere, ne quid in iis, vel verę pietati, vel sobriæ eruditioni, vel (quod magis cavendum est) honestati ac decori oppositum admittant. Et sanè quanvis hujusmodi pluscula prælibaverim, alia etiam addere non gravabor: quippe existimo, momenti tam gravis argumentum, neque inutile neque importunum esse repetere, ac decies inculcare lectoribus.

2 Principiò igitur: Imagines Beatæ Virginis, etiam à magnis Artificibus elaboratas, quotusquisque est qui non viderit affectatâ quidem, sed non satis honestâ pulcritudine descriptas? Quis non aspexerit easdem, non quidem nudas, sed magnam partem non decenter, & ut tantam majestatem honestatemque deceret, amictas? Videas in his passim caput nullo velo contectum, capillos nullo adstrictos nodo, per colla omnino lactea defluentes: cervicem collumque, &, quod magis est, ubera castissima spectantium oculis patentia: pedes denique, aut nudos omnino, aut levi calceatos sandalio, ut nihil interim dicam de colore atque splendore vestium, de quo nonnulla inferius dicturi sumus. Hæc autem omnia, aliaque similia, quantum à recta ratione devient, prudens quisque cognoscit: tametsi quorumdam Pictorum audacia, quam illi virtutem, peritiamque ostentant, eousque fuerit progressa; ut maluerint portentosa quædam, quàm honesta ac decora depingere. Non ego is sum, qui negare velim, aut dubitem, Beatissimam atque intemeratam Deiparam eâ fuisse vultus & totius corporis pulcritudine, eâ castissimæ faciei atque oris honestissimi venustate, ut intuentium oculos ad se raperet, admiratioque perfunderet. Non is, inquam, sum: sed sum planè qui negem, ad eam repræsentandam inanibus, parumque ad modestiæ legem compositis opus esse figmentis. Quid enim attinet pro intemerata, animâque ac corpore purissima Virgine, &, ut verbo dicam, sanctissima Deigenitrice objicere oculis Junones Samias, Spartanas, Helenas, aut Veneres Gnydias? Scio equidem magnì nominis, ac pietatis eximiæ Doctorem

in

in Ecclesia dixisse, quod nonnihil favere possit sequiori opinamento ac concipiendi modo: sic enim habet Virginem Deiparam alloquutus: (a) *Universas enim feminas vincis pulcritudine carnis: superas Angelos & Archangelos excellentia sanctitatis.* Sed enim hoc, aut aliud elogium omnino simile, concipiendum atque accipiendum est scienter & cum judicio. Etenim si loquamur de Beatę Virginis pulcritudine cum omnibus, ut ita dixerim, suis adjectis, aut sumpta in concreto (si Scholæ verbis uti Theologo conceditur) hoc est conjuncta cum singulari illa ac planè divina modestiâ, cum virtutis & sanctimoniæ fulgore, qui oculis irradiabat virgineis: qua ratione dixit eleganter poëta Latinus,

(a) D. Bonavent.

> *Gratior & pulcro veniens è corpore virtus:*

hoc modo dubium non est quin Virgo sacrosancta carnis pulcritudine universas feminas superaverit. Sin verò nudè & abstractè sumpta carnis pulcritudo denotetur, ego non video (quod tamen doctioribus relinquo judicandum) cur necessè sit ut sanctissima Christi Mater universas feminas, quotquot fuerunt, aut sunt, superaverit pulcritudine carnis: eò vel maximè quòd hæc corporea pulcritudo, apud Europæ gentem, præsertim spectetur in coloris candore splendenti cuidam rubori in genis admixto. Hoc autem lacteo candidoque colore non omnino fuisse Sacratissimam Deiparam, præterquamquod nos docent descriptiones utcumque veterum Authorum, qui de re hac aliquid literis tradiderunt; percipere mihi clarè videor ex Divino illo Canticorum libro, ubi non semel id datur intelligi, cùm sermo fit ex persona intemeratę Virginis: (b) tale enim illud est: *Nigra sum, sed formosa, filiæ Ierusalem.* Et illud: (c) *Nolite me considerare quòd fusca sim;* quæ etiam ad literam exponunt de Virgine Deipara ejusdem Canticorum libri non obscuri neque postremi nominis Interpretes. Et jure merito: quis enim credat intemeratam Virginem eo candore, albedineque rosea præfulsisse, quibus nitere solent Europææ feminæ, Italæ (ut de Hispanis nihil dicam) Gallæ ac Belgæ. Quare eo modo, qui sibi magis arrideat, quisquis, per me licet, intelligat pium illud elogium, quod tamen verum, imò & verissimum esse constat, si cum temperamento (quod innuimus) prudenter atque scienter intelligatur.

(b) Cant. 1.4.
(c) Ibid. v.5.

3 Sed age: sit etiam Beatissima Virgo speciei, ac pulcritudinis etiam corporeæ atque carnalis primarius archetypus, rogo: Estne etiam, imo potius puritatis & sanctimoniæ præcipuum & primarium exemplar? Est planè. Ut quid ergo depingenda veniet ab Artificibus, quantumlibet in arte summis, in hac certè parte minus circumspectis, eo quem supra retulimus modo? An nimirum ut suæ ipsorum satisfaciant, peritiæ dicam, an levitati? Cur enim Virgo, virginum cunctarum forma atque magistra, proponatur capite nullo velamine cooperto? Cur passis sparsisque per colla nitentia capillis flavedine conspicuis? cur cervix candida? cur ubera, quæ Mundi Opifex exsuxit, nullo decenter velo tegantur? cur (ut plura prætermittamus) aut nudis omnino pedibus, aut parum, ut decebat, obtectis? cùm tamen Clemens Alexandrinus (d) nuditatem omnem in feminarum pedibus improbet, qui tamen pedibus virorum tantùm soleas permittat, quæ plantam ab offendiculis, arenæque ardore tueantur. Prætermitto hìc libens, quòd priscæ sacræ Virginis imagines, præsertim apud Orientales nationes, raro, aut certè numquam, eamdem nisi pectore tenus ostendunt: ut scilicet cujusvis levioris aut stultæ cogitationis ansa, etiam infirmioribus amputetur. Hoc interim assero; debere pium & cordatum Pictorem beatam atque intemeratam Deiparam, quantâ fieri possit honestate & gravitate depingere: tametsi apud nos usu sit receptum, sæpius eamdem integram, & juxta totius corporis staturam, sedentem, aut stantem describere.

(d) Clem. Alex. in Pœdagog lib. 1. c. 11.

4 Ne verò hæc & alia, quæ consultius omittimus, liberius præter morem nostrum alicui dicta videantur; placet hic integrum adducere testimonium authoris, non quidem ex nimiùm veteribus, neque majoris, quod fatemur, nominis; sed tamen ejus, qui scriptis suis jamjam meruit ut de eodem ratio habeatur ab eru-

eruditis. Nempe is est Nicephorus Calistus, qui de Sacratissima Deipara sermonem instituens, hæc habet: (e) *Mores autem formæque & staturę ejus modus talis, ut inquit Epiphanius, fuit: Erat in rebus omnibus honesta, & gravis, pauca admodum, eaque necessaria loquens: ad audiendum facilis, & perquam affabilis, honorem suum & venerationem omnibus exhibens; statura mediocri, quanvis sint qui eam aliquantulum mediocrem longitudinem excessisse dicant.* Et paucis interjectis: *Colore fuit frumentum referente.* Notent hęc, obsecro, qui eamdem admodum lacteo fuisse contendunt: cùm tamen color frumentum referens ille sit, qui & per se oculis patet, & quo feminæ tinctę, non sine venustatis commendatione, dicuntur Hispanismo nostro *trigueñas.* Sed audiamus iterum Nicephorum. *Capillo*, subjungit, *flavo, oculis acribus, subflavas, & tamquam oleæ colore pupillas in eis habens. Supercilia ei erant inflexa, decenter nigra, nasus longior, labia florida, ac verborum suavitate plena, facies non rotunda & acuta, sed aliquanto longior, manus simul & digiti longiores. Erat denique fastus omnis expers, simplex, minimèque vultum fingens, nihil mollitiei secum trahens, sed humilitatem præcellentem colens. Vestimentis quæ ipsa gestavit, coloris nativi contenta fuit; id quod etiam num sanctum capitis ejus velamen ostendit, & ut paucis dicam, in rebus ejus omnibus multa divinitus inerat gratia.* Hucusque Nicephorus, qui certè non nova intrusit, sed antiqua retulit, & quæ planè fuerant à majoribus tradita. Dixerat enim idem Anselmus, (f) dixerat Damascenus, dixerat Beda, dixerat, ut alios taceam, Epiphanius, cujus proinde authoritate se munit ipse Nicephorus.

(e) Nicephor. lib. 2. hist. c. 23.

(f) D. Anselm. Damasc. orat. 11. de Nativ. Virginis.

5 Atque hęc quidem satis fuerint ad erudiendum Pictorem nostrum, quod attinet ad externam formam immaculatæ Deiparæ: quantumvis pulcritudinem illam planè cœlestem atque divinam, quæ elucebat in facie ex consortio sanctitatis atque virtutis, nullus mortalium assequi penicillo, imo nec mente posse putaverim. Nam quod ad hanc spectat, moresque sanctissimos, plenæ sunt Sanctorum paginæ; adeò ut difficile sit colligere vel ea tantùm quæ de præcellenti hoc argumento sparsim dixerit Ambrosius. Jam verò quod ad vestimentorum colorem attinet, in quo etiam versantur Pictoris partes; nihil illis, etiam iis qui consueverunt pingere decentius & modestius, frequentius est, quam Divæ Virgini attribuere pallium atque tunicam, illum quidem coloris cœrulei nimium splendentis, &, ut ipsi vocant, Ultramarini: hanc verò coloris omnino purpurei supra modum rubentis. Quod quidem quum ipsius usus authoritate jam creverit, sitque vel hac tantùm ratione non improbabile; consultius tamen esset simplicioribus aliis atque ad Virginalis modestiæ normam compositis uti coloribus, quales certè sunt fuscus, & albus, aut uterque. Vidimus certè ex Nicephoro (quod idem totidem verbis Anselmus habet) Virginem Deiparam contentam fuisse vestibus utique laneis, coloris nativi: hi autem ferè non alii sunt quàm fuscus (quem griseum vocant) & albus, non admodum tamen splendens atque candicans. Quibus proinde solis si Pictores uterentur, multo magis, judice me, modestiæ & simplicitati virgineæ aptarent sese atque accommodarent. Possent hæc ulterius confirmari non paucis. Sed si quis ea omnia studiosius persequi volet, adeat laboriosum scriptorem Vitæ, excellentiarumque Virginis Deiparæ locis allegatis in margine: (g) quanvis in iis nonnulla quæ referuntur ex authoribus, allegentur non omnino fideliter, incuria fortasse aut vitio typographi.

(g) R. P. Ioseph à Iesu Maria, Carmel. Excel. lib. 1. cap. 41. & 42. & lib. 2. c. 15. 24. & 5.

6 Pingitur autem plerumque eadem sanctissima Deigenitrix (& meritò quidem: cùm hoc sit majestatis ac dignitatis ejus præcipuum munus & insigne) puerum Jesum aut ulnis gestans, aut ipsum dormientem super culcitram reverenter adorans. Juxta quod piè ac reverenter canit Ecclesia, *Ipsum quem genuit, adoravit.* Bene hoc & rectè: illud autem non item, (h) quod *Pictores* (verba jam non nostra, sed gravis Theologi in hoc argumento nimis versati) *sępè infantem Iesum nudum sculpere solent aut pingere: sed ob hoc male audiunt à multis non exiguę pietatis & prudentiæ viris. Quid enim in hac nuditate esse potest ædificationis? Atque utinam nulla hinc oriretur in parvulis*

(h) Molan. lib. c. 42.

vulis destructio, nullum in pusillis scandalum. Viderint ergo Pictores, ne suo malo discant quid sit quod Dominus ait: (i) *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Væ homini illi per quem scandalum venit. Certè si antiquas Picturas consulere velint, facile advertent in eis puerum Iesum decenter & honeste depictum esse, ac sese multum à majorum simplicitate degenerasse.* Hucusque laudatus Author. Quibus, quòd ad rem præsentem attinet, nulla addenda habeo: nam quòd Virginem Deiparam cum aliis ornatibus repræsentent, nimirum cum corona in capite, quod sæpius fit, & interdum sceptrum manu gerentem, pietatis, non erroris est; cùm per hæc tantummodo repræsentetur majestas & imperium ejus, quæ passim ab Ecclesia ipsa salutatur ut Domina Reginaque, non mundi tantùm, sed Angelorum Sanctorumque omnium. Si quæ verò occurrant peculiaria (& occurrent certè) suis commodius locis annotabuntur.

(i) Matth. 18.

CAPUT II.

IMAGINES ET PICTURÆ CONCEPTIONIS Beatæ Virginis, ejusdemque Nativitatis.

1 Acratissimam Deigenitricem in primo suę animationis instanti, Divina prę veniēte gratia, sanctificatam fuisse in utero parentis, tam jam receptum in Ecclesia est à piis quibusque eruditisque viris, qui omnes piam hanc & veram sententiam utrâque, quod ajunt, ulnâ complectuntur; ut Sedes Apostolica vetuerit, edictoque suo meritissime sanxerit, ne quis asserat, multoque minus defendat sententiam oppositam. Cumque mysterium Conceptionis purissimæ ejusdem Virginis in hac, quam diximus, sanctificatione fundetur, de quo passim in Christiano populo ostenduntur imagines picturæque: operæpretium facturus mihi videor, si ea quæ circa hanc Imaginem commodius occurrant, perstrictim annotavero: ipse præsertim, qui mysterium hoc memet asserturum, prędicaturum ac defensurum conceptis verbis pollicitus sum interposita religione juramenti; & qui Theologorum Regii Consessus, qui pro eodem mysterio promovendo deputati sunt, unus, quantumvis omnium postremus, audio: & qui denique immemor esse non possum, nec volo equidem, eamdem piam sententiam fuisse olim propugnatam acerrimè à Doctore Martyreque sanctissimo Divo Petro Paschasio, mei Ordinis singulari ornamento (quod ego contra eruditos quosdam scriptis editis defendi) cùm Sacram Theologiam non sine ingenti auditorum fructu prælegeret. Ipse enim Sanctus Doctor, qui natus anno Domini M.CC.XXVI. ipso anno seculari M.CCC. decoratus Martyrii palma decessit; sic habet in Opere sat celebri, & cujus adhuc supersunt exemplaria, quod quidem eo titulo, prout ea ferebant tempora, prænotavit *Biblia pequeña*: (a) de quo quidem opere, & plena doctrinæ ac pietatis lucubratione non pauca diximus in Apologia pro Religioso statu hujus Sancti Doctoris & Martyris. Verba itaque ex Lemosino idiomate ad Latinum quam fidelissimè translata, hæc fermè sunt: *Oportet igitur intelligere, & credere (& hoc per specialem gratiam) quòd hęc præfata virgo est ea, de qua Proverbia Salomonis loquuntur, quod ante omnem creationem fuit electa, ut Dei Mater esset. Ergo prędicta Virgo fuit omni tempore in gratia Dei :::: & voluit reservari ab originali peccato (quod mortale erat) & ab omni alia deturpationis injuria. Et hoc per specialem gratiam operatus est Deus, tamquam qui ab ea carnem assumpturus erat :::: Si ergo Virgo Maria labem originalis maculæ attraxit, dicendum esset, quod aliquo tempore fuit in ira Dei: quod nec dici, imo nec credi debet: sed potius quòd ante conceptionem ejus, & postea, in gratia sui existeret & amore. Et hoc*

(a) D. Petrus Paschasius in Bibl: pequeña tit. 23. n. 71. pag. 361.

hoc fecit Deus, & potuit facere per specialem gratiam, sicut fecit in tribus pueris, &c.

2 Satis, ut arbitror, notum est etiam non admodùm eruditis, Picturam atque imaginem mysterii Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis Mariç esse desumptam ex illo, quod signum magnum appellat Ioannes in Apocalypsi sua, illudque describens (b) *Signum*, inquit, *magnum apparuit in cœlo: Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim.* Quod quidem non solùm de Ecclesia Militante, sed de ipsa Virgine Deipara in suæ purissimæ Conceptionis mysterio speciatim accipi debere, plures sunt qui asserant, quos recensere non est præsentis instituti. Qui igitur melius ac decentius signum illud ab Evangelista descriptum, coloribus expresserit in tabula, idem melius & accuratius dicendus est pinxisse Imaginem Conceptionis Sacræ Deiparæ. Qua verò ratione describi debeat, & quibus coloribus adhibitis bene atque eleganter, ut pote suam spartam ornans, docet Pictor sæpè laudatus, & qui jure promeritus est nomen eruditi: (c) ad cujus rei descriptionem lectorem remittere placet; si tamen nonnulla hic admonere liceat ac præmittere. In primis enim depingenda est sacra Virgo ætate, ut mihi videtur, admodum tenera, potius quàm ea, quæ sçpius Pictoribus perplacuit, decennis, inquam, aut duodennis: in hac enim purior in Virgine atque emaculatior pulcritudo resplendet. Deinde vestibus non ad eam legem adstrictis, quam supra memoravimus. * Neque enim Imago hçc exigi debet ad fidem historiæ, neque potest: quandoquidem Virgo Sacratissima eo momento instantivè quo primùm animata est, atque in ipso cumulatissimè sanctificata, veste ulla aut ornatu corporeo amicta fuit, sed gratia, donisque divinis. Pingatur igitur alba tunica atque splendente, aureis etiam, si placet, intertexta floribus, pallioque amplo cæruleoque, quantum fieri possit rutilante. Hac enim forma (præterquamquod, quàm melius fieri potest oculis repræsentatur facti mirabilis dignitas) apparuit eadem B. Virgo, ut notavit laudatus Pictor, nobilissimæ virgini Beatrici de Sylva Lusitanæ, fundatrici Ordinis Purissimç Conceptionis, quem confirmavit Julius II. anno undecimo supra sesquimillesimum. Ulterius præter amictum solis stellarumque, luna pedibus debet affigi; sed non eo modo quo consueverunt Pictores nonnulli, ut scilicet extremitates cornuave sursum versus jactet; sed è converso, ad infima respiciant. Monitum hoc est eruditi in sacram Apocalypsim Interpretis, cujus verba subjicio: (d) *In solis, lunæ, & stellarum conjunctione:.: video vulgares picturas frequenter aberrare. Nam pictores lunam Dominæ pedibus suppositam solent utroque acumine sursum converso depingere: Mathematicç autem artis peritis evidens est, si sol & luna conjuncti uterque sint, & luna ab inferiori loco ex uno latere respiciatur, utramque lunæ cuspidem, sive acumen, deorsum conversa videri, ita ut mulier sit, non supra lunæ concavum, sed supra convexam illius partem. Id quod ita fieri oportebat, ut mulierem supra stantem collustraret.* Hucusque laudatus Interpres. Denique si supra caput, aut in cœlo reserato placeat depingere æternum gloriæ Patrem, ut sçpè factum est à pictoribus, venustatem id atque gratiam conciliabit picturæ.

3 Pleraque hujusmodi imagini adjungunt Pictores non indocti, quæ tamen persequi non est laboris nostri, atque instituti, qui tantùm suscepimus in nostro qualicumque munere Pictores admonere de iis, si quæ irrepant, gliscantvè circa pingendas effigiandasque sacras Imagines, quç animadversione, aut emendatione egeant. Hujusmodi autem illud censeo, quod egomet annotare potui in imaginibus Conceptionis Purissimæ, vetustis tamen. Unum est, quòd in aliquibus effigiatur Sacra Deipara infantem Jesum ulnis amplectens. Non hoc certè damnandum venit erroris nomine, sed neque esse potest scientibus ipsam originalem gratiam collatam fuisse Mariæ, ut digna tanti Filii mater existeret: sed tamen, quamquam hoc ita sit, consultius fuerit, eamdem junctis ante pectus reverẽter manibus in hoc purissimæ Conceptionis suæ mysterio depingere: Tum quia ita magis receptum usu est: tum etiam quia per hoc commodius exprimitur illud instãs, in quo tam exuberante gratia perornata concipiebatur, ut postmodum ipsa qua par erat sanctitate atque puritate Verbũ ipsumDei assumpta humanitate cõci-

(b) Apoc. 12.1.

(c) Franc. Pacciec. in addition. pag. 481.

* Sup. c. 1. n. 4.

(d) P. Alcazar in Apoc. ad c. 12. v. 1. p. 616.

ciperet. Majoris offendiculi videri potest illud, quod nos etiam aliquando spectavimus; videlicet depingi Immaculatam Virginem in hoc mysterio, junctis quidem ante pectus manibus, sed in utero ipso sacrosancto gerens infantulum jam tum corona cinctum, mundumque sub globuli specie manu sustentantem. Et visum quidem est, me præsente, nonnullis pietatem spirans & referens: sed ego, salvo aliorum judicio, rejiciendum absolute censeo: tum quia ita magis eliminantur incautæ quædam stultæque cogitatiunculæ: tum etiam quia res novitate quadam insolita non vacat, quæ tandem semper fugienda est; cum nos doceat Apostolus (e) fugiendas esse, non tantùm rerum, sed etiam vocum ipsarum profanas novitates.

(e) Ad Tim. 1. c. 6. v. 20.

4 Quod ad Nativitatem ejusdem intemeratę Virginis spectat, vix aut ne vix quidem est, de quo, nostro insistentes muneri, debeamus esse soliciti. Nam quòd femina illa ter Sancta & benedicta Genitricis Dei mater Anna, quæ talem ac tantum fructum nobis edidit, qualis est Virgo super omnes omnino feminas benedicta, & cui proinde quisque pius illud Latini Lyrici meritissimè adaptet, *O mater pulcra filia pulcrior*: Quod Sancta Anna, inquam, veluti recens à partu depingatur in lecto decumbens, cui famulæ sedulò inserviant: quòd venerandus sanctusque pater ejusdem Joachimus, vel eamdem in ulnis habens flexo utroque poplite depingatur, oculis in superna directis, veluti pignus dulcissimum Deo offerens, pro eoque suscepto gratias agens: vel sedens, nimis admirans pulcritudinem recens natæ filiolæ, quam eidem mulier aliqua provectioris ætatis ostendit: aut alio fortasse modo (quanvis hi, quos innuimus decori magis & aptiores omnino videantur) nihil erroris continet aut absurdi. Contineret autem, & quidem gravissimum, si quod (teste Pictore sępius laudato, (f) plerique fecerunt in ostentationem artis, ut ipsi putant, aut potius vanitatis, ut ego existimo) Virgo Sanctissima etiam recens nata nuda oculis objiceretur, Apage insaniam. Si enim quòd puer Jesus, adhuc in infantili ætate nudus depingatur, tam meritò supra reprehendimus; quanto potiori jure hoc idem in repræsentatione Beatę Virginis abominabimur, cui certè præter communes honestatis regulas debetur, quia feminę, reverentia circumspectior & cautior? Alia autem, quæ in pictura eadem adjiciuntur, ornatus causâ, si tamen omnino sint modesta, quæ denotent Annę partum fuisse conformem communibus regulis; valde conforme est ipsius Ecclesię sensui, quæ alicubi docuit Annæ, quantumvis feminę sanctissimę, partum nullo modo extrahendum à regulis communibus.

Horat.

(f) Franc. Pacciec. p. 437.

5 Quoniam verò nonnulla supra diximus de Nomine gloriosissimo IESU, eò quòd literis quibusdam, in circulo solarem orbem repræsentante, soleat depingi; par est ut hîc aliqua saltem delibemus de glorioso Nomine Marię, quod etiam ad eumdem fere modum describi solet atque depingi. Et quidem hoc benedictum Nomen dulcedinis plenum & suavitatis, de quo plurima valdeque pia scripserunt posteriorum seculorum Patres (quos expensos allegatosque videre quivis poterit (g) apud Concionatorem Lusitanum superiori seculo longe celeberrimum) celebrari & coli cæptum est in pluribus Ecclesiis, Religiosisque Ordinibus: quam solemnitatem ad universalem Ecclesiam extendit felicis piissimæque item memorię Pontifex Innocentius Undecimus, assignata cultui Dominica infra octava Nativitatis Deiparæ, ob causam potissimum, quæ in eadem refertur illis verbis: *Quod quidem venerabile nomen* (nempe Mariæ) *jam pridem in quibusdam Christiani Orbis partibus speciali ritu cultum Innocentius Undecimus Romanus Pontifex, ob insignem victoriam sub ejusdem Virginis Marię præsidio de immanissimo Turcarum tyranno cervicibus populi Christiani insultante Viennæ in Austria partam, & in perenne tanti beneficii monumentum in Ecclesia universali singulis annis::: celebrari præcepit.*

(g) P. Ant. de Vieyra serm. del Nombre de Maria.

6 Ut verò patens fiat quàm in Hispania nostra fuerit jam pridem benedictum Mariæ nomen devotioni atque cultui, rem hic adnectam non omnibus passim notam, etiam Hispanis. In urbe Pincia, quę vulgo audit Vallisoletum, vir olim fuit zelo atque pietate commendabilis, professione Pictor, & quidem non infimus etiam inter paucos, ut satis indicant ejus picturæ, quæ supersunt, nomine Di-

dacus Valentinus Diaz. Hic non solùm ex pecunia quam sibi sua arte comparaverat, sed ex opulenta etiam fratris hæreditate, qui apud Indos Americanos decesserat, extrui curavit Collegium alendis ac bene instituendis puellis honestæ conditionis orphanis, cujus Ecclesiam, quæ sat est ampla, & ornatu plurimo, picturisque majorem in modum exculta, venerabili ac dulcissimo Nomini Mariæ dedicari obtinuit: adhuc opus extat, non sine aliquot (ut fertur) divinæ acceptationis signis, quæ hic recensere nihil attinet. In hac ipsa Ecsia tumulatus jacet devotus tam pii operis institutor, sub epitaphio non prorsus indigno quòd hic legatur, præsertim cùm sit fama eumdem viventem adhuc composuisse, ut etiam viris aliis pietate atque doctrina insignibus evenit. Sic autem habet: „ Esta Iglesia hizo, y la dedicò al „ Nombre de Maria Santissima, Die„ go Valentin Diaz, Pintor, Fami„ liar de el Santo Oficio. Para cuya „ conservacion, y remedio de las „ Huerfanas de su Colegio, dexò to„ da su hacienda. Y aunque de todo „ se le diò el Patronazgo, fue su vo„ luntad se dè al que sea mas bien„ hechor. Y à èl, y à Doña Maria „ de la Calzada su muger, se les dexe „ esta sepultura. Fue à dàr cuenta à „ Dios año de 1660. Ayudesele à „ pagar el alcance rogando à Dios „ por èl. Latinè utcumque transferre negligimus, quòd hæc potissimum scribamus Hispanis nostris.

CAPUT III.

DE PICTURIS ET IMAGINIBUS PRÆSENTATIONIS Beatæ Deiparę, ejusdemque Desponsationis.

1 
Uanvis de rebus Sacratissimæ Virginis, ejusque gestis, educatione, operibusque sanctissimis altum in Scriptura videatur esse silentium; tam multa tamen dixerunt postea Patres Doctoresque Ecclesię, quos sanè ea omnia accepisse credere par est, aut evolutis codicibus veterum, qui injuria temporum interciderunt; aut traditione veluti per manus susceptâ didicisse, præsertim à tempore Epiphanii Cypriorum Episcopi, qui floruit Ecclesię seculo IV. atque obiit ineunte V. ut jure merito, perpensis horum aliorumque testimoniis, aliisque ad rem valde spectantibus justo examini subjectis, Ecclesia Romana, veritatis semper magistra, festum Præsentationis Beatissimæ Virginis in Templo, quod ab albo festorum atque solemnitatum, quas celebrare consuevit, expunxerat, veluti rem minus quàm par erat exploratam & certam, aut sanè magis aliquantò recentem; denuò restituerit atque instauraverit. Cujus quidem rei, ne tam merita laude fraudetur; promotor atque actor fuisse fertur vir magni nominis, perdoctæ atque sapientis Societatis Jesu Franciscus Turrianus. Is enim, ut luculentiore testimonio perhibet Scriptorum ejusdem Societatis pius ipse doctusque Scriptor, tantæ rei laudandam semper operam ante alios præstitit. Sed audiantur ejusdem Scriptoris verba, quanvis paullò longiora: res est enim quæ non passim ad omnium, qui versantur in literis, notitiam devenit. Ea autem sic habent.(a) *Denique cùm ad extremam pervenisset ætatem Romæ scribens, sanctè mortuus est ipso Beata Virginis Mariæ Præsentationis die: idque non sine aliqua ipsius Virginis in Franciscum Turrianum benevolentiæ significatione. Nam cùm Pius V. Pont. Max. ex Breviario festum Pręsentationis tamquam minus antiquum expunxisset, Turrianus noster ex recondito illo suo Antiquitatis penu vetustissimos Auctores & Græcos & Latinos deprompsit, eorumque testimoniis probavit festum Pręsentationis diem veteribus atque sanctissimis Patribus & olim cognitum, & laudibus celebratum. Itaque exquisita eruditione, in-*

(a) Petr. de Rivadeneyr. Scriptor. Societ. p. 73.

industria, diligentia, & maxima in Beatam Virginem devotione perfecit, ut festus dies jam abolitus, in usum denuò revocaretur, atque Ecclesiæ Catholicæ restitueretur: quam ejus pietatem Sanctissima Virgo gratam habuit, & (ut par est credere) in ipsomet festo die, quem ipse tanto conatu defenderat, ut ad feliciorem vitam commigraret suis precibus impetravit, anno salutis M.D.LXXXIV. Quæ omnia more suo compendio tradidit Hispanæ Bibliothecæ (b) preclarus Auctor, qui de Turriano agens, *diem*, inquit, *suum obiit ann.* 1584. *Romæ, ipso Præsentationis Virginis Deiparę festo, cujus antiquitate olim propugnata, restitui Ecclesię fastis, unde exulaverat, obtinuit.*

(b) D. Nic Ant. Bibl. Hisp. t. 2. p. 372.

2 In hujus igitur rei descriptione Pictores plerumque depingunt Sacram Virginem ætate admodum tenera: & meritò quidem; cùm triennem fuisse stabiliat communis & jam recepta opinio: ut proinde Pictor quidam à vero nimium aberraverit, qui factum hoc describens, adultam nimis Virginem sanctam proposuit, veluti sextum supra decimum ætatis annum attingentem; quod refert Pictor sæpè laudatus. (c) Pingunt itidem eam elegantioribus perornatam vestibus. Neque id male, cùm sat sit credibile sanctos atque pios parentes non sine decentiori ornatu, ut puellam tenerrimam decebat, eamdem Domino obtulisse; ut nempe in Templo, loco honestissimo, & à consortio hominum remoto, ad idque muneris destinato, cum virginibus aliis jejuniis & orationibus intenta, literis etiam Hebraicis addiscendis, aliisque piis admodum & sanctis operibus dedita vitam traduceret innocentissimam, qualem decebat illam, quæ ad tale tantumque munus, Matris nempe Dei, erat a Deo ipso jamjam destinata. Quæ omnia eleganter complexus est Damascenus verbis illis, quæ in hujusmodi solemnitate ab Ecclesia decātantur: (d) *Ad templum adducitur: ac deinde in domo Dei plantata, atque per spiritum saginata, instar olivæ frugiferæ, virtutum omnium domicilium efficitur: ut quæ videlicet ab omni hujusce vitę, & carnis concupiscentia mentem abstraxisset, atque ita Virginem una cum corpore animam conservasset, ut eam decebat, quæ Deum sinu suo exceptura erat.* Hic fuit, hic profectò, ubi crescente sensim ętate, crevit etiam cum immaculata virgine sanctitas; adeo ut vetus quidem & elegans laudum ejus prædicator Ambrosius ea dicat, quę temperare mihi non possum quin hic adscribam: post aliqua enim, quæ in genere dixerat texens Mariæ encomium, illa subdit: (e) *Quid ergo exequar ciborum parsimoniam, officiorum redundantiam: alterum ultra naturam superfuisse, alterum penè ipsi naturæ defuisse? Illic nulla intermissa tempora, hic congeminatos jejunio dies. Et si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delicias ministraret. Dormire non prius cupiditas, quàm necessitas fuit: & tamen cùm quiesceret corpus, vigilaret animus: qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda prænuntiat.* Hucusque Ambrosius.

(c) Franc. Pacciec. Arte de la Pintura p. 491.

(d) Dam. l. 4. de Fide Orth. cap. 15.

(e) Div. Ambr. l. 2 de Virginib. post init.

3 Sed nos ad institutum regrediamur iter, à quo, quanvis gratissimè, Deiparæ laudes nonnihil abstraxerant. Describunt deinde Pictores tenerrimam infantem gradus ascendentem, nemine juvante, eâ animi alacritate, ut astantibus cunctis, & pręcipuè parentibus admirationi fuerit & gaudio. Bene hoc etiam: nam quindecim omnino gradibus, Josepho teste, (f) ab infimo pavimento patebat ascensus; non quidem ad altare, ut nimis inadvertenter, imaginationeque (ut mea fert opinio) delusus scripsit Pictor sępè laudatus. (g) Nam neque Virgo purissima ducta fuit à parentibus ad altare Templi, cujus ratio longè diversa fuit ab ea quam altaria nostra præ se ferunt; neque id moris erat apud Hebræos, ut ii qui Templo destinabantur, multoque minus feminæ, offerrentur altari; sed ad locum illum habitationemque, ubi cum aliis Virgo Sanctissima convictura erat. Fuisse enim talem locum in Templo, cellulis etiam atque habitatiunculis commodè distinctam, ut virgines, aliæque mulieres addictæ Dei cultui commode possent habitare, idem Josephus docet, quem expressius quàm alii sequitur Ambrosius: (h) Imo & extitisse olim etiam perseverante Templo Salomonico simillima habitacula, satis colligitur ex Scriptura ipsa; ubi dicitur, quod Josaba filia Regis Joram, Soror Ochozię, Joas filium Ochozię furata est eum de

(f) Antiquit. Jud l. 6. c. 6.

(g) Pacc. Arte de la Pintur. en las Adiciones.

(h) Ioseph ubi supra D. Ambr. l. 2. de Virginib.

de medio filiorum regis: (i) & subditur: *Eratque cum eo sex annis clam in domo Dñi.* Quod idem perdurasse in templo postmodum extructo, satis indicant illa, quę referuntur in libris Machabęorum, ubi historicus loquutus de quadam imminente Populo calamitate, ait: (j) *Sed & virgines, quę conclusę erant, procurrebant ad Oniam.* Quæ satis commodè accipi posse videntur de virginibus clausis in templo, obsequioque Divino mancipatis. Quinimo ante templum ipsum Salomonicum magis clara, magisque disserta mentio fit, dum sermo est non semel de mulieribus, quæ excubabāt in ostio tabernaculi. (K) Sed qui de hoc plura velit, adeat pium atque eruditum scriptorem, P. Petrum Canisium, (l) qui de omnibus quæ ad sacram attinent Deiparam multa copiosius congessit. Nos gradum tandem facimus ad ea quæ circa rem hanc annotanda supersunt.

(i) Reg. 4. 11. v. 2. & 3.

(j) Mach. 2. 3. v. 19.

(K) Exod. 38. v. 8. Reg. 1. 2. v. 22.

(l) Pet. Canis. l. 1. de Deip. c. 12.

4 Pictores igitur nostri in Deiparæ Pręsentationis Imaginibus, atque in ipsa scalarum summitate depingunt opperientem beatum infantem expansis brachiis Sacerdotem, & quidem non unum ex multus illis, qui inserviebant templo; sed Summum, ut apparet ex ipsius insignibus; tiara nimirum super humerali rationalique, atque aliis hujusmodi. Nempe Pictoribus consuetum & frequens est, non semel impingere ad hunc lapidem: quod sanè accidit ex ignoratione munerum & dignitatis Pontificis Summi in Populo Hebræorum, quæ tanta fuit, ut non nisi raró conspiceretur a Populo, nec sine hujus maxima reverentia, cùm vel atrium templi ingrederetur. Quæ omnia persequi aliena sunt ab institnto. Hoc tantum pro nunc dixisse suffecerit, quo planior fiat quorumdam, aut sanè multorum Pictorum inscitia. Certe Sacerdotem qui Deiparam oblatam templo suscepit, quanvis res sit per se admodum obscura, non alium fuisse quam Zachariam, docent, & statuunt non pauci. Hunc autem Sacerdotem Summum non fuisse, ex ipso colligitur Evangelio, ut paullo fusius suo loco dicturi sumus. Quo fit, ut fortiori argumento convincatur, non esse depingendum cum illis vestibus atque ornatu, quibus solus utebatur Pontifex Summus; sed aliis omnino, minusque exquisitis, quibus Sacerdotes communes utebantur. Quod si quis erit, præsertim è Pictoribus, qui putet hæc, sicut & alia, e nostro cerebro confingi, bene habet, quod totum id annotaverit diligenter ipsorum etiam Pictorum unus, qui consuli poterit a quo libet, loco hic ad marginem allegato. (m) Hujusmodi autem vestes communium Sacerdotum quæ fuerint, aut quales, licet jam supra prænotaverimus, placet hic ex eodem Auctore describere: sic enim habent ejus verba, ex Hispanico ad Latinum, quâ potuimus fide, conversa. *Quatuor erant*, inquit, *res, quæ in ornatu communium Sacerdotum peculiares notabantur. Et omissa earum una, quæ femoralia dicebantur, (nam hęc linea tunica sive Alba, tegebat) prima reliquarum trium erat ipsa tunica linea, super quam aptabatur cinctorium, quod baltheus, aut zona appellabatur. Tertia (seu trium secunda) mitra erat, aut cidaris, quemadmodum Deus ipse præceperat Moysi.* (n) *Tunica igitur hæc stricta admodum erat, & oblonga, candida, & omnino simplex, ex lino duplici confecta: cujus manicæ strictæ etiam erant, ejusdemque materiæ. Zona quatuor digitos lata, ex lino quoque erat, intertexta tamen variis floribus, gemmisque splendens; a qua postquam bis stringebat corpus, duæ fluebant extremitates, quæ ad ipsum usque solum pertingebant. Denique mitra, tiarave figurata erat ad dimidiati globi formam in modum galeę* (melius fortasse dixisset; In modum ejus, quod nos apud nationes Orientales valde usitatum appellamus *Turbante*) *ex lino admodum subtili: quam ambiebat vitta quędam, linea etiam, & hęc iteratis plicaturis tingebat caput; obtegebatque prioris illius suturas.* Hucusque Pictor præfatus; in quibus ab illis non discordat, qui res hujusmodi perpenderunt diligentiori examine: & ex quibus satis apparet, qua ratione depingendus sit communis Sacerdos, cùm intra templi adyta oculis subjicitur. Et hęc quidem de Picturis Præsentationis Deiparæ in Templo dicta satis fuerint.

(m) Pacc. in additio nib. pag. 493.

(n) Exod. 28.

5 Jam quod ad Desposationem ejus attinet, brevior fortasis hujusce rei Pictura existeret, si solùm omnino certa atque explorata quærerentur. Illud enim undequaque certum & tenendum Fide Divina est, quòd nempe Virgo Deigenitrix desponsata fue-

fuerit Joseph, de domo & familia David. (o) Sic enim loquuntur Evangelia: *Cum esset desponsata Mater ejus (Iesu) Maria Ioseph. Ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, & nomen virginis Maria.* (p) Et rursus: *Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de civitate, Nazareth in Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem: eò quòd esset de domo & familia David: ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore.* Quibus verò circunstantiis, aut quibus ritibus desponsatio hæc fuerit peracta, quamquam tacuerint Evangelia, satis clarè & luculenter docuerunt postmodum ex Patribus & Doctoribus non pauci, quos omnes pro more suo sequutus Eximius Doctor, ita rem compendio describit: (q) *Addunt Patres consuetudinem illius Populi fuisse, hujusmodi virgines, quę in templo manebant, cùm primum convenientem explessent ætatem, à sacerdotibus ad paternas domos remitterentur, ut nuptui traderentur: parentes autem Beatæ Virginis fuisse mortuos post annos undecim, quibus Beata Virgo in templo vixerat. Sacerdotes verò iniisse consilium, quid de sacro illo corpore statuerent, quia nec decebat, nec usitatum erat, ut mulier jam adulta in templo versaretur: & aliunde timebant alicui viro jus & potestatem in corpus illud facere. Tandem verò divina inspiratione & instinctu decrevisse eam tradere nomine desponsationis cuidam viro, ad custodiendam ejus virginitatem idoneo, qualis Ioseph ex eadem familia & tribu inventus, existimatus est. Ita ferè Gregorius Nyssenus, Homil. de Christ. nativit. Damascen. 4. lib. de fide cap. 15. Nicephor. ex Evod. lib. 1. c. 7. & lib. 2. c. 3. Andr. Cretens. Orat. de Dormit. Virg. & Simeon Metaphrast. Orat. de ortu Virg. Indicant etiam Origen. tract. 26. in Matth. & Theophylact. Matth. 23. & alii.* Hucusque laudatus Doctor: ubi, quæ viri est doctrina atque gravitas, nihil invenitur nisi quod magis exploratum videtur, & maximè probabile.

(o) Matth. 1. 18. Luc. 1. 27.

(p) Ibid. 2. 4.

(q) Suar. t. 2. in 3. p. q. 29. art. 1. sect. 1. disp. 7.

6 Verum alii narrationi huic alia plura adjungunt, ex quibus Pictores mysterium hoc miris modis exornant: quæ quia magna saltem ex parte desumpta videntur tamquam ab originali fonte ex tractatu quodam, qui olim extabat inter Opera D. Hieronymi, seu Epistola responsiva D. Maximi ad Epistolam aliam ad eumdem, quæ ferebatur esse Heliodori atque Chromatii, sive à supposititio Auctore hujus Epistolæ, eadem acceperint aliquot ex Græcis Doctoribus, non quidem ex gravioribus & veteribus, sed multò recentioribus: Sive (quod magis verum puto) ab his desumpserit nothus plane atque ineptus Epistolæ Auctor: quo factum est, ut eadem Epistola jam diu abrasa atque expuncta fuerit à viris doctissimis: ut neque jam inveniatur in editione Operum Hieronimi, quæ prodiit ex recognitione Mariani Victorii Episcopi Reatini; multoque minus in ea quam adornarunt docti atque eruditi Patres Benedictini Congregationis Sancti Mauri anno M.DC.XCIII. Cum, inquam, hæc ita se habeant, obtenturus mihi videor à Lectore pio & erudito, ut hic sincere referam judicium, quod de tali Tractatu sive Epistola tulerant jam pridem viri doctrina ac pietate præstantes. Igitur harum rerum Scriptor, quem semper in oculis fero, ad rem hanc deveniens, (r) *Sumpserunt* (inquit) *Pictores ex tractatu de Nativitate B. M. qui est in operibus Hieronymi, ex quo & alia quædam habent. Sed cum docti sciant fabulosum esse hunc tractatum, & Hieronymo indignum, prout scriptores quidam eruditissimè annotarunt, & res ipsa loquitur, &c.* Hæc laudatus Author, quę ne in vanum jactare videatur, legesis auctores quos allegamus in margine, qui nullo modo possunt esse suspecti. (s) Ceterùm non ob id recedendum putaverim à communi & vulgato sensu, quem Pictores exprimunt: censeoque cum Pictore sæpe laudato, * factum hoc rectè describi posse si pingantur coram Sacerdote uno Beatissima Virgo, puellari ętate & modestia ornata (non profanè, ut fecit, eodem teste, sacratissimæ alioqui professionis pictor) Sanctusque & castissimus Ioseph, jam ad virilem ætatem pertingens, & ramum etiam gestans floribus onustum, dantes sibi mutuò castissimas dexteras. Per hæc enim res convenienter exprimitur, sive referatur ad factum illud, quod Pictores intendunt, sive ad vitæ sanctimoniam, puritatem, ac virginitatem etiam Sanctissimi Sponsi. Nam, ut ex virginali conjugio virgo filius intemeratę Virgini nasceretur, etiam ipsum Ioseph semper virgi-

(r) Mol. Hist. Sac. Imag. l. 2. c. 29.

(s) Card. Bar. præfat. ad Martyr. Rom. c. 5. & 7. Vid. etiam Card. Bellar. de Script. Eccles. p. 158.

* Pacciec pag. 496.

ginem fuisse verisimile est, ut notavit pręallegatus Molanus, hujus nostri argumenti antesignanus Scriptor. Qua de re iterum forte sermo redibit. Interim (neque enim hoc omitti placuit) tali dispensatione celebrata, certum est, omninoque verum, & tenendum etiam à prudenti Theologo, inter Sanctissimam Virginem castissimumque sponsum Josephum fuisse atque intercessisse verum Matrimonium: ad hoc enim, prę̨ter authoritatem antiquorum Patrum, atque Scholæ frequentiorem consensum, satis superque esse debet, quod idem disserte docuerit judicio & gravitate quâ solet Doctor Angelicus. (t) An autem ita certum sit, ut ad certitudinem illam, quæ Fidei est propria Divinæ, pertingat? affirmat intrepide sæpe à nobis allegatus Pictor: (u) sed ego illi in aurem libens insusurrarem, non illud, quod olim Apelles cerdoni cuidam, *Sutor*, inquiens, *non ultra crepidam.* Maximi enim facio Pictoriam Artem; sed illud saltem Biantis unius ex septem Sapientibus *μηδεν αγαν. Ne quid nimis.* Nimis enim est, me judice, ut pictor, quantumlibet eruditus, de propositionibus ad Fidem spectantibus, vel non spectantibus decerrat. Sin minus, viderit, obsecro, qui illius fuerit studiosus, quæ præter alios scriptum reliquit vir gravissimus Seraphicæ Familiæ & Sacri Concilii Tridentini Theologus Michael de Medina. (x)

(t) 3. p. q. 26.

(u) Franc. Paccice. pag. 49[...]

(x) Mich. de Medina, de Sacr. hom. contin. Vid. etiam Six. Senens. in Bibl. l. 6. annot. 3[...]

CAPUT IV.

DE PICTURIS ANNUNTIATIONIS SACRÆ Deiparæ: & quid in iis notatione dignum occurrat.

1 Miranda sanè est, atque summoperè laudanda Dei Opt. Maxim. suavis atque efficax providentia, amor, & benignitas erga Beatissimam Virginem. Cum enim potuisset efficere, ut Filius à se æternum genitus intra Beatæ Mariæ viscera carnem assumeret citra illius consensum, imo & notitiam, ut statuunt communiter Theologi; (a) maluit tamen, ut eadem Deigenitrix certior per Archangelum fieret stupendi atque inauditi miraculi, ipsaque ad tantum opus humilem reverentemque suum prę̨beret assensum, quò nempe fieret, ut Verbi Divini intemerata Mater idem Verbum in humana natura subsistens prius conciperet mente, quàm corpore, ut eleganter ait Leo Magnus: (b) de quo argumento nos ipsi alibi nonnulla delibavimus, quæ videre poterit is cui hæc arrideant. Quæ ideo hìc breviter perstrinximus, ut Pictores advertant, qua rerum proprietate, reverentique, ac decora simul majestate se gerere debeant circa hoc mysterium depingendum: cùm tamen interdum, quanvis non jam frequenter, ab his regulis nonnihil discesserint.

(a) D. Th. 3. p. q. 30. art. 1. & ibi. Barth. de Medina, Suar. &c.

(b) S. Leo s. de Nat. Dom. 1.

2 Et quidem jam supra monuimus, * non erroneam tantùm, sed periculosam etiam in Fide esse pingendi rationem illam, quam Sanctus Antoninus reprehendit; (c) *Reprehensibiles*, inquiens, *sunt etiam Pictores cùm pingunt ea quæ sunt contra Fidem: ut in Annuntiatione parvulum puerum formatum, scilicet Iesum mitti in uterum Virginis, quasi non esset de substantia Virginis corpus ejus assumptum.* Sed hoc cùm jam alibi refutaverimus, non est cur hìc multis, quæ certè dici poterant, confutemus. Sat quidem fuerit admonere picturam atque imaginem hanc omitti prorsus debere; imò (ut mea fert opinio) & aboleri depictam. Tametsi enim in alios pios sensus interpretari possit, ut observavit harum rerum Scriptor Theologus: (d) tamen non video cur res hæc tanti æstimari debeat, ut propter eam, quæ certè rudis ut minimum est, & valde inepta, recurrendum sit ad abditiores sensus, valdeque obstrusos. Quo præjacto, veniamus ad alia, in quibus repręsentandis Pictores, & quidem interdum non de vulgo, non tam erroneos

* Sopra l. 1. c. 7. n. 3.

(c) S. Antonin. in Summa Hist. 3. p. tit. 8.

(d) Ioan. Mol. l. 3. c. 13.

neos se produnt, quàm ineptos. Quod ut aptiori methodo exequamur, decerpemus nonnulla. 1. circa locum. 2. circa ipsum Archangelum, tam grandi tamque excellenti legatione functum: 3. circa ipsam Sacram Deiparam, cui facta est cælestis annuntiatio. 4. Denique circa alia nonnulla, quæ in hujus repræsentatione Mysterii communiter & convenienter adjiciuntur.

3 Ad locum quod attinet; meminimus hęc qualiacumque scribi Pictoribus piis, cordatis, &, ut verbo dicam, Catholicis. Quod ideo hîc advertimus: quia ut sunt efferato ingenio, & in Sanctissimam Deigenitricem pessimè animati nostrorum temporum Hæretici; non defuerunt ex illis, quos innominatos (nec enim merentur nomen hostes Mariani nominis) refert Eximius Doctor, qui dixerint, Angelum, cùm ad Mariam missus esset à Deo, purissimam Virginem per plateas vagantem quæsivisse, inventamque tandem alloquutum: sicut neque alii, qui credant alia his non omnino absimilia: de quibus audiendus est gravissimi judicii vir, qui ita habet: (e) „ Qua de „ re (hac nempe) qui hodie dubi- „ tant hæretici, & apud cognatum „ aliquem suum cum ancillis labo- „ rantem fuisse malunt credere, Ju- „ daico mihi esse videntur ingenio. „ Itaque non magis illis quam apo- „ crypho illius Protoevangelii au- „ ctori, quod Jacobi nomine cir- „ cumfertur, credendum est, ubi „ scriptum est, Beatam Virginem for- „ tè ad hauriendam exiisse aquam, „ cum illi Angelus apparuit. Sed redeamus ad non suspectos tanti mali pictores. Aliqui enim eorum locum depinxerunt nimis à professione, simplicitate, sanctitateque Beatæ Virginis abhorrentem: hi enim ingenio suo male feriato intemperanter abusi, repræsentarunt non modestam, imò planè pauperem habitatiunculam, quę virginem decebat; sed regalis palatii aulam, ingentibus suffultam columnis, atque exquisito stratam pavimento: insuper & intus lectulum immodicum, ornatum pretiosis stragulis, pulvinaribus, ac lectisterniis: quibus alia hujusmodi adnectunt, quæ meritò carpit Cardinalis amplissimus Gabriel Paleotus, (f) qui hoc quidem nostrum argumentum persequi atque perficere statuerat; & perfecisset, si mors non intercessisset doctis lucubrationibus atque conatibus. Quod ad ipsum Archangelum Gabrielem spectat, sunt, fueruntve qui illum depingerent ætate, formaque puerili: sed hoc nihil est aliud quàm ineptire. Alloquutio enim hujusmodi ætatis & formæ repræsentationem non patitur: præsertim cùm Deus cuncta congruo modo disponere atque ordinare consueverit. Sed fuit etiam contra, qui (quod supra jam annotavimus) ut omnem prorsus ansam abrumperet cogitationis inhonestæ ex colloquutione Virginis cum juvene, depingeret Archangelum Gabrielem sub specie senis, cana & prolixa barba, capilloque, non ornati, sed planè deformis. Superat vero fidem, quæ certè debetur Pictori cordato, gravi, atque erudito, (g) id quod sese vidisse refert in repręsentatione hujus Mysterii: nempe Gabrielem Archangelum depictum sub sacerdotali habitu, illoque ornatum vestimento, quod communiter nominant *Cappam Pluvialem*; in cujus ora imagines Apostolorum conspiciebantur, imo & ipsius Christi surgentis è sepulcro: quibus nonnulla alia iis similia adjunxerat facetus pictor; qualia sunt precatorii globuli, quos noscimus Rosarii appellatione, conspicillaque è pariete pendentia: quæ vel memorare tantùm, pudor est. Non idem, sed saltem eumdem Archangelum parte sacerdotalium vestium perornatum, nimirum cum tunica illa, quam *Albam* dicimus, stolaque ante pectus in forma crucis decussata, cujus extremitates cingulum stringeret, memet aliquando spectavisse nullus dubito. Quę omnia, & si quæ alia sunt hujusmodi, ut errores non sint, qui Fidei aut moribus officiant, sunt planè putidæ atque aniles ineptię. Pingendus est igitur in hoc Mysterio Gabriel Archangelus sub forma modesti atque speciosi juvenis, alis præditi, decenterque contecti, splendentibus variique coloris vestibus, quę ad ipsos usque talos defluant. Sed melius fiet, si etiam pingatur genuflexus ante eam, quam Deus ipse Dominusque omnium elegerat in Matrem. Quare etiam improbandum est si depingatur expansis pennis volans per aëra: qui motus

(e) Ioan. Mald. in Luc. 1. 29 pag. 865.

(f) Paleot l. 1. p. 184

(g) Pacc. lib. 3. pag. 457.

tus non eam honestatem refert, quàm tantum Mysterium exposcit.

4 Jam Virgo intemerata atque purissima depingenda est, non quidem stans, quod fecere tamen pictores summi, & sub gestu motuque fugientis ab Angelo, aut obtegentis velo faciem præ pudore, quod vel cogitare tantum summę dementię est. Neque rursus sedens, quasi eam repererit cœlestis paranimphus labori manuum intentam, quod egomet aliquando vidi depictum: sed (quod longè probabilius est, atque decentius) genuflexa, junctis ante pectus manibus, aut complicatis brachiis. Etenim, ut notavit vir in hujusmodi rebus edocendis impensè prudens atque doctus, (h) *in Historia Incarnationis Dominicæ Evangelia non exprimunt quid egerit Beatissima Virgo, cùm Archangelus Gabriel intraret eam salutans: steterit ne an sederit, an verò flexis genibus meditationibus fuerit intenta. Quia verò aliquid horum dum historia pingitur, necessario est superaddendum; communi quodam pictorum consensu, & aliorum approbatione receptum est id quod maximam habet probabilitatem. Probabile vero est, quòd flexis genibus superbenedicta Virgo eo tempore se occupaverit in redemptionis nostrę meditatione. Si enim nec Danieli viro desideriorum tempus natalis Christi nuntiatur à Gabriele, nec Zachariæ Sacerdoti Præcursor Messię nisi intentissimè orantibus: an ne existimandum est Gabrielem ad hanc Virginem venisse Deo non intentam*? Pingi verò eamdem non solùm vestitam tunicâ candida & splendente, atque floribus aureis intertextâ, ut sæpe fit; sed neque ornatam vestibus rubri & cœrulei coloris, & non nativi, licèt alii probent, &, quòd magis est, fieri jubeant etiam aliqui, qui pictores suscipiunt instituendos; mihi non placet: Sicut neque depingi aperto capite, & per colla fluente capillitio; sed potius velo virgineo modestissimè obtecto. Recolantur quæ supra diximus, agentes de Imaginibus Sacræ Virginis in genere.

(h) Mol. lib. 2. cap. 19. pag. mihi 80.

5 Pingi etiam consuevit in superiori parte, reserato cœlo, Pater æternus; cui Angeli assistunt sub parvulorum specie: insuper & Spiritus sanctus sub columbæ forma, radios latissimè undequaque fundens, qui ad Virginem usque purissimam pertingunt. Et quidem totum hoc congruè atque decenter, ad Evangeliique verba sat conformiter, quibus dictum est: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Sed quòd nonnulli adjiciunt Filium etiam sub humana specie sedentem in dextera Patris, nullo modo probaverim: quandoquidem per hujus facti repræsentationem illud oculis subjici intenditur, quod reuera fuit, ut scilicet Filius æternùm genitus humanam ex Virgine naturam induat: qui proinde figurari non debet jam indutus humana carne. Sed ut rursus ad inferiora revertamur: cubile virgineum, non in aulæ regalis similitudinem, ut diximus, sed ad privatæ habitationis morem depingi debet: non superflua ornatum supellectili, sed planè parca atque modesta; cui bene convenit una vel altera sellula, modestus lectulus, arcula; aliaque hujusmodi non multa: inter quæ locum habet parvus pluteus, in cujus infimo gradu genuflecti possit, & super quem liber apertus conspiciatur. Additur denique in hac Pictura candidum lilium, sive horum venustissimus fasciculus. Neque hoc signari intenditur illo anni tempore floruisse lilia; aut Beatam atque ab omni affectatione Virginem abhorrentem tunc temporis habuisse lilium, aut acu pictum, aut ex cera confectum: sed ponitur (atque id frequentissimè) ad denotandam puritatem, & perpetuam Sanctissimæ Deigenitricis virginitatem: quæ certè ratione virginitatis & purissimę vitæ obtinuit ut meritò lilio inter spinas compararetur. Quò spectat rythmus ille quo pręsul pientissimus, inclytusque Martyr S. Thomas Cantuariensis delectatus fertur:

Gaude quia Deo plena
Peperisti sine pœna
Cum pudoris lilio.

Nonnihil verò discriminis in hoc depingendo interesse solet. Nam alii illud in poculo, aut in scypho describunt; alii frequentius in manu Gabrielis Archangeli collocant, loco virgæ aut sceptri. Quæ omnia sat probabiliter excogitata videntur. An autem rectè & cum judicio describi debeat, aut valeat cereus accensus, qui noctem

noctem tenebrasque pellat in cubili virgineo, ex ea ratione dubitari potest, quòd quamquam res non planè difinita sit atque certa, an mane, an meridie, an vespere, an denique nocte adventaverit ad Mariam Angelus; frequentior tamen doctiorum hominum sententia est nocte (& quidem jam multa) adventavisse: quòd id potissimum tempus rerum cælestium contemplationi, divinisque illustrationibus sit aptissimum. Et quamquam cogitari nec sine fundamento posset, Angelum ipsum suo ipsius fulgore cubiculum ingenti fulgore perfudisse; cùm notum sit genus hoc miraculi contigisse in Jerosolymitana custodia, ubi Petrus imperio Herodis Agrippæ inclusus & vinctus tenebatur, ut perspicuè constat ex Lucæ relatione verbis illis: *In ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites ::: & ecce Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo.* Quantumvis, inquam, hoc idem cogitari possit non incongruè: tamen aliunde non facile credendum est Virginem intempestæ noctis silentio intentam orationi fuisse lumine omni cerei, candelæve destitutam. Ego vero in re incerta nihil difinio: nam neque usitatum est (saltem non est frequens) ut cereus depingatur sive lucerna, neque ob rationem allatam vitio vertendum esse Pictori, si eam in tali occasione depingeret.

CAPUT V.

DE PICTURIS VISITATIONIS, QUAM Beatissima Virgo exhibuit cognatæ suæ S. Elisabeth.

1 MEritò elegantia sibi solita Ambrosius ad hoc factum perveniens festinationem Mariæ, cujus meminit Evangelium, laudavit commendavitque verbis illis: (a) *Quò enim jam Deo plena, nisi ad superiora cum festinatione contenderet? Nescit tarda molimina Sancti Spiritus gratia.* Quippe nullam interposuit moram Beatissima Virgo inter Annuntiationem sibi ab Angelo factam & Visitationem mox intentam cognatæ suæ Sanctę Elisabeth, cujus Angelus in salutatione meminerat: quod evidenter colligitur ex verbis Evangelii. Hęc enim postquam consensum Virginis ad æterni Verbi conceptionem exprimunt, illud nullo prorsus alio interjecto subjiciunt. (b) *Et discessit ab illa Angelus. Exurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione in civitatem Iuda.* Quare hoc etiam factum in commendationem mysterii, beatissimæque Virginis laudem frequentissime depingitur.

(a) D. Ambros. lib. 2. in Luc. c. 1. post init.

(b) Luc. 1. 38.

2 In Picturis autem hujusmodi illud tantum erroris appellari meritò potest & convinci, quod equidem numquam vidi depictum, sed credo pictori nimium versato sincerè referenti. (c) Est autem hoc, quod depinxerunt aliqui factum id veluti gestum, non intra domus parietes, sed in patente campo. Tantum enim potest in rebus cogitandis oscitantia atque indiligentia. Cum enim Evangelium apertè dicat: *Intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth*, perspicuum fit Visitationem hanc, non in campo factam, sed intra domus septa. Quare ut transeamus ad alia nonnulla subnotænda, postulat instituti ratio. Igitur salutationem Virginis peractam censemus in ipso domus atrio, mundo quidem, & apto, non tamen ita magnifici operis (quod nonnulli ausi sunt depingere) quale vix extrueret ornaretque Vitruvius aliquis. Pingitur autem à nonnullis in eodem atrio vitis frondosa perticis suffulta: sed viderint hi, an in regione illa, verno vix incipiēte tempore (cùm valde sit credibile mense Martio nondum exacto salutationem visitationemque hanc contigisse) vites tam cita & præcoci maturitate frondescant. Pingi ante domus exterius ostium asella religata, non est indecens, neque item inverosimile: sat enim est probabile Sacrosanctam Virginem neque peditem neque om-

(c) Pacc. in Addit. p. 500.

omnino solam tantum itineris confecisse, quantum est inter Nazareth & Hebron, si hæc est urbs illa, quam Evangelium appellat *Civitatem Iudà*, ut placet viris impensè doctis.(d) Erat enim longius triginta duobus fere leucis nostratibus: sed insidentem asinæ, quam è capistro manuducebat castissimus ejusdem Virginis Sponsus, ut satis probabiliter diximus agentes de fuga in Ægyptum.

(d) Baron in Apparatu §. 77. & alii

3 Ut verò de Sancta Elisabetha, cui impensum est à purissima humillimaque cognata Virgine id officium; depingenda est, non quidem (quod fecerunt aliqui) omnino fœda atque deformis, veluti si depingerent aliquam ex Parcis; sed tamen ætate grandior & planè longæva: cùm tamen Virgo purissima vix aut ne vix quidem quintumdecimum ætatis annum excederet. Communis autem pingendi ratio, refragante (quod sciam) nemine, jam tulit, ut ambæ describantur se mutuò honestè complectentes: quippe nihil magis proprium imaginationi succurrit in describenda salutatione propinquæ, ad invisendum & salutandum cognatam de longinquo adventantis. Sed hæc pingendi ratio majorem in modum displicuit viro non vulgariter docto, & cujus meminisse non debeo sine honoris præfatione, & quidem amplissimi. Is enim est Pater Antonius de Vieyra, Concionator Serenissimi Regis Portugalliæ, imò (ut alias taceam doctrinę laudes) sui & nostri seculi Concionatorum omnium, ut mea fert opinio, facile princeps. Hic enim ad rem hanc describendam accedens, hæc ex Lusitanica dialecto ad Hispanicum idioma non admodum difficili negotio translata ad verbum habet. (e) „ Concluido el mysterio de la Encarnacion „ del Verbo, y despedido el Angel „ embaxador, partiò luego la Virgen, yà Madre de Dios, à visitar „ à Santa Isabèl, quien la recibiò, „ no en los brazos, como hace creer „ al vulgo la fantasìa de los pintores; mas postrada à sus sacratissimos pies, como se debe tener por „ cierto. Quæ ut omnibus pateant evidentius, ita fermè Latinè sonant. „ Peracto Incarnationis Verbi mysterio, ac postquam Legatus Angelus discesserat, profecta est ilico „ Virgo, jam Mater Dei, ad invisendam Elisabetham. Excepit hæc autem illam, non eandem ulnis complectens, ut vulgo passim persuadet pictorum imaginatio ac phantasia; sed ad Virginis provoluta pedes, ut par est credere, haberique „ velut omnino certum. Vellem equidem virum eruditissimum indicasse nobis aut monuisse aliquod rationis pondus, aut exempli, quo motus est ad traducendam in re hac pictorum audaciam, seu, ut ipse vocat, phantasiam. Interim dum ipse nihil tale præstitit, laudari porrò debet ejus in sacrosanctam Virginem reverentia; sed relinquenda, ut ego existimo, facultas pictoribus rem describendi consueto passim & recepto modo.

(e) P. Ant de Vieyr. t. ser. edit. novissimę in 12. an. 1715. ser. de Concept. Virg p. 47. n. 3.

4 Sed præ omnibus mihi aberrare à vero videntur pictores, qui Salutationem hanc depingunt præsentibus & coram adstantibus Sanctis Iosepho & Zacharia. Et quidem, nisi nimium fallor, moveor ad hoc asserendum ratione gravissima. Etenim salutatio Virginis facta cognatę Elisabeth, nulli dubium est, neque esse potest, quòd contigerit simul atque purissima Virgo Verbum Divinum intra intemerata viscera concepit, aut ut summum paucis à tali mysterio diebus interjectis, ut communis est sententia Patrum & Interpretum, imo & Evangelii, si bene perpendatur, quod ita habet; ut notavimus supra: *Et discessit ab ea Angelus. Exurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione, &c.* Post mansionem autem Virginis in domo cognatę, quæ ferè trium mensium fuit, ut constat ex ipso Evangelio verbis illis: (f) *Mansit autem Maria cum illa* (Elisabetha) *quasi mensibus tribus, & reversa est in domum suam*; abs dubio contigit quod refertur ab Evangelista Matthęo, qui, *Cum esset*, inquit, *desponsata Mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*: nimirum apparuit intumescens uterus, ut par erat, jam trium & amplius mensium fœtum gerentis: quod intuens castissimus Sponsus Ioseph, *cum esset justus* (ita enim habet divinum Evangelium) *& nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam*; sive consilium illud ex inopinata turbatione animi, sive ex sola reverentia nasceretur, de quo non est hic disserendi locus. Sed quod ad factum atti-

(f) Luc. 1.

attinet, illud consequi planè videtur: aut S. Iosephum non interfuisse colloquio inter Sponsam suam cognatamque Sanctam Elisabetham, quæ Mariam apertissimè Matrem Domini sui nominaverat: aut si interfuisse dicatur, nullus relinqui locus videtur ad hoc, ut intumescente postea sacro utero, novitatem illam pateretur, aut in illam, quam conturbationem maximam Chrysostomus appellat, incideret. (g) Et quidem ob id sunt qui asserant S. Iosephum cum Sponsa sua non ivisse, cùm illa ad invisendam cognatam suam perrexit ex urbe Nazareth in montana. Sed hoc cùm jam supra sat probabili ratione non admiserimus, satis est ut dicamus ad solvendum hunc nodum, colloquium illud tam divinum tamque mirabile peractum esse inter solas Mariam atque Elisabet; cui proinde non adfuerunt neque Joseph Mariæ Sponsus, neque Zacharias Elisabeth maritus, aliis tunc rebus in interiori domo occupati. Toleranda ac dissimulanda cuncta hæc prudentibus & non indoctis spectatoribus videbuntur. Illud vero prorsus intolerandum, quod ego non rarò sed sæpius notavi in hujusmodi rei Pictura, utpote quod errorem apertissimum continet, profectum utique ex inadvertentia. Pinguntur enim Sanctus Joseph Virginis Sponsus & S. Zacharias maritus Elisabethæ amica inter sese miscetes colloquia. Cui sanè rei, quamquam apertissimum errorem cōtinenti, præbuere ansam aliqui Pictoribus ipsis, quanvis de trivio magis illiterati atque imperitiores, quos ego nominare, allegareve supersedeo, ne pudore fuffundam eos qui talibus legendis tempus, non insummunt quidem, sed perdunt. Ajunt enim, postquam in domum Zachariȩ ingressa est virgo purissima Sponsum illius Josephum & Zachariam Sacerdotem maritum Elisabeth amica inter se, ut vulgo fit, miscuisse colloquia, verba ipsa memorantes, non secus atque præsentes interfuissent: inter quȩ illa sunt: *Quisnam es tu?* Quod Zacharias rogat. Josephus verò inquit: *Ego sum Ioseph servitor tuus.* Aliaque hujus furfuris, quod planè depictum exhibet pictura. Ceterùm qui vel talia legerunt, vel qui picturam observant, vel pictores ipsi, imperiti mihi videntur, magis quam verbis ullis exprimi possit: deberent enim seriò aut scire, aut meminisse, tum temporis mutum omninò extitisse Baptistȩ Patrem Zachariam qui proinde loqui, aut colloqui prorsus esset incapax. Unde verò hoc colligimus? non certè lectione multa opus est ut indicemus: Gabriel enim Angelus Zachariæ, vice & honore suo fungenti hæc post alia ipsi certò prænuntiavit: (h) *Et ecce*, inquit, *eris tacens, & non poteris loqui usque in diem quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo.* Quod amplius Sanctum Evangelium confirmare pergit: ait enim adhuc sermonem habens de Zacharia, (i) *Egressus autem, non poterat loqui ad illos.* Rursusque: *Et ipse erat innuens illis, & permansit mutus.* Sed quid pluribus? post ipsam Baptistæ nativitatem cum ab eo qui adstabant recens nati pueri nomen quod illi imponerent interrogarent, hæc habentur: (K) *Innuebant autem Patri ejus quem vellet vocari eum, & postulans pugillarem scripsit, dicens: Ioannes est nomen ejus.* Viderint itaque qui vel talia legunt in libris, aut quomodolibet aut expressum cernunt & fortè mirantur in tabulis, quid hujusmodi libri mereantur aut tabulæ, discantque tandem Pictores eruditi ea demum exhibere quȩ bona fide Evangelicam narrationem illustrent, non quæ omnino obfuscent aut deturpent. Quare ut omnino præsentes non depingantur, longè magis est vero consentaneum. In qua sententia est sæpe laudatus Pictor. (l)

5. Denique si me audiet cordatus pictor, vitabit plurima in hoc facto describendo, quȩ nescio, an ornatus, an lusus petulantis causa exciderunt pictoribus alioqui summis: quorum is qui inter eos primas obtinet * descripsit hic concursantes ancillas & famulos, quorum unus excipit S. Josephi peram, alter gestat clitellam asinæ, dum ipse S. Joseph sub brachio portat saccum sarcinarium, sive hippoperam, aliaque id genus minutiora, quȩ tabulam, ut seriò videtur, non tam exornant, quàm deformant.

(g) Div. Chrys. h. 8. in Matt.

(h) Luc. 1. 19.

(i) Ibid. 22.

(K) Ibid. 62. 63.

(l) Pacc. pag. 500.

* Andr. del Sarto.



CA-

CAPUT VI.

AD PICTURAS NATIVITATIS CHRISTI, Circumcisionis, aliasque, quæ supra memorantur, ac reliquas, quę plerumque fiunt Beatę Virginis, analecta.



TÆdii Lectoribus, & supervacanei laboris Scriptoribus opus est (quod nemo dubitat) eadem jam dicta sæpius inculcare, & eamdem, quod proverbio dicitur, crambem recoquere. Quare cum in superioribus agentes de Picturis Nativitatis, Circumcisionis, aliisque hujusmodi plura dixerimus, quæ ad imagines Beatissimæ Virginis spectant, non est cur ea hic inutiliter replicemus. Sed hoc satis fuerit lectorem monuisse, ut eadem suis requirat locis: nonnulla autem, quæ, quia minutiora, prętererierunt scribentis manum, hic transcursim dicere volui, analectorum vice fore videtur operæpretium.

2 Igitur cùm jam supra monuerimus, quàm contra rationis regulas, imo quàm contra ipsius Evangelii fidem sit depingere Infantem Iesum omnino nudum collocatum in præsepii paleis; hic rursus admonere subit, quod, ut huic occurrere videantur absurdo, non defuere qui Virginem Sanctissimam depingerent denudantem sese, aut jam prorsus expoliatam sacri velo capitis, ut in illo infantem recens natum involveret. Id, nisi ego fallor, cogitantes innuere, quod Virgo Sanctissima præ nimia paupertate, rerumque inopia, panniculos alios non habuerit, quibus dilectissimum Filium amanter ac decenter obtegeret, nisi dumtaxat velum castissimi capitis. Quod, ut ipsis videtur, pietatem exaggerat, ac devotionem accendit. Sed apage, amabo, cogitationem insulsam. Etenim Virgo Sacratissima, quæ jam probè se noverat vicinam partui ejus, qui suæ virginitatis non imminutor futurus erat sed consecrator, non ita erat improvida, ut credi debeat secum non detulisse panniculos, pauperes illos quidem, sed mundos, aptosque satis, quibus Natum involveret. Procul ergo sit à pictore erudito commentum hujusmodi. Contra alii magis in speciem prodigi, sindonem integram, neque brevem, extenderunt super paleas, in eaque collocarunt puerum Jesum, ipsius tenerrimum corpusculum nudum, & intutum à frigore, vana imaginatione repræsentantes. Quæ omnia absurda sunt luce ipsâ clariora.

3 Quod ad Circumcisionem attinet, omissa opinione satis pia & plausibili, quòd eadem Sacratissima Virgo Filium suum sua ipsius manu Christum Dominum circumciderit (de qua supra plura diximus) fuerunt etiam qui depingerent illum utraque manu tenentem, ut illius rei minister atque executor (qui sanè, ut ipsi arbitrantur fuit, si Deo placet, Summus Sacerdos) eumdem more solito circumcideret. Alii tandem, quod magis probabile videri possit, Virginem depingunt tradentem Natum dulcissimum in manus castissimi Sponsi, ut illum deferret ad circumcisionis ministrum, quisquis ille fuerit: sive circumcisio facta fuerit in ipso antro Bethlehemitico, quod pluribus placet, sive intra aliquam oppidi domum; quod etiam non improbabiliter dici potest. Verum hęc omnia revocari possunt tamquam adamussim ad ea quæ diximus supra, agentes de Circumcisione Domini, quę recolere poterit, aut studiosus pictor, aut diligens lector. De aliis etiam plura superius diximus, alia etiam fortasse dicturi, nisi vereremur esse plures, quibus ea & similia non nimium fore placitura; utpote qui sint aliis diversis cogitationibus assueti, quas pensitatius examinare ipsis non est cordi. Unum hìc vel alterum quin obiter admoneam mihi temperare non potero.

Non

4 Non ego vidi unquam (neque enim quem usquam viderim, vidisse me temerè aut mendaciter affirmaverim) sed viderunt sanè viri docti tabulam, in qua Virgo Beatissima Puerum Iesum minusculæ adhuc ętatis literas docet in elementaria tabella. Nimirum homines, non quidem improbi, sed imprudentes, assueti nimium imbecillioribus suis ipsorum cogitatibus, tales res omnino pingunt, quales ipsi concipiunt. Cumque pium ipsis, aut laudabile videretur Matrem ac Virginem prudentissimam Filium adhuc in tenerrima ætate constitutum docere elementa saltem literaria; haud improbabile ipsis visum est intemeratam Deiparam hoc modo Natum suum literas edocentem depingere. Tantum prolabi potest incauta pietas, non, quantum par est, scientiâ & doctrinâ conjuncta. Quod quidem ut magis patefiat (si quid hoc quod memoravimus est deterius) non jam Beatam Virginem, sed Sanctum Josephum puerum Jesum in libro legere docentem sese oculis spectavisse mihi retulit testis fidei minimè dubiæ. Sed hoc non utcumque commentum sed erroneum omnino est: talisque pictura abolenda esset prudentis cujusquam judicio, vtpote errorem continens manifestum, & quidem penitus intolerabile. Christus enim Dominus, neque quà Deus est, neque quà homo, edoctus fuit, aut edoceri potuit à quocumque mortalium, cujuscumque etiam dignitatis ac sanctitatis existeret; proindeque nec à Sanctissima ipsius Parente: Quippe qui à primo suæ Incarnationis instanti, præter Scientiam Divinam quâ pollet ut Verbum Patris, Scientiamque beatam, quâ etiam potiebatur, præditus est Scientia illa, quam Theologi vocant Infusam, in excellentiori gradu quo potuit & decuit; ut proinde omnes prorsus homines (ne quid de Angelis dicam) longo intervallo superaverit, non in cognitione tantùm rerum divinarum, sed etiam in ea quę fertur ad perfectissimam adeptionem quarumcumque artium scientiarumque, quod nullus sanæ mentis Theologus revocabit in dubium. Neque verò quisquam in patrocinium imprudentis erroris assumpserit id quod dicitur in Evangelio, (a) quòd nempe Jesus *proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.* Nam quá ratione dicatur Christum Dominum profecisse sapientia, docent accuratius Theologi cum Doctore Angelico, asserentes sapientiam eo loci intelligi de experimentali (ut ipsi loquuntur) seu de ea quæ comparatur usu rerum, atque experientia: non de illa quæ adquiritur sub alicujus magisterio disciplinæ. Sed manum de tabula. hæc enim omnia satis attigimus supra: (b) ubi etiam obiter diximus, quo pacto intelligendum sit quod Christus de se ipso loquens dixerit, se ipsum fuisse edoctum à Patre.

(a) Luc. 2.

(b) Lib. 1. c. 7. n. 5.

5 Ut verò alia pluscula, in quibus possemus immorari, obvolvamus compendioso silentio: cum Virgo Sanctissima stans juxta Crucem Filii cum Ioanne depingitur, communis & vulgata pingēdi ratio ea est, ut Mater atque Discipulus hinc inde conspiciantur in intervallis illis collocati, quæ erant inter ipsum Christum & duos latrones crucifixos. Sunt tamen (& quidem non inglorii) qui depinxerint Matrem atque Discipulum, prope quidem, & juxta Crucem Domini; sed versis vultibus ad eumdem, è regioneque ipsum contemplantes atque aspicientes. Quod quidem tametsi (ut nuper innuimus) à communi & usu recepta pingendi ratione satis discrepet, erroris tamen, aut rerum ignorationis damnare non ausim: imo (si liberè quod ego sentio in medium producere liceat) apparet hoc rerum gestarum veritati nonnihil conformius. Christus enim acerbos illos dolores patiens, verosimile est quod Matrem Discipulumque astantes ab uno atque altero latere, non ita commodè potuerit videre intuerique, quàm positos ante ipsius oculos. Cumque Evangelium dissertè videatur asserere Christum Dominum uno veluti intuitu utrumque agnovisse vidisseque: sic enim habet; (c) *Cum vidisset ergo Iesus Matrem & Discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suæ, &c.* Fit consequens non esse ut minimum inverosimile, ipsos non ab uno & altero latere adstitisse morienti, sed coram & è regione constitisse. Qua de re, in qua statuere aliquid ac definire nihil audeo, cordatiorum & prudentiorum hominum esto judicium.

(c) Ioan. 19.26.

Iam

6 Iam id, de quo mox dicam, prorſus relinquerem intactum, niſi probè ſcirem non deeſſe viros impenſè doctos, atque eximiè pios, qui illud improbent, & ut alia plura hujuſmodi rudiorum hominum pietati parum eruditę. Sed quale hoc? inquis: dicam paucis. Pingitur quam frequentiſsimè Beatiſsima Deipara orbata jam Filio, ſepulturæque tradito, ad eum prorſus modum quo noſtrorum parentum tempore ornabantur nobiliores viduæ. Videas ibi totum Virginis corpus atratis veſtibus amictum, quas rurſus obtegunt tenüia illa ex lino vela confecta; ita ut non tantùm à collo uſque ad pedes, ſed in brachiis etiam ſtrictioribus manicis indutis, quæ ante pectus juncta, complicatiſque manuum digitis oſtentant, eadem conſpiciantur: quod denique à capite ipſo obnubit paulo ſpiſsius ex ſerico velum, quod ad pedes uſque protenditur. Ac denique collo appenſos precatorios illos globulos, quos filo junctim inſertos appellamus Hiſpani *el Roſario*. Certè non ea hęc ſunt, de quibus (ne per ſomnium quidem) jocari liceat eadem ſerio, ut par eſt, & cum debita reverentia tractantibus: ſed ſaltem eruditiores viderint (neque enim moror ineptias vulgi) quàm hæc ſint, non ſolùm aliena ab ipſius hiſtoriæ veritate atque fide, ſed quàm etiam parùm congrua ſolidæ pietati, dignitatique rerum geſtarum. At (inquiunt) hoc modo melius quàm quovis alio ſubjicitur oculis Virgineæ Matris triſtitia, angorque animi, quem paſſa eſt amiſſo Filio atque ſepulto: qui non male comparatur mœſtitiæ Viduæ, quę virum atque ſponſum ſibi pręreptum ex animo lugeat atque doleat. Ego vero non idem ſentio: quod ne verbis videamur agere, ad picturam ipſam provoco non infimi nominis artificis. Vidimus, & ſæpius ſpectavimus imaginem Beatiſsimæ Virginis in hoc ſtatu rerum agentis. Pingitur autem eadem ſacratiſsima Virgo vultu gravis, majeſtateque pleno, ſed mœſtitiam plane prę ſe ferente, oculis turgentibus præ lacrymis, oreque toto ſpirans animi triſtitiam. Velum, quanvis cærulei coloris, habet capiti impoſitum: manus hinc inde extenſas; quas prope adſunt Paſsionis inſtrumenta; clavi, coronaque, & circa illam puerili ſpecie effigiati adſtant Angeli, tam amarè flentes, ut cernantur in ipſis genis ſtillantes lacrymulæ. Nonne plenior decoris & dignitatis eſt imago hæc, quàm ea quę in uſu eſt apud pium vulgus? Ita planè. Sed ego immorari amplius nolo in re, quæ, ut aliquibus videbitur, pietati eorumdem erga Beatiſsimam Virginem præparat uberem proventum.

7 Chriſto Domino in cœlis jam regnante Sacratiſsimam Virginem Deiparam, quandiu mortalem vitam in terris egit, fulſiſſe toti Eccleſiæ velut vivam religionis regulam, exemplarque omnium abſolutiſsimum, quod omnes revererentur, & admirarentur, nulli pio poteſt eſſe dubium. Quo fit etiam, ut cœleſtium rerum contemplationi ſupra humanum modum addicta, ſuſceperit etiam, & fortaſſe quotidie, totius illum gratiæ & ſanctitatis fontem, nempe Filii ſui Corpus, aliena occultatum ſpecie, quod olim puriſsimo & integerrimo ſinu ſuo exceperat. Hoc mihi tam certum eſt, quam quod certiſsimum. Quare ut hoc etiam depingatur à piis & cordatis pictoribus nihil inconvenit; imò pietatis ſolidæ ac religionis intereſt. Vellem tamen ut pictores iidem (quanvis in hoc verear ego, ut nonnihil prolixior atque moroſior pluribus videar) meminiſſent non eamdem eſſe illorum rationem, atque eam, quæ poſtmodum ſumma cum laude introducta fuit ab Eccleſia, ejuſque Paſtoribus in conficiendo, miniſtrandoque Sacramento omnium Sanctiſsimo atque excellentiſsimo. Vidi egomet, cum degerem Salmanticæ, picturam, & quidem optimæ notæ, & non vulgaris penicilli, in qua tam pium factum oculis ſubjicitur: ſed eo prorſus modo ac ſi res gereretur, aut geſta fuiſſet non multis ab hinc annis, & non primo Eccleſię ſeculo, temporibuſque ipſis Apoſtolicis. Adeſt altare cereis accenſis, aurea, gemmataque Cruce præfulgens, velis, mappiſque candidiſsimis coopertum, ornatum etiam à fronte ſplendidiſsimè. Verbo: eo prorſus ornatum modo atque exiſtit apud nobiles piaſque admodum Sanctimoniales, in quarum templo cernitur hęc pictura. Deinde celebrans Sanctus Ioannes Evangeliſta, qui Sacram Synaxim Virgini porrigit,

git ; ornatus adest omnibus indumentis Sacerdotalibus, ne in apice quidem dissimilibus iis quibus modo utimur. Pia sunt hæc, fateor ; sed quæ nemo etiam infra mediocritatem sapiens diffitebitur videri admodum imperita. Quotus enim quisque est, qui nesciat indumenta Sacerdotalia, altarium ornatum splendidiorem, aliaque hujusmodi, non fuisse illorum temporum propria, sed longo intervallo post ab Ecclesia Catholica omnino prudenter atque salubriter instituta? In his verò elucidandis immorari nolim, ne videar ostentandæ cujusdam non admodum abstrusæ eruditiunculæ, rerumque istiusmodi cognitionis patentiorem campum quæsivisse. Hoc interim monebo pictorem, ut si fortè hæc depingendi detur occasio, aut necessitas urgeat, consulat viros magis rerum gnaros, quo magis hac ratione possit intendere rerum veritati, aut verosimilitudini.

CAPUT VII.

DE PICTURIS DORMITIONIS, ASSUMPTIOnis, & Coronationis Sacratissimæ Deiparę.

1 Nemo est, ut mea fert sententia, vel mediocriter doctus, qui ignoret quàm multa hic dici possent, atque à nobis commemorari de iis agentibus, quæ comprehenduntur in inscriptione capitis. Verum quicumque tandem sit, meminerit nos hic eam non assumpsisse provinciam, ut rerum Ecclesiasticarum nomen usurpare velimus, neque exactioris critices partes consectari: quin id, quantum fieri potest, potuitque, refugimus, ut (quod inquit Lyricus,) *periculosæ plenum opus aleæ.* Et sanè cum cuicumque Catholico ac solidè pio id esse debeat certum atque exploratum, non solùm Sacram Deiparam, sive in corpore, sive extra corpus, assumptam fuisse super Angelos, ut loquitur Augustinus Parens, (a) quod spectare ad Fidem Catholicam Catholicorum nullus dubitat: sed etiam assumptam esse in cœlo una cum corpore immaculato sanctissimam animam: Quæ sententia satis videtur esse sensus Catholicæ Ecclesiæ, tametsi res non fuerit expresse definita, ut bene monuit Cardinalis Baronius. (b) Cum hoc (inquam) certum atque exploratum esse cuique sapienti, non est cur multis immoremur in hujusmodi rebus penitius enucleandis, qui solum sustinemus partes commonefaciendi pictores eruditos.

(a) Div. Aug. ser. 35. de Sanctis.

(b) In not. ad Martyr. die 15. Aug. Vide etiam Sixtum Senens. in Biblioth. l. 2. p. mi. 486. &c.

2 Hoc igitur præjacto, pauca admodum sunt, quæ circa hujus Mysterii picturas & imagines moneamus pictorem. Nam quod Sanctissimæ Deigenitricis dormitionem depingentes, affingant eam jacentem in lecto, circumquaque adstantibus Apostolis: tametsi hoc receptum sit usu frequentissimo, adeò ut non solum id proponatur in tabulis, sed etiam magis ad vivum repræsentetur sculpturæ operâ efformatis majoribus iconibus: ego tamen id numquam probaverim; neque ut id coloribus quantumcumque scitè dispositis depingant in tabulis, aut linteis, author ero pictoribus eruditis. Non ad hoc moveor, quòd refellere intendam traditionem piam, atque (ut eam vocat Damascenus, *) antiquam, de eo quòd tempore gloriosæ dormitionis (verba ejusdem audis) Beatæ Virginis, universi quidem Sancti Apostoli, qui Orbem terræ ad salutem gentium peragrabant, momento temporis in sublime elati, convenerint Jerosolymis, &c. Neque rursus ex eo quòd in hujusmodi pictura pleraque admisceantur ab imperitis, quæ nemo sanæ mentis probaverit, qualia sunt D. Petrus paxillo, aut instrumento illo quod vulgo appellamus *hyssopo* benedicta aqua) quam alius nimis Gentilitatem spirans *Lustralem* appellaret) intincto, lectulum Immaculatæ Virginis irrorans; duo alii Apostoli è libro aperto preces effundentes, eo prorsus modo quo nunc morienti persolvitur officium illud quod vocamus *Commendationem animæ*, aliaque similia.

* Dam. Orat. 2. de Dormit Deip ad fin.

Dd Non,

3 Non, inquam, ob hæc moveor ad hoc, ut quantum in me est, picturam illam Sacratissimæ Virginis, mortem pretiosissimam jamjam obituræ, atque ob id in lectulo decumbentis, amoliri satagam. Sed ob quæ tandem? inquis. Paucis absolvam. Supponit hæc pingendi ratio (nolo enim vocare sententiam) vulgare opinamentum, seu, ut brevius dicam, sequitur imaginationem cœco impetu, quæ concipit, nullo habito rei examine, Sacratissimam Deiparam, aut morbo aliquo, aut senectute (quæ morbus ipsa est) absumptam, vitam mortalem reliquisse. Atqui hoc ego falsum existimo. Neque primus id sentio: senserunt id ante me magni nominis Theologi, pro quibus omnibus videri pro nunc potest Eximius Doctor, (c) sequutus Damascenum, aliosque. Imò non vi morbi, sed amoris (qui languor etiam est, juxta illud, *Quia amore languto*) & ardentissimi cujusdam desiderii, intensissimæque contemplationis obivisse, sat est probabile. Quo posito, satius esset, ut flexis in terrâ genibus, fixis in cœlo oculis, pansisque manibus, quàm ut ægrotantis in modum, jacentis in lectulo, pingeretur. Neque rursus cogitatus hic noster ut habeatur exoptamus. Pius atque eruditus Theologus de re hac ipsa sermonem instituens, (d) *Tam fuit*, inquit, *Beatissima Virgo à dolore carnis extranea, quàm à corruptione fuerat aliena. Crediderim eam non decubuisse lecto more ægrotantium, & qui morbo pressi claudunt hanc vitam (cum venia pictorum & sculptorum) cum neque infirmitate vexata credi potius debeat, neque debilitate prostrata; sed flexis reverenter genibus, & sublatis in cœlum manibus inter orandum acceptissimum Deo spiritum commendasse: quemadmodum Paulum primum Eremitam obiisse tradit Hieronymus.*

(c) Suar. t.2.in 3.p. q.37. art. 4.disp. 2. sect. 1. dub.1.

(d) Iodocus Clithoveus de Assumptione Mariæ c. 6. quod probat Molan l.2. c.22.

4 Tradita in manus Filii purissima atque innocentissima animâ, certum est, & uniformi consensu receptum, elatum corpus ejus Apostolorum manibus, conditumque in sepulcro puris linteis (ut moris erat) involutum, & juxta illud eosdem Apostolos totos tres dies perseverasse, cœlestem quamdam harmoniam & percipientes auribus, & eidem animis ineffabiliter intentos, referunt Auctores nonnulli, qui videri potuerunt allegati à Pictore, quem sæpius laudamus, erudito. (e) At post diem tertium revixisse per virtutem Dei: atque ita vita redditam, assumptam esse super cœlos, Angelorumque etiam choros; veritas est, cui refragari licebit nemini, cui pius atque sobrie sapiens audire per totam Ecclesiam fuerit cordi. Depingi ergo (ut jam rem nostram agamus) triumphus hic Virgineus eo modo posset, quo jam pinxerunt aliqui, qui sic habet: Sacratissima Dei Mater & Virgo pretiosis exornata vestibus, valdeque decora atque pulcra (neque enim ullo modo describi debet anili, aut senili forma, quæ præterquamquod Virgo semper mansit intacta, gloriæ dotibus jam erat donata splendideque dives) humero innixa dilecti Filii, juxta illud quod habetur in Canticis: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens innixa super dilectum suum?* Turbâ Angelorum hinc inde septa ad cœlorum culmina tendens. Sed quia communius est, magisque receptum, ut sola depingatur nisu & manibus Angelorum subvecta, tametsi his non egeret gloriosum & mirabili agilitate præditum corpus, hoc modo etiam æquum est ut depingatur: imò magis populari pietate conforme. In cœlos autem assumpta depingi solet (neque id immeritò) modestè pulcherrima, junctis ante pectus manibus, de manibus Patris, Filiique sui coronam auream in capite suscipiens, quos desuper irradiat sub consueta forma columbæ Spiritus ille Divinus, dequo dictum fuerat eidem ab Angelo: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Atque hoc quidem modo in cœlos recepta atque assumpta, assistens quandoque pingitur prope thronum Dei: nempe ea, quæ, ut Gregorius ait, sive primus, sive quisquis fuerit Commentariorum Author in libros Regum; *ut ad conceptionem Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum Choros usque ad solium Deitatis erexit*: Et qua adjutricem ferente manum, hic de Picturis atque imaginibus ejus libello finem imponimus.

(e) Pacc. pag. 547.

LIBER

LIBER QUINTUS.

DE PICTURIS ATQUE IMAGINIBUS SANCTOrum, quorum festivitates incidunt intra primum Anni spatium trimestre.

CAPUT I.

CIRCA SANCTORUM IMAGINES MONITA QUÆdam, enarrata communius & ingenere.



Evenimus jam ad patentiorem nonnihil campum, in quo magna saltem ex parte res erit, non tam ex sacris literis, Canonicisvè scriptis, sed ex Ecclesisticis Historiis, probatis tamen & consensione communi receptis, desumenda. Atque hoc ipsum notandum adverto. Alias enim historias obscuras, & à parum laudatis Authoribus traditas, quas ipsis zelo quodam (quod fateor) Christianæ pietatis, sed non secundum scientiam, quod ait Apostolus, procedente, confinxerintnè, an seriò scripserint, dicere non ausim: nihil morabor. Neque aliud in hoc præstiturum me arbitror, quàm quod jam scriptis gravissimis præstitit magni & semper commendati nominis Theologus, (a) cujus auctoritati rationumque ponderi, si voluissent advertere animum, non Pictores tantùm, sed Scriptores haud pauci; profecto cautiores evasissent, ne persæpe lectoribus obtruderentur apocrypha pro certis, atque (ut simplicius dicam) pro veris falsa. Neque quód hoc admoneam, eò dixerim, ut velim tantam in me provinciam suscipere, qualis esset hujusmodi narratiunculas refutandi. Nonnumquam, si id necessitas exposcat, brevius exequar: alias tacuisse satis erit. Sed jam ad rem ut nos accingamus oportet. Et quidem cùm supra quod ad id institutum spectat, non admodum pauca dixerimus; ea hic rursus repetere atque inculcare non est animus, sed tantum annotare quæ admonitione digniora videbuntur. Atque hac quidem de causa nihil hic speciatim dicemus de honestate, quæ servanda semper est in depingendis Divorum corporum Imaginibus: satis superque esse censentes quæ supra attigimus, & in quibus paulo fusius fuimus immorati, quæ recolere pium & eruditum lectorem operæpretium esse judicamus. Porro in Sanctorum Sanctarumque, quemadmodum & in aliis imaginibus, tria potissimum spectari debent & attendi. Primum conformatio vultus, lineamentorum oris, staturę, aliorumque similium accidentium, quantum permittatur industriæ ac diligentię cum ipsis prototypis. Secundum, vestium & ornamentorum corporis, aut veritas, aut verosimilitudo magis consentanea rationi. Tertium denique, ætas, proindeque corporis habitudo, in qua effigiantur, aut effigiari describique intenduntur. Sanè verò quod ad primum attinet, aptandum esset, ut sicut nonnullorum ex Divis, qui postremis vixere temporibus, expressæ adhuc, & magis ad vivum depictæ icones supersunt atque imagines; ita veterum etiam, & quorum jam, ut ita dixerim, forma recessit, imagines etiam extarent: habent enim semper nescio quid majoris ponderis ac momenti ad afficiendos animos, imagines eorum, quos honore prosequimur ac reverentia, cùm censentur paulò accuratius ad vivum expressæ. Quin ad hoc illustrandum confirmandumque opus fuerit vulgarem hic, imò trivialem etiam eruditionem congerere: quotus enim quisque est qui nesciat hac ipsa de causa consuevisse veteres majorum suorum imagines in domorum suarum atriis conservare, ostentareque

(a) Melch. Can. de loc. Theologicis lib 11. per totum

que quam diligentissimè? Et quamquam ipsos à majorum virtute longe dissimillimos, esse solitos ostendere in imaginibus, quantum diligentia potuit simillimis avos & proavos, &, ut inquit Satyricus,

Famosos equitum cum Dictatore magistros.

Imò ex abusu hujus consuetudinis, quæ alioqui toleranda videri posset atque pia priscis illis temporibus traxisse originem tam grande malum, quale est idololatria, docet nos Author libri Sapientiæ verbis illis: (b) *Acerbo luctu dolens pater, cito sibi rapti filii fecit imaginem: & illum qui tum quasi homo mortuus fuerat, nunc tamquam deum colere cœpit, & constitui inter servos suos sacra & sacrificia, &c.* Tam verum est, tamque usu comprobatum, ut eorum imagines, quos vel amore vel honore prosequimur, maximè cùm ad vivum referuntur expressæ, humanos animos majorem in modum afficiant. Quin (quandoquidem huc prolapsi sumus) moris fuisse apud veteres, non solum parentes & liberos, aliosve homines, sed bestias etiam irrationabiles, hoc eodem desiderio ad vivum curare depingere. Meminit hujus elegantissimè Hispanus poeta, qui de catella quadam loquutus, scitissimo Epigrammate ac venustissimo ita habet.

(b) Sap. 14. v. 15.

Hanc ne lux rapiat suprema totam
Picta Publius exprimit tabella,
In quâ tam similem videbis Issam,
Ut sit tam similis sibi nec ipsa.
Issam denique pone cum tabella:
Aut utramque putabis esse veram,
Aut utramque putabis esse pictam.

Sed nos regrediamur ad institutum iter. Optandum, inquam, esset Christiano populo, ut veræ Sanctorum, Sanctarumque veterum superessent effigies atque imagines. Sed non statim quidquid optandum est sperari bono jure potest. Quo fit, ut quantum ad præsentem rem attinet, pictores in exprimendis divorum imaginibus, aut nihil de veritate cogitent, aut (quod sæpius fit) miris modis easdem deforment, etiam in iis, in quibus adhiberi potuit diligentia accuratior, ut suis fortasse locis sumus dicturi: non tamen idcirco despondendus est omnino animus erudito pictori, quominus investiget, quantum fieri poterit, remedia huic malo medendo opportuna. In primis enim Sanctorum qui vixerunt his postremis seculis, non raro occurrunt effigies satis ad vivum expressæ, quæ diligenti atque studioso possint esse subsidio. Etsi enim (ut fermè fit) ab aliis ad alios derivatæ, haud parum nativæ proprietatis amiserint, deservire tamen utcumque potuerunt, ne omnino discedatur à vero, & obtrudatur (quod proverbio dicitur) pro ovo castanea. In Divis verò magis veteribus, & quorum jam vix, aut ne vix quidem imagines supersunt, major occurrit scopulus. Sed is quidem vitandus, aut superandus erit studioso pictori. Principio enim recursus est, & quidem neque improbabilis, neque prorsus fallax, ad eos qui eorumdem Divorum vitas accuratius conati sunt scribere, qui sanè plures, etsi non omnes, hoc etiam munus in se susceperunt, ut scilicet posteritati describerent Divi sive Sancti, cujus res præclarè gestas enarraverant, qualis etiam fuerit, quod ad corporeum habitum spectat, vultus symmetriam, orisque lineamenta scriptis suis tradere. Quod exemplis confirmari poterat, si non essent passim tam planè multa. Deinde ex ipsius vitæ serie nonnihil elucet, quâ facie, quovè oris temperamento describendus sit non omnino inconcinnè Sanctorum quisque. Qui enim dediti fuerunt vitæ austeriori, assiduisque jejuniis, ineptum esset ut vegeti, genisque succi & ruboris pleni, quemadmodum etiam qui id exigente vocatione sua, majorique Dei gloria, minusque asperam minusque austeram deguere vitam, minus esset commodum, & veritati consentaneum ut describerentur prorsus macilenti, inculti atque horridi, non secus ac si fuissent Nitriæ & Thebaidæ solitudinibus assueti. Rursus uniuscujusque genius atque indoles non omnino postremum in hac parte conjiciendi locum suppeditat. Quos enim admodum lenes mansuetosque atque affabiles fuisse constat, dubitabit nemo quin depingendi sint hilari plerumque vultu, exporrecta fronte, oculisque intra modestiæ limen compositis alacribus: Qui verò severiores ingenio naturaque fuerunt, nihil in hoc obsis-

ſiſtente gratia, quæ non ſuevit naturam evertere, ſed perficere; aliis nonnihil diſcrepantibus modis, veniunt oculis objiciendi: quod & de aliis animi dotibus intelligi non erit admodum difficile. Denique in iis qui ſcripta ſua poſteris tradita reliquerunt, patentior, quantum ego exiſtimo, via eſt ad conjiciendum oris vultuſque geſtum, atque habitum, Nam præterquamquod ſcripta ipſa effigierum & imaginum quodammodo retinent vicem, ut propterea poëta omnium ingenioſiſsimus ſcite ſcripſerit ad amicum, qui illius imaginem geſtabat in annulo ſculptam,

Grata tua eſt pietas: ſed carmina major imago
Sunt mea.

Præter hoc, inquam, quotuſquiſque eſt qui Sanctorum Patrum atque Doctorum legerit ſcripta, qui ex illis ipſis eorum quodammodo vultus non peſsimus cōjector æſtimaverit? proindeque, qui etiam (ſi idem pictor exiſteret) non depingeret Auguſtinum Parentem, gravi quidem, ſed exſerta fronte, acuto naſo, vivacibuſque ſupra modum oculis? Hieronymum etiam ſub forma & figura aduſti, rugoſi, imò etiam nonnihil moroſi ac ſupercilioſi ſenis, inculta & neglecta barba, manibuſque præ rigore ſenioque arentibus, qualem ſe ipſe alicubi deſcribit? Ambroſium denique, Gregoriumque illum vultu, decore quodam, ac majeſtate pleno, ſed minus inculto; hunc verò piis, & plerumque triſtibus cogitationibus intentum, pallente ore macilentoque non excuderet? Fatemur hæc omnia topica eſſe, ſed in re hac qui modeſte ſapiat, contentus eſſe debet veroſimilibus. Et hæc quidem quantum attinet ad primum eorum quæ ſupra notavimus, dicta ſuffecerint: nam cetera, quę certè pluſcula dici poſſent, ipſe per ſe eruditus pictor cognoſcet.

2 Quod ad ſecundum ſpectat, major eſt (quod fatemur ultro) varietas rerum, quam niſi ſat excultus artifex non adverterit, immane eſt quantum offendet intuentium oculos: veſtes nimirum dico, atque ornamenta corporum. Nam cum Sancti ipſi, & in valde diſsitis regionibus, & in multum diverſis ſęculis floruerint, ineptum eſſet (ne quid dicam gravius) ut iidem habitus veſtimentaque omnibus nullo delectu habito tribuerentur. Quo loco laudandus mihi venit D. Antonius Palomino de Velaſco, amicus meus, qui cum Eccleſiæ, temploque Cordubenſi duos eximia laude digniſsimos juvenes, ambos ejuſdem Eccleſiæ tutelares, amboſque Chriſti Martyres invictiſsimos, Sanctum ſcilicet Aſciſclum, Sanctumque Pelagium juſſus eſſet depingere, curavit ſolerter ac diligenter, ut priorem quidem lorica, Romanoque militis habitu; poſteriorem verò Arabico, aut Mauritano cultu ornaret ac deſcriberet. Quod quidem alter minus diligens neglexiſſet: aut utrumque decoraſſet Arabico illo paludamento, quod *Alquizel* ipſi Arabes vocant; aut, quod magis verum exiſtimo, utrumque loricatum, colligatumque deſcripſiſſet: ut omnia hoc pacto eſſent ridicula. Verum cùm Sancti ipſi depingendi in varias claſſes diſtribuantur, operępretium me facturum arbitror, ſi (quod ad præſens inſtitutum attinet) paucula de unaquaque præmoneam.

3 Quod ad Patriarchas attinet & Prophetas, modeſtia & gravitate qua ſolet improbat Pictores graviſsimi & integerrimi judicii Auctor, (c) quod Patriarchas Prophetaſque depingant non ſecus quàm eo modo quo apud Europæos viſuntur aliquando Turcæ atque Armeni: cùm tamen ſimpliciori habitu (ut ipſe Auctor eruditus exiſtimat) veſtiti fuerint veteres illi Prophetæ & Patriarchę, quod ex locis aliquot Scripturæ probare atque evincere, quamquam obiter, pergit. Sed quid eſſet dicturus, ſi in magni alioqui artificis (d) incidiſſet imagines, in quibus David, Rex idem & Propheta, depingitur eo prorſus modo quo aliquis ex Germanis Cæſaribus, ad eamdemque formam ejus aulici, curtis pallioſis longiſque tibialibus, imo & feminalibus obtecti: milleque aliis hujuſmodi ineptiis, non tam ornati, quàm deformati repræſentantur. Verum hæc eſt ea pictoribus æqua, vel iniqua poteſtas, quâ qui non abutitur, parum ſibi videtur ſapere.

(c) Fleur. de Moribus veterũ Iſraelitar.

(d) Albert. Durerus.

4 De Apoſtolorum veſtibus & ornatu, aut potius paupere & ſimpliciſsimo cultu, nonnulla ſuperius, quę magis probabilia viſa fuerunt, dixiſſe ſufficient: quanvis ingenue fatear

tear plura fortasse esse etiam quę me latent, quæ si perspecta haberem, non modicam lucem essent allatura huic rei illustrandę, ac magis dissertè proponendæ. Quod ad Sanctos Martyres spectat, cum proponuntur ipsa tormenta perferentes, nudi, ut ratio postulat, depinguntur. Circa quod superius etiam annotavimus quæ magis visa sunt opportuna. Et hoc quidem dictum volo quod ad corpora attinet Sanctorum Martyrum tormenta perferentium: nam quod spectat ad ornatum & satellitium, cujusmodi expressio videtur in tabulis similibus, omnino digniora ne prætereatur, fidem quandoque superant non sat eruditorum artificium commenta. Unum hìc attingam, de quo non importunè dici posset illud Poëtæ;

——— Hinc crimine ab una
Disce omnes.

In tabulá bene alioqui concinna & eleganti, in quá descripta est Sancti Laurentii Martyris passio atque victoria, vidi egomet Centurionem quemdam, qui ceteris militibus imperitaret, qui jam disiluisset ab equo, ornatu magis nostro & usitato simili, quàm Romano. Sed non in hoc res sistit. Audi lector *facinus majoris abollæ.* Equus ipse, quem freno tenet juvenis famulus, instratus est, non ephippio Romanis consueto, sed sella prorsus eadem, cujus hodie est usus frequentissimus viris militaribus. Sed quid pluribus? Ab anteriore parte sellæ suis in bursis, aut capsis (quibus enim nominibus appellemus res, quibus penitus caruit Romana Respublica, adeoque eloquio?) collocati erant manuales illi parvi sclopeti, quos hodie *Pistòlas* nominamus; ut planè qui talem spectaret tabulam, celerius moveretur ad risus hujusmodi equi ornatu, quàm commoveretur constantiâ & passione Laurentii. Verum hæc cursim & perstrictim. Pergamus ad alia. Cum describuntur ipsa tormenta, operępretium esset habere perspecta, qualia, aut cujusmodi formæ fuerint martyrii instrumenta: cujusmodi fuerunt flagra, pectines, ungulæ, laminæque sępius candentes, nudis & tantum patientia armatis lateribus admotæ. Rursus quâ forma, quavè figura essent catasta, equuleus, trocleæ, quibus plerumque distendebantur corpora Martyrum, in tantum, ut solverentur sæpius ipsæ compages. Quę omnia quia solerti examine & tradidit, & spectanda proposuit eruditus Italus eques, (e) ad eum libellum lectorem remittimus: quandoquidem non omnia ad minutias usque prosequi possumus.

(e) Hieronym. Magius de Equuleo per tot.

5 Cum verò iidem Sancti Martyres exprimuntur corolla redimiti, palmamque manu præferentes, spectari oporteret, uniuscujusque ratio, vitæque status: quod si qua par est diligentia Pictores adverterent, multa vitarentur incommoda, & non exhiberetur spectandus Medicus, qualis fuit S. Pantaleon, habitu indutus Militari: aut Milites, cujusmodi certè fuerunt Hemetherius Celedoniusque, tunicati atque palliati; ad eum fere modum quo depingendus esset Græcus philosophus. At minutiora, inquis, sunt hæc. Ego verò secus opinor: neque enim adeo minuta sunt ut fugiant oculorum aciem eorum qui vel mediocriter fuerint docti. Sed esto. Aliis, & quidem pluribus, minuta quantumlibet videantur; non tamen videri debent pictori erudito, qui non secus atque Orator perspecta habere debet ea omnia, de quibus dicat ita ipse, quæ oculis tradat spectantium. Alioquin quid illi eventurum est, nisi illud quod de malo Pictore, & de indocto poëta cecinit Horatius, ut scilicet uterque eorum, vel uterlibet,

Delphinum silvis appingat, fluctibus aprum.

sed nos manum de tabula.

6 Frequentius nihil est quàm Sanctos Præsules Ecclesiæ, sive Martyres fuerint, sive non, depingere habitu atque ornatu Pontificali, jam in Ecclesia solemni more recepto: nimirum cum illa subtiliori tunica linea, quam Albam vocamus, Cappa pluviali, baculo, mitraque utrimque accuminata; aliisque, siquæ sunt hujusmodi. Et hoc, sive describantur orantes, aut scribentes domi, sive etiam Christum confitentes coram judicibus tyrannis. Hoc autem mirum est, si non videtur ineptum, etiam ipsis qui talibus delectantur: In primis enim ornamenta hęc Pontificalia & diversa fuerunt apud Occidentis Epis-

Episcopos, & apud Præsules Orientales: quod nemo est qui nesciat, si tamen inspexerit Græcorum, & aliorum Orientalium Sanctorum Episcoporum imagines depictas, ut saltem una Sancti Episcopi Nicolai Miræ olim Episcopi documento est, aliæque permultæ: de quibus consulendus erit multæ pietatis atque eruditionis vir Cardinalis Joannes de Bona de Rebus Liturgicis. (f) Deinde: demus ita fuerit omnino similis & uniformis Sanctorum Episcoporum ac Præsulum ornatus, qui in Ecclesia sacra tractabant: numquidnam eodemmet utebantur, dum res privatas agerent, aut ruri vel in domo consisterent? Nemo, judice me, nisi emotæ mentis hoc asseveret. Hæc tamen nihilominus parum, vel potius nihil impediunt, remoranturve Pictores minus quàm par erat rerum studiosos atque peritos: adeo ut ipsum D. Petrum Apostolum non semel depinxerint eodem prorsus modo perornatum Pontificalibus illis vestibus, queis Summi Ecclesiæ Præsules in actiibus solemnioribus induuntur. Verum hæc ne nimis urgere videamur, referēda pluribus videbuntur ad Picturas symbolicas: ut scilicet nihil amplius iis denotetur, quam in Beatissimo Apostolo Petro eamdem prorsus viguisse potestatem auctoritatemque à Christo traditam, quàm est ea qua hodie fungitur Benedictus XIII. feliciter regnans, quod est, & esse debet cuique Catholico verissimum.

(f) Lib. 1. cap. 24. & ibi.

7 De aliis Sanctis Confessoribus non Pontificibus (sic enim loqui amat stylus Ecclesiasticus) nihil est hìc, quod ad rem præsentem attinet, quod specialius occurrat. Nonnulla, si quæ videbuntur, suis quæque locis commodius notabuntur. At quod spectat ad Sanctas Virgines, etiam Martyres, piaculi reus existerem, nisi hìc propalam dicerem, quàm mihi displiceat habitus, quo ferè semper à non sat cautis pictoribus describuntur: capillis nempe intortis atque crispatis, facie non modestè decora, sed nimium quandoque & præter sanctitatis pudorisque virginei modum coruscante: oblongis aureisque syrmatibus vestitas, &, quod pudet dicere, mammillis exsertis, ut planè persæpe tantum absit ut videantur Christiani pudoris ac puritatis exemplaria, ut verè fuerunt, quin potius objiciantur seriis & castis oculis, ut profani (ne quid asperius dicam) cultus sectatrices vanissimę. In quæ omnia intentiores esse deberent ii qui pingunt illos Christianæ puritatis atque integritatis sanctiores archetypos.

8 Tandem quod ad postremum attinet eorum, quę supra monuimus, spectanda erit semper ætas illius cujus sit imago: quod quidem aliarum Imaginum artifices sedulo observant, adeo ut familiare sit iisdem post nomen ejus cujus imago est, adjicere, *ætatis suæ*, exempli causâ, 56. In quo etiam, quod præ oculis haberi debuisset, lapsi sunt (neque id raro) pictores alioqui præstantissimi. Sin minus, quid aliud est, obsecro, depingere Joannem Baptistam canis aspersum; cùm satis constet sex tantum mensibus Christo Domino fuisse majorem, ipsumque præcessisse laureatum triumphali martyrio? Quid Joannem Evangelistam imberbis adolescentuli formâ ætateque, stantem juxta Crucem, cùm per illud tempus jam fermè ætatis annum trigesimum attingeret? quid eumdem Evangelium scribentem, imò & admirandam illam suam Apocalypsim, ætatis (ut appa-ret) quæ vix annum trigesimum excederet: cùm tamen certo certius sit illam jam senem scripsisse: pervenit enim beatissimus Apostolus ad senium, imo ad postremam (ut Hieronymus ait *) senectutem: adeo ut vix inter discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur. Atque ad idem erroris genus attinet senes, aut saltem ætatis multum provectę, eos sanctos sanctasvè describere, de quibus certa fides est vix egressos esse adolescentiam, ætatemvè constantem & virilem: & tamen hoc non raro cernitur in sacris Imaginibus, ex non adhibita, quæ par erat in his figurandis, pictorum atque artificum advertentia. Hoc unum superest quod moneam: nempe Sanctos omnes depingendos esse irradiatis luce vultibus; & cum iis, aut martyrii, aut muneris insignibus, quæ congruant; ut magis intuentibus innotescant: in quo non tam frequentem advertimus hucusque Pictorum inconsiderantiam.

* D. Hieron. sup. Epist. ad Gal. lib. 3 c. 6.



CA-

CAPUT II.

DE PICTURIS SANCTORUM PAULI EREMITÆ, Antoniique Abbatis.

1 Irca Sanctorum Imagines, quæ magis apta videbũtur certo quodam ordine notaturi, prætulimus illum, quem jam pridem observaverat harum rerum scriptor satis diligens: ut scilicet eorumdem solemnitates, prout ab Ecclesia Latina celebrantur, maluerimus percurrere, quàm vel sacrarum Litaniarum ordinem, quem describere intendit, & decreverat, perfecissetque Cardinalis Gabriel Paleotus, si mors piis doctisque conatibus non intercessisset. Verum enim verò cùm jam supra non tantum de Christo Domino ejusque Sacratissima Genitrice, sed etiam de Sanctis Angelis annotaverimus quæ omnino habuimus dicenda, solemnitates ad Christum Dominum, Sacramque Deiparam, imò & ad sanctos Angelos spectantes hîc non exequemur, contenti ad proprios locos lectores (si qui erunt qui hæc qualiacumque attingere dignentur) remittere. Primus igitur omnium in Januario mense, qui primus etiam mensium est civilis atque Ecclesiasticus, occurrit ter maximus ille Eremitarum Auctor & Magister Paulus, cujus festum ad XV. ejusdem mensis transfertur ab Ecclesia Romana; quòd ejus propria dies cum decima coincidit, sed præpedita Epiphaniæ Domini solemniis.

2 Hunc ego (nam tale aliquid præfari mihi licet) quoties rem mecum seriò reputo, appellare tacitus soleo mortalium omnium felicissimum. Quippe vix ingressus adolescentiæ terminos, urgente primùm persecutione Decii, immanis illius belluæ, qui tot per varias Imperii provincias millia Christianorum exagitavit: dein urgente magis charitate Christi, Deoque liberius studio accensus inserviendi, vastam & inhospitam Ægypti solitudinem decrevit adire, quod & fecit: ubi palma eidem victum & vestitum præbente, contentusque *dulcis aquæ saliente rivo restinguere sitim*, annos vixit totos ferè centum, non dicam, à seculi mundique negotiis quamlongissime dissitus (friget enim hoc) sed, quod stupendum est, tam ab omni hominum, non solùm contubernio ac consuetudine, sed etiam visu, notitiaque remotus; ut nisi Deus ipse, qui maxima quæque curat in lucem edi, quæ mortalibus esse possint exemplo atque solatio, providisset, ut illum jam nonagenarius inviseret Antonius, nemo adhuc esset, qui vel fuisse unquam, vixisseve talem tantumque virum; vel sciret ipse, vel fando penitus audivisset. Sed ego prçclaras viri maximi res gestas describere linquo libenter majoribus ingeniis.

3 Quod ad ejus spectat imaginem (qui unus scopus est tractationis hujus) paucula hæc subnotare placuit. Vidimus aliquando, & attentius inspeximus illius Imaginem sub forma nimium vetusti & capularis senis; sed tamen dimidio saltem corpore omnino nudi, incana barba, quamquam non adeo prolixa, oblongaque, qualis esse deberet hominis degentis in eremo vastissima; ubi neque tonsoris esset copia, neque novaculæ. Deinde similia erant planè membra, sed plus fortasse justo valida; neque pillis hirsuta, squaloreve emarcida: sed nonnihil candentia, &, ut ipsi pictores dicere amant, morbida; quod supra me reprehendisse sat memini. Quare displicet, & meritò, hæc Paulum Anachoretam depingendi ratio.

4 Alii per oppositum, vestitum (ut par erat) pinxerunt: sed quali veste? nempe è buxo arbore contexta: quo nihil fieri potuit ineptius. Neque enim buxus arbor est, ex quà quovis modo vestis contexi queat. Quod bene & prudenter (neque enim omnia eorum quos meritò infecta-

sectamur, absurdè dicta sunt, esto fuerint complura) annotavit Erasmus. Sed si Pictores Vitam Pauli à Hieronymo descriptam, quæ in linguis etiam vernaculis omnium teritur manibus, quantumlibet oscitanter perlegissent, agnovissent profectò vestem Pauli, quam ipse suis manibus contexuerat, non buxeam fuisse, hoc est è ramis buxi elaboratam, sed ex foliis palmæ, quæ armata etiam diris aculeis, corpus viri Sanctissimi & tegeret simul & pungeret. Vulgata satis hæc sunt omnia, & solis ignota lippis, quod ajunt, & tonsoribus. Quare si illis nonnihil videmur immorari, illud in causa est, quòd vel ex hoc etiam apparatu tam tenui, tamque prope nullo, videatur, & meritò, idem Paulus tunica sua palmari, imo potiore Romanorum Consulum tunicis palmatis omnium quotquot sunt, fueruntvè, mortalium tam paupertimus quàm felicissimus. Qui plura volet, adeat Vitam ipsius Pauli, quam juxta eleganter atque pie conscriptam Hieronymus Maximus Doctor posteritati tradidit.

5 Nunc ad illius Collegam gradum facimus, Magnum illum verèque præclarum Antonium, quem Ægyptus monstrorum ferax olim protulit: de quo si alius esset instituti nostri labor, tam multa dicenda erant, ut implere possent etiam majores & longissimas paginas: Sed (quod sæpius iterare placet) continemus nos intra eam quam suscepimus spartam. Frequentissima est, si qua alia per totam Ecclesiam, Magni Antonii Imago; utpote quæ etiam præ foribus domorum, præsertim nobilium, depingi olim maximè consueverit. Eam autem qui volet non inepte describere, me monitore, describet hoc pacto. Grandævus depingetur senex, utpote qui accesserit ad extremam usque senectutem, obieritque ætatis annum quintum supra centesimum, Christique 356. natus 251. ut notavit Card. Baronius: (a) oblonga barba, quamquam non nimium prolixa: hoc enim solemne erat antiquis illis sanctisque Monachis, quorum plurimorum Pater extitit: cano etiam capite, atque ad occipitium saltem fluente capillo: qnanvis alii vertice calvo non sine venerandæ dignitatis specie depinxerint. Vestis autem, ex his quæ prolixe observavit in Actis Sanctorum magni nominis Scriptor P. Joannes Bollandus Soc. Iesu Theologus, (b) non alius pingi debet (neque enim alius fuit) quam tunicâ ex ovinis pellibus, aut caprinis contexta, quam stringat zona pellicea, atque addito cucullo, exterius pallium, quod, ut colligi datur, erat ex rudiori panno contextum; coloris fusci, qualis nativæ lanæ color est. Appingitur etiam in sinistro humero Crucis signum efformatum imagine Tau, quod est in omnibus ejus imaginibus frequentissimum: vel quod hoc signo insigniti describantur electi in Ezechielis loco, quem supra retulimus: vel quòd hoc signo detur intelligi Magnum illum Antonium fuisse Ægyptium, apud quos constat Crucem ipsam formam retinuisse literę T. ut observavit harum rerum nobilis Scriptor. (c) Baculus item pingendus est in manu: vel quòd is in senem optimè quadret, ut etiam indicavit Hieronymus: vel quòd iis uti solerent Monachi, ut observavit Casianus. (d) An autem pingendus sit omninò nudipes, definire non ausim. Crediderim tamen, propter ardores saltem arenæ telluris Ægyptiacæ usum esse sandaliis. Adjici etiam solet, & debet liber in manibus: non quo denotetur Sanctissimum Senem Doctoris obivisse munus, aut libris conscribendis fuisse unquam intentum, quamquam & disputavit cum Hæreticis atque Philosophis, & scripsisse aut dictavisse potius epistolas, quarum hodie nonnullæ leguntur, satis superque constet: sed quò significetur virum egrègium, quamquam ignarum etiam Gręcæ linguæ (quod instar est miraculi) Scripturas Sacras ita etiam tenuisse memoriter, earumque interpretationem, etiam rerum, quę magis viderentur abstrusæ, ita percalluisse, ut vel sapientioribus ipsis stupori fuerit, ut indicat Magnus illius Vitæ scriptor Sanctus Athanasius.

6 At de aliis, quæ Antonianæ Imagini adjungi solent, congruum est ut admoneatur eruditus pictor. Principiò enim adjici solet in sinistra Divi manu campanula sive tintinnabulum, quod non alia ex causâ, quantum mea fert opinio, introductum est, nisi quia Antoniani Monachi eam deferre solerent cum ad colligendam stipem ad sustentationem domus hospitalis, vicos plateasque

(a) Bar. in Not. ad Martyrol. die 17. Jan.

(b) Boll. t. 1. ad diem 19. Jan. pag. 119.

(c) J. Molan. l. 3. c. 5.

(d) Cas. l. 1. Instit. c. 9.

urbium discurrentes sedulo intenderent. Majus quiddam, atque extra rei ordinem videtur esse porcus imagini Sancti Antonii frequenter adscriptus. Aimarus Scriptor mihi numquam perlectus, sed quem allegat laudatus Bollandus, (e) *Ad pedes*, inquit, *beatissimi viri sus depicta, seu porcus effigiatus est: quia etiam in hoc animali per servum suum Deus fecit miracula.* Verum Joannes Molanus istiusmodi rerum diligens scriptor, (f) & quem ad verbum exscribit præfatus Bollandus, *Porcus*, inquit, *appingitur, ut plebei doceantur, animalia sua ejus intercessione à malo præservari. Nam in hujus beneficii implorationem & protestationem porcus plerisque locis alitur à communitate, quem nominant S. Antonii porcum. Fieri etiam potest, quòd majores nostri dum primum porcum ei potius quàm aliud animal appinxerunt, non huc respexerint, sed ad dæmonum insultus, quos perpessus est. Dæmones enim per porcos convenienter significantur. Hinc quando Arianorum Ecclesia Romæ Catholica consecratione dedicabatur, porcus ex ea exiit, invisibilis quidem, sed qui omnes per quos transiit in admirationem commovebat. Quod idcirco, ait Gregorius, divina pietas ostendit, ut cunctis patesceret, quia de loco eodem immundus habitator exiret. Porro sicut majores nostri memorias sanctorum invisentes libenter pro se conferebant parvam Sancti imaginem, sic etiam pro pecoribus suis collo alligandam nolam ex memoria Sancti Antonii conferebant, protestantes hac ratione, quòd meritis Sancti Confessoris petebant, & confidebant animalia sua præservatum iri à peste. Quod indicant carmina Ambrosii Novidii etiam à Romanis observari. Agens enim de porco grunniente, qui Antonio appingitur, subdit:*

(e) Bollā. ubi supr. pag. 158. §. 3. n. 13.

(f. Molan. ubi supr.

——— Collo mea concutit æra,
Noscere quo possit ne noceatur, ait.
Æsque meum gestat, baculo quod cernis in isto,
Quodque rogans æger, collaque multa gerunt.

Hæc Molanus doctè atque fusè. Quibus cum haberem nihil quod adjicerem, ea potius ad verbum transcribere, quàm pro meis obtrudere malui.

7 Eadem tamen cum ita sint, usuque communi, non solùm pingentium, sed omnium ferè recepta; non defuerunt, imo neque hodie desunt, qui contra opinentur. Itaque asserunt animal illud, quod secus pedes Magni Antonii communiter jam à multa antiquitate depingitur, suem non esse, sed murem Ægyptium, sui parvo, aut porcello perquam similem. Cujusmodi speciei sedulo inspexisse, habuisseque in manibus unum, affirmavit mihi vir & testis omni prorsus exceptione major, & tam doctrinæ excellentia, quàm nobilitatis undequaque conspicuus. Atque adpingi hoc animalculum Magno Antonio, non alio fine, causavè, nisi quatenus denotetur imaginem esse non alius Antonii quam Ægyptii: illius nempe, qui cognomine Magnus non Ægypto toti clarus extitit, sed universo propemodum mundo. Ego verò qui à receptis moribus sensibusque probabilibus non facile dimoveri patior, quamquam hoc ob reconditioris doctrinę vestigium omnino præterire nec volui nec debui; tamen dictis à supra laudatis adhęresco, & Divi Antonii Magni iconibus adjungi suem assero: cùm propter alias causas, tùm etiam propterea quòd Divus ille piè credatur, etiam irrationabilium animalium, malorum depulsor: ut planè quisque fidelium illum invocans dicere jure merito possit: *Rerum tutela mearum.*

8 Adjicitur etiam ignis imagini Magni Parentis. Quod etiam fit duplicem ob causam: vel quia pie valde creditur iis qui fuerint ipsi devoti atque addicti patrocinium ferre adversus ignem infernalem; quod sentire videtur gravis semper ponderis & judicii Author D. Thomas (g) vel quia vindex multumque potens existat adversus tam grande malum, quale est domorum incendium: vel quia denique unicus habetur & colitur patronus adversus morbum illum teterrimum, quem Sacrum appellarunt Medici, & qui hodie ignis S. Antonii vulgo audit: qui si semel serpat, ita membra exedit aduritque, ut nisi abscindantur (si id fieri poterit) homo absque ullo medicinæ subsidio, veluti igne crematus, intereat. Quo morbo etiam legitur Divum ipsum puniisse non semel ipsius imaginis violatores sacrilegos, ut multis comprobat exemplis memoratus cum laude

(g) D. Th. in 4. dist. 49.

de Bollandus, quæ hîc inserere, aliena res videtur ab instituto.

9 Vexatum eumdem Divum multis, mirisque cacodæmonum insultibus, nemo est qui nesciat; imo & plures ex pictoribus consuevere depingere: incaute tamen (ne quid dicam gravius) eorum non pauci, qui non contenti describere multigenas formas, varias, monstrosasque dæmonum figuras, addere etiam conati sunt obscæna quæque, quæ non oculi tantùm, sed piæ etiam aures audire non ausint. Imprudenter hoc, inquam: Cavere enim debet cordatus & eruditus pictor, ne dum spirituales Sanctorum nititur depingere victorias, occasio detur debilioribus, si victi non ruant, saltem tentationes ipsi experiantur, aut in eas incurrant. Quo circa refert laudatus in hoc opere à nobis Pictor rem veram, (h) quandoquidem ipse seriò affirmat, sed propemodum incredibilem. Ait itaque vidisse picturam coloribus expressam desumptam ex icone magni & præclari nominis artificis, * in qua describitur Sanctus jam grandævus senex sed omninò nudus cœlum suspiciens, Christumque sibi apparentem, quamquam non decoro & convenienti habitu adornatum, veluti alloquens; quatuor ornabatur picturâ dæmonum penicillo redditis imaginibus. Sed bone Deus! qualibus? Depicti erant sub mulierum forma, sed quæ se vestibus expoliavissent, & prope sanctum ipsum caput apri, precatorii globuli, tintinnabulum, baculus, & omnium magis longe ridiculum, pileus ad pedes, illis persimilis, quibus hodie utuntur Presbyteri Clerici. Tantum enim audere potest aut rerum inscitia, aut sibi relicta phantasia.

(h) Pacc. p. 572.

* Jacobi Tintoreti an. 1582.

CAPUT III.

DE IMAGINIBUS SANCTORUM SEBASTIANI, Agnetis, Vincentii, & Anastasii.

1 NOn fert animus divagari per omnes quorumcumque Sanctorum Imagines: quis enim Hercules tantū onus in se suscipe-ret? propositū nobis est dicere de his, quorū solemnitates habentur in Ecclesię fastis, aut, ut magis ad rem loquamur, Martyrologio: imò ne de his quidem omnibus; verùm de illis dumtaxat quorum imagines sæpius & magis apud nos frequentes reperiuntur: quod si ingruat necessitas Pictori, ut alias non ita consuetas depingat, quis poterit judicio suo uti, modò non dissideat à regulis, quas hic ex supradictis desumere poterit. Occurrit igitur primò Sanctus atque Inclytus Martyr Sebastianus, cujus imagines conspiciuntur passim jam à temporibus vetustis. Depingi hic solet sagittis transfixus, ligatusque ad palum (nam sine illis depingi illæsus & integer, error visus est Italo subacti judicii, (a) qui vidisse innuit tale quippiam) ætate juvenis nimium quandoque pexulus atque formosulus. De hoc postremo jam supra nonnihil attigimus.* Verum quod ad ætatem spectat, error est ut depingatur juvenis: quandoquidem tempore quo sagittas pro Christo pertulit, non juvenis erat, sed vir, & quidem, ut graves Authores autumant, quadragenarius; quippe dux primæ Cohortis, ut ego existimo, Prętorianæ: quod munus dari à Principibus disciplinæ Militaris studiosis, qualis erat certè Diocletianus, minoribus non consueverat. Sed legatur de re hac judicium censuraque Cardinalis Baronii: (b) *Egregium*, inquit, *Sancti Martyris monumentum, veneranda ejus imago opere musivo expressa, atque hactenus integra extat in titulo Eudoxię ad Vincula S. Petri, senili aspectu, & barba: quod pictores admoneat, qui eum juvenem palo alligatum perperam pingunt.* Hucusque Cardinalis doctissimus: quamquam non per omnia mihi placeat, quod doceat, non virili, sed plane senili ætate Sebastianum debere depingi: per id enim ætatis

(a) Andr. Gillius Dialogo Ital. della Pittura 2. f. 83. p. 2.

* Lib. 1.

(b) Baron in Notis ad Martyrolog. die 20. Jan.

non jam Romano more & legibus militaret, sed potius computatus inter emeritos, vacationem obtinuisset muneris. Verosimilius igitur est, non adhuc senem, sed integrè & maturè virum extitisse, cùm martyrium pertulit: in quo etiam haud contemnendos Authores sequimur. Sed de sagittis ipsis mihi olim etiam insedit scrupulus, quod nempè depingantur non altum infligentes vulnus, sed vix magis quam summam perstringentes cutem: quod etiam vel ipsis spectatoribus apparebit inverosimile.

2 Depingi etiam solet in genibus beatæ feminæ Irenes: quę cum ad ejus corpus clam sepeliendum advenavisset, quod mortuum jam in illo supplicio crederet, cùm adhuc vivum reperisset, domum, quoquo modo potuit, asportavit, curavitque, ac sanitati restituit, quàm magis potuit sedulò ac diligentissimè. Inepta hæc, quamquam profecta à magnis artificibus, pictura, & cordatiori judicio non admodum congruens. Satius, magna saltem ex parte, & opportunius mihi videtur imago illa, quam se peregisse narrat sæpè laudatus Pictor, ut scilicet depingatur decumbens in lectulo, & prope illum sagittarum fax, earum quæ à corpore Martyris indicantur avulsæ, non sine sanguine, stragisque notis evidentissimis. Hac enim ratione vitatur quæcumque est incommodi, in eo quod describatur viri corpus Martyris contrectatum manibus feminæ, quantumlibet piæ atque sanctissimæ. Alia verò, quæ de eodem Martyre, Christique strenuo athleta à pluribus commemorantur, omittimus, quod proprius ad Picturam non spectent. Itaque à viro fortissimo gradum facimus ad feminam haud minus fortem.

3 Agnes, sive potius Hagne, nemo est qui nesciat idem Latine significare quam *Casta*: quò illud spectat eloginm, quod expressit Ambrosius more suo, his verbis: (c) *Sed quid dignum ea loqui possumus, cujus ne nomen quidem vacuum laudis est? quę enim casta suo ipsius nomine audiebat, sub ipso nomine proferebat laudem atque elogium.* Quod idem disserte magis, clariusque expressit Augustinus (d) *Virgo*, inquit, *quæ vocabatur, erat: Agnes Latinè Agnam significat, Græcè castam.* De hujus igitur imaginibus (nam quod ad ejus gesta attinet, immensa sunt etiam Sanctorum Patrum encomia, pauca hæc, de quibus moneamus pictores, sese offerunt. Depingi solet puellari ętate; quod rectissimè: Nam tertiodecimo ipso suę ætatulæ anno, mortem perdidit, & vitam invenit, ut in ejus canitur officio, quod eleganter etiam expressit Ambrosius, id innuens fama communi esse receptum. *Hęc*, inquit ille, *tredecim annorum martyrium fecisse traditur. Quo detestabilior crudelitas, quæ nec minusculæ pepercit ętati? imo magna vis fidei, quæ etiam ab illa testimonium invenit ætate. Fuitne in illo corpusculo vulneri locus? & quæ non habuit quo ferrum reciperet, habuit quo ferrum vinceret.* Atque infra, nonnullis interpositis: *Stupère universi, quòd jam divinitatis testis existeret, quæ adhuc arbitra sui per ętatem esse non posset.* Elegantissime! sed fortasse non adeò omnibus verborum patet elegantia. Martyr idem est atque testis: quo in munere ætas exigitur, & plerumque quæ tam tenellam superet: rerum suarum arbitrium non conceditur, etiam viris constitutis in tenera, imo & longe provectiore ætate. Ex quibus expensis pensitatius, elegantia & concinnitas elucescit Ambrosii, & qua ratione dixerit stupuisse universos, quòd jam divinitatis testis existeret, quæ adhuc arbitra sui per ætatem esse non posset. Atque hæc de ætate Virginis, quæ non parum ad ejus imaginem conferunt.

4 Pingitur deinde induta tunica, aureis floribus intertexta. Quod probari etiam debet. (e) Allusio enim evidens est ad id quod in ejus Actis refertur, & canitur in ejus officio, dixisse nempe illam amatori juveni de sponso suo Christo loquentem: *Induit me cyclade auro texta, & immensis monilibus ornavit me.* Quæ licet ad altiores sensus referantur, & spiritales divitias; locum tamen dant non ineptum, ut ita ornata virgo castissima depingatur. Sed, quantum ego judico, melius & magis ad historiæ fidem pingeretur, si proponeretur induta tunica mirum in modum aptata corpusculo, sed tota candida instar nivis. (f) Legitur enim, quòd cum nuda, & solum obtecta capillis longè profluentibus collocata esset in turpi prostibulo, preces ad Deum fuderit, quibus presidium in discrimine tanto miro modo obtinuit. Sed le-

(c) D. Ambr. de Virg lib. 1.

(d) Aug. s. 131. de diversis.

(e) Apud Bolland. die 21. Ian. pag. 351.

(f) Bolland. ubi sup. pag. 351.

legantur ejus Acta: *Cum se in orationem Domino prostravisset, apparuit ante oculos ejus stola candidissima. Et apprehendens eam, induit se, & dixit: Gratias tibi ago Domine Iesu Christe, qui me in numero ancillarum tuarum computans, vestem hanc mihi largiri pręcepisti. Ita namque ad mensuram corpusculi eius aptum erat indumentum, & ita nimio candore conspicuum, ut nullus dubitaret hoc non nisi Angelicis manibus pręparatum.* Quę nostrum hoc monitum plurimum confirmant. Pingitur præterea accenso rogo, igni ipsi superstans; & hoc etiam rectè: nam & legitur in ejus Actis, & canitur in ejus solemniis. Quod verò depingatur agnum complectens: hoc vel ad eius refertur nomen, quod supra diximus: vel communiori significatu eò refertur, quòd fuerit purissima virgo, de earum nempe numero quæ sequuntur Agnum quocumque ierit: vel fortassis (quod ego magis probaverim) ad utrumque.

5 Si verò depingatur ejus passio, qua martyrium constanter finiit, depingenda fortasse videretur transfixa gladio per ipsum guttur: hoc enim habent ejus Acta, de quibus præmissa descripsimus illis verbis: *Aspasius urbis Romæ Vicarius, populi seditionem non ferens, in guttur ejus gladium mergi præcepit. Atque hoc exitu roseo sui sanguinis rubore perfusam, Christus sibi sponsam & Martyrem consecravit.* Ego verò si Pictor essem, aut qui plane esse volet pictoris eruditi consultor, non ita depingerem, neque consulerem depingi sacræ hujus virginis martyrium. Moveor ad hoc Ambrosii verbis in opere indubitanter suo, * quæ nemo est qui non legerit, quibus ita loquitur: *Quanto terrore egit carnifex ut timeretur! quantis blanditiis ut suaderet! quantorum vota, ut sibi ad nuptias perveniret! At illa; Et hæc, inquit, Sponsi injuria est exspectare placituram, qui me sibi prior elegit accipiet. Quid percussor moraris? Pereat corpus, quod amari potest oculis quibus nolo.* Subjungitque mox: *Stetit, oravit, cervicem inflexit. Cerneres trepidare carnificem, quasi ipse addictus fuisset: pallere ora alieno timentis periculo, cùm puella non timeret suo.* Hęc Ambrosius. Quibus luce clarius ostendit Agnetem, non transfixo gutture exuisse mortalitatem, sed decollatione, abscisioneque capitis, ut ex illis constat, *Stetit, oravit, cervicem inflexit.* Quod verò inquit, stetisse, non verò humi procubuisse, ut moris erat capite plectendis; eò dicit, ut magis exaggeret puellæ parvitatem corpusculi: ut scilicet satis fuerit homini valido, quin ipsa procumberet in genua, ut caput tenerum atque virgineum amputaretur stanti. Sed jam de tenera Virguncula redeamus ad viros.

*) D. Ambr. vbi supra.

6 Vir quidem, isque insignis meriti ac virtutis extitit D. Vincentius Martyr Hispanus & Celtiber, non Hispanorum tantùm, sed & omnium quorumcumque celebratus encomiis; cujus elogium non longis quidem sed magni ponderis verbis comprehendit Martyrologium Romanum, (g) quæ sic habent: *Valentiæ in Hispania Tarraconensi S. Vincentii Levitę & Martyris, qui sub Daciano impiissimo præside carceres, famem, equuleum, distorsiones membrorum, laminas candentes, cratem ferream ignitam, aliaque tormentorum genera perpessus, ad martyrii præmium evolavit in cœlum. Cujus passionis nobilem triumphum Prudentius luculenter versibus exequitur, & B. Augustinus, ac Sanctus Leo Papa summis laudibus commendant.* Hucusque Martyrologium: ut vel hinc pateat in duobus Diaconis fortissimis, Laurentio nempe (nam & Laurentium Hispanum fuisse, quanvis non desint qui tantam gloriam Hispanis invideant, ego quod ad pręsens attinet nullus ambigo) & nostro, de quo nunc, Vincentio habuisse Hispaniam geminum triumphum; cui vix aut ne vix quidem parem inveneris.

(g) Mart. Rom. ad diem 22. Ian.

7 Pingitur itaque Levita fortissimus Diaconi habitu: qua quidem in re nolo amplius videri paulò prolixior ac morosior. Manu tenet æque ac Laurentius, cratem illam ferream, quâ ustulatus fuit imperio sævissimi præsidis: juxtaque adstat corvus. Quod quia à plerisque dubitari observavi, aut plane nesciri, qua fieret ratione, non pigebit nonnihil exponere. Sic igitur se res habuit. (h) Post triumphalem necem viri fortissimi, nudum omnino corpus invicti Martyris expositum fertur, ut Christianis terrori esset, avibus & lupis devorandum: sed corvus (quod mirabile dictu est, & humanam fidem penè supe-

(h) Bolland. die 22. Ian. pag. 397.

perans ut tale quippiam fieret, impigrè defendit. *Corvus* (ita referunt ejus Acta) *avis lenta & pigerrima, haud procul residens, quasi tetra sui specie lugentis habitum demonstrans, cùm adventantes aves reliquas, ac pernicibus metuendas alis quodam impetu eminus fugaret, advenientem subito immanem lupum incursu etiam non segni abegit à corpore. At ille reflexa cervice in aspectum sacri corporis stupefactus hęrebat, &, ut credimus, custodiam mirabatur Angelicam.*

8 Iam quod ad ejus attinet martyrium, extat Salmanticæ super Aram maximam Templi Divi hujus Martyris Vincentii, cui sacra est Ædes celeberrima, majoribusque digna laudibus Benedictinorum Patrum, quæ tot tantosque viros literariæ reipublicæ protulit & orbi. Extat, inquam, insignis grandiorque pictura, quæ fertur esse Vincentii Carducci, in quâ describitur cubans Vincentius super ignitam cratem, ea concinnitate atque elegantia, ut nihil supra, quam describere laudareque nimis esset longum. Hoc unum circa Divi triumphos temperare mihi non possum quin huc non omnino importune referam. Illud est, quòd scilicet non hoc tantum tremendo lectulo tentata est Martyris patientia atque constantia: sed molliori alio, quo præses impius conatus est eum quem tormentis dejicere non potuerat, expugnare deliciis. Ita enim habent memorata jam nuper Acta. *Et quid amplius faciemus?* (de Diacono loquuntur) *victi sumus: referatur itaque ad lectulum corpus, stramentisque mollioribus foveatur. Nolo enim gloriosiorem facere, si inter tormenta defecerit. Indulta pauxillum requies, attrita pœnis membra refoveat; & obducto in cicatricem hiatu vulnerum, denuo novis & exquisitis suppliciis innovatus & ipse subdatur.* Hucusque Acta: quæ certè mihi vellicant aurem, in memoriamque revocant teterrimum factum, quod à D. Hieronymo eleganter supraquàm dici potest refertur patratum ab impio tyranno in persecutione immani illa Decii, in qua dirus persequutor, non contentus in corpora sævire, animas etiam Christianorum impetit; & quos tormentis cruciatibusque expugnare nequiverat, quandoque deliciis aggressus est evincere, ea nimirum mente, ut luxuria fractos jam animos, facilius dejicere posset: si in fide confessioneque Christi persistentes, iteratò eos cruciatibus subderet. Quod quidem in uno eorum, cujus nomen ignotum hucusque mansit, quanvis eum à pręclaro omnibusque laudibus majore facinore Niceram, hoc est Victorem, communiter jam perplures appellaverint, miris indignisque modis est aggressus. Hunc enim tormentis ipsa morte sævioribus exemptum, in amœno hortulo inclusum, in molli culcitra plumeoque lectulo colocari jussit, mollibus etiam vinclis religatum: quo ingressa impudens muliercula tamdiu constantissimum Christi juvenem procax ad libidinem impulit, quoadusque præmorsam dentibus linguam ab inclyto athleta virtutis, sanguine atque horrore mistam, sibi in os impudentissimum jactam impura illa bellua persensit. Rem (ut jam innuimus) narrat Hieronymus: (i) & nos aliquando non omnino inconcinnis, nisi philautiâ fallimur, Hendecasyllabis descripsimus, quos hic dare supersedeo, ne videar, quod proverbio dicitur, saltare extra oleas.

(i) Divi Hier. in vita S. Pauli.

9 Colitur cum eodem Vincentio memoria S. Martyris Anastasii, cujus imago, aut potius abscisi capitis passim circumfertur, & merito: De ea enim est gravissimum Septimæ Generalis, &, quod idem est, Nicęnæ Secundæ synodi testimonium: quod nempe plurimum juvet, cùm ad varias hominum sanitates, tum & præcipue ad propulsandos abigendosque dæmonum insultus. Pingitur Imago hæc cucullata. Neque id errore, sed jure. Fuit enim Anastasius vitæ Monasticæ professor: cujus elogium eorum omnium quos viderim, melius atque elegantius Beda descripsit, (K) quę hic non gravabor exscribere. *Anastasius Persa Monachus*, inquit, *nobile pro Christo martyrium patitur, qui natus in Perside, magicas à patre puer artes discebat: sed ubi à captivis Christianis Christi nomen acceperat, in eum mox animo totus conversus, relicta Perside, Chalcedoniam Hierapolimque, Christum quærens, ac deinde Hierosolymam petit: ubi accepta baptismatis gratia, quarto ab eadem urbe milliario monasterium Abbatis Anastasii intravit, ubi VII. annos regulariter vivens, dum Cæsaream Palęstinæ orationis*

(K) Beda in Martyrolog.

nis gratia venisset, captus à Persis, & multa diu verbera inter carceres & vincula, Marzabana judice, perpessus est: tandem mittitur in Persidem ad regem eorum Chosroem, à quo tertiò per intervalla temporis verberatus, ad extremum una suspensus manu per tres horas diei, sic decollatus, cum aliis LXX. martyrium complevit. Mox tunica ejus indutus quidam dæmoniacus, curatus est. Interea superveniens cum exercitu Heraclius Princeps, superatis Persis, Christianos qui erant captivati reduxit gaudentes. Reliquię beati Martyris Anastasii primò Monasterium suum, dein Romam advectæ, venerantur in monasterio B. Pauli Apostoli, quod dicitur ad Aquas Salvias.

CAPUT IV.

DE IMAGINIBUS SANCTI ILDEFONSI ARCHIEP. Toletani, & S. Raymundi de Peñafort Ordinis Prædicatorum Gen. Mag.

1 Nsignes hos, tam sanctitatis, quàm dignitatis laude conspicuos eodem die celebrat Ecclesia, hoc est XXIII. Januarii: quorum res præclare gestas atque scripta qui penitius atque operosius indagare velit, alios scriptores adeat necesse est: nos intra instituti nostri metas contenti, pauca delibabimus, quæ tantum ad eorum imagines picturasque spectant. Igitur Sanctus Ildefonsus, sive Adelfonsus, utroque enim modo, imo & aliis, eum appellant veteres, unus ex illis longe clarior, qui in Toletana sede extremis Gothorum vixere temporibus, sanctitatis & doctrinæ laudibus clarus est habitus Ecclesiæ seculo VII. Sed quod ad ejus spectat imaginem, duo occurrunt consideranda potissimum. Prius quidem quòd depingi (neque id raro) solet habitu Monachi Benedictini, quòd re ipsa Instituti Magni Parentis Benedicti Regulæque Sanctę Sectator, non vulgo tantùm, sed doctis etiam, iisque non paucis, existimetur. Alii contra mordicus obluctantur, putantes Benedictinum Institutum Sanctamque Regulam à magno Parente traditam nondum per hujus viri tempora ad Hispanias usque promanasse. Non desunt utrique parti fundamenta, ut proinde asserentibus atque negantibus, negari non possit suas præstò esse arces atque præsidia. Nobis, qui id non agimus, inter utrosque constituti, illud Poëtæ jure merito usurpare possumus;

Non nostrum inter vos tantas componere lites.

Ceterùm si absque cujusvis præjudicio mentem nostram aperire quoquo modo liceat: illud est certum S. Ildefonsum vitam professum fuisse Monasticam in celebri illo Monasterio Agaliensi de cujus situ atque loco, ubi quondam extitit inter eruditos adhuc sub judice lis est. Hoc præterquamquod ex Cyxillæ aliorumque constat monumentis, patens fit non alio quàm ipsius Ildefonsi luculentissimo testimonio, quod ita habet; (a) nam de sancto Helladio loquitur antecessore quondam suo. *Nam ad monasteriū nostrum (illud Agaliense dico) cujus me susceptio Monachum tenuit, &c.* Monachatum igitur professus est Præsul sanctus, antequam ad Episcopatum eveheretur. Ita sanè, inquit aliquis; sed non Benedictinum. Quid? repugnat ne id per temporum rationes? Minime profectò, ut satis superque notare queunt etiam non nimis docti. Ergo licet eumdem Divum Benedictino prorsus habitu perornare, fateamur non adstruere locum usquequaque firmum historiæ; fateri etiam quisque potest, & debet, citra illam erroris aut inscitiæ notam depingi D. Ildefonsum cum habitu insignibusque Monachi Benedictini.

(a) Lib. 1. de Viris illustrib. cap. 7.

2 Major, me judice, labes est; imò, ut simplicius dicam, error ineptissimus is, quem in imagine D. Ildefonsi satis celebri, & quam in Belgio aut delineavit aut excudit, aut utrumque fortasse fecit pictor non in-

incelebris, quam ego sæpius admiratus sum & inspexi. Pingitur ergo beatissimus Antistes in illo actu, de quo mox dicemus, cùm scilicet à B. Virgine cæleste munus, seu vestem Angelicis præparatam manibus, qua in Sacris uteretur, accepit: tunicâ indutus alba cum manipulo stolaque; sed omnino nudipes. Cùm tamen, etsi ita aliquando incesserit vir sanctissimus (quod ego incertum, imo & falsum reputo præsertim jam factus Presul Toletanus) ad preces accedens sacras, sive rem divinam celebraturus, ut in eadem icone pingitur: non nisi calceatus deberet effingi, illo potissimùm tempore, in quo jam receptæ erant sacræ & semper venerandæ cæremoniæ. Sed Pictores potestate sibi facta æqua vel iniqua, quidvis audent quantumlibet spectantium oculos offendat.

3 Sed omnium frequentior est Sanctissimi Præsulis imago ea, qua proponitur Sacerdotalem illam vestem de ipsius Deiparæ manibus suscipiens, quo inenarrabili favore, etsi alia deessent, videri statim & haberi potuit adscriptus sanctorum civis & domesticus Dei. Res est nullis non linguis & laudibus celebrata: sed quam vel tantillum delibare fas erit ex verbis antiqui scriptoris, pii admodum, & quantùm ea ferebant tempora elegantissimi. (b) Cixilla igitur postmodum S. Ildefonso in eadem amplissima Sede successor, rem latius describens, post alia non pauca, *At ille*, inquit, *sibi bene conscius, ante altare S. Virginis procidens, reperit in cathedra ipsam Dominam sedentem, ubi solitus erat Episcopus residere, & populum salutare* ::: *& elevatis oculis, aspexit in circuitu ejus, & vidit omnem absidam Ecclesiæ repletam virginum turmis, decantationibus David modulata suavitate aliquid decantantibus. Aspiciensque in eum* ::: *hac eum alloquuta est voce: Propera in occursum meum serve Dei rectissime, accipe munusculum de manu mea, quod de thesauro Filii mei tibi attuli: sic enim tibi opus est, ut benedictione tegminis, quæ tibi danda est, in meo tantum die utaris.* Quæ, qualisvè fuerit vestis illa, à nemine, quod ego sciam, literis est traditum. Fuisse tamen eam, quam jam communiter appellamus *Casullam*, communis omnium persuasio est, cui non facile est derogandum: Sed, ut ego existimo, non in eum modum conformata, quo nunc vulgò fit, ob majorem celebrantum commoditatem: sed humeros, partemque brachiorum contegens; imò fortassis totum ferè usque ad talos corpus. Nec mea hæc assertio est, sed gravissimorum Scriptorum quorumcumque. *Porro Casula (sive ut fortè pronuntiatio vetus erat,* Càsula) inquit pius, eruditus, atque Eminentissimus Scriptor, (c) *teste Isidoro* lib. 19. Originum cap. 24. *per diminutionem à Casa dicitur, quòd totum hominem tegat, quasi minor casa.* Et paucis interjectis: *Olim casulæ rotundæ prorsus erant, totum ambientes hominem à collo usque ad pedes, unicam in medio aperturam habentes, per quam caput immittebatur: qua de causa necessarium erat, ut Sacerdos operari, ac manibus libere uti posset, eas super brachia revolvere & complicare* ::: *Latini verò, ad vitandum incommodum ex amplitudine & propensione, totum corpus cum brachiis circumcludente proveniens, eas paulatim à lateribus scindere & decurtare cœperunt, donec ad formam qua hodie utimur, redactæ sunt.* Quod contigisse circa annum Domini CM.LX. probat idem ex opere Musivo Romæ adhuc extante. Sed ille annus sat per se patet posteriorem esse vitæ Sancti Ildefonsi, qui obiit juxta magis receptam supputationem, quamquam non defuerint qui aliter scriberent, anno Christi DC.LXVII. Ex quo non admodum ægrè colligitur quod prudens lector adverteret, Casulam qua indutus est à Beata Virgine Ildefonsus, aut ea potius donatus est, quod magis indicant verba Cixillæ, non tam similem fuisse nostratibus, quàm à vulgo depingitur. Sed de his hactenus.

(b) Apud Bolland. die 23. Januar.

(c) Joan. Bona de Rebus Liturg. lib. 1. c. 24. n. 8.

4 Divus Raymundus de Peña-fort, Sacri ac Magni Ordinis Prædicatorum tertius Magister Generalis, vir est, aut potius Heros, quem semper magni facimus jure omnino merito Instituti nostri sectatores: quippe eum qui in fundatione erectioneque instituti nostri, hoc est Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum adjutricem manum porrexit, potissimamque operam contulit. Quo fit ut depingatur adjuncto Scuto Ordinis, quod Crucem albam, virgasque, seu barras (sic enim vulgo loquimur, & intelligi-

ligimur) in se continet atque complectitur. Quam rem non solum absque tædio ullo, sed etiam ingenti cum plausu gratique animi signis exosculamur, atque amplectimur.

5 Ejus res præclarè gestas hìc multis persequi non vacat, nec licet. Sat sit quod ad Picturam attinet, paucula subnotare. Pingitur non infrequenter navigans, non rate ulla vectus, sed extenso super undas pallio; quòd scilicet *ex insula Baleari majori* (ut habetur in ejus officio Ecclesiastico) *Barcinonem reversurus, strato super aquas pallio, centum sexaginta millia-ria sex horis confecerit.* Causa, aut potius occasio miraculosi hujus eventus non latet historicarum rerum peritos: sed ea est quam hìc exponere nihil attinet. Sæpius etiam pingitur manibus claves gerens: quod non eò refertur, ut nonnulli autumant, quòd Cœnobium suum aliquando januis omnino clausis fuerit ingressus; sed quod Ecclesiæ claves sibi traditas, insigni prorsus doctrinæ & probitatis laude adeo bene gesserit, ut propterea meritò audiat *Pœnitentiæ Sacramenti insignis minister.* Quocirca & primus omnium extitit, qui Casuum conscientiæ summam scripserit: heu quam dissimilem, quamque meliorem aliis hujus generis scriptis, quibus hodie non tam implemur, quàm obruimur!

6 An autem depingi debeat D. Raymundus de Peñafort postquam jam Dominicano Ordini nomen dederat, Parentem Nolascum Habitu Virginis Mariæ de Mercede suis ipsius manibus induens, jam olim agitatum est magnis contentionibus, inconditisque propemodum clamoribus, jocosisque interdum, quæ nihil ædificationis continent, dicteriis.

Nos hac ab scabie tenemus ungues.

Illud interim constat, in icone quæ prælo est edita, aliquos errores irrepsisse, crassos & planè contra historiæ fidem. Hujusmodi est (ne per plura divagemur) quod inter eos, qui adstantes in actu illo solemni depinguntur, equites etiam descripti sunt Ordinis Militiæ Montesiæ: qui tamen Ordo nonnisi post nonum supra nonagesimum annum (aut saltem post sat plures, ne videamur velle hic trahere contentionis funem) conditus est atque editus in lucem, agente Aragonum Rege Jacobo Secundo, ann. M.CCCXVII. Itaque si fidedignis credimus Historicis, contra res accidit. Namque in actu illo, quo editus est Militaris Ordo de Mercede, Militię Montesianæ equites nulli fuerunt, quippe qui nulli erant. Cùm verò instituta est Militia Beatæ Mariæ de Montesa, interfuere aliquot qui adhuc supererant equites Ordinis de Mercede, ut alio in loco atque scripto ex bonis Auctoribus ostendimus. Sed de his hactenus.

CAPUT V.

PICTURA QUA DESCRIBITUR CONVERSIO Magni Apostoli, Doctorisque Gentium D. Pauli, proponitur, & accurato examine discutitur. Ubi etiam nonnihil de Pictura Div. Joannis Chrysostomi.



EN iterum lites, & amicæ discordiæ, etiam cum magni, imò & maximi nominis Pictoribus & artificibus. Depingunt enim, depinxeruntque jam olim Conversionem ad Christum Magni illius, & mihi summis semper honoribus colendi Apostoli Doctorisque Gentium Pauli. Sed historiam in sacris literis traditam; ant nimium ego fallor, aut miris ipsi modis deformant & dilacerant. Quod nisi evicero, audire non recuso ingentis piaculi reus. Principiò: quod ad ipsum Christum attinet, jam supra nonnihil attigimus: quòd nempe non sat decorum videatur ut repræsentetur Christi majestas eo quo depicta est mo-

modo ab artifice summi etiam nominis. Propositus enim est, non sedens, non adstans, sed è sublimi cœlorum advolans; ad eum ferè modum quo ludio aliquis ex alto præceps se demittit per tensum adstrictumque funem petauri: quod jam viderunt, atque improbaverunt viri docti. (a) Illud hic est certum, Christum Dominum reali sua, &, ut Schola loqui amat, circumscriptiva præsentia apparuisse Paulo Damasco appropinquanti: id quod non solùm tenent viri doctissimi, sed, quę mea est opinio, accedit proximè ad certitudinem ipsam Fidei. Cum enim Apostolus commemoret Christum Dominum post suam gloriosam Resurrectionem visum esse plurimis, quod non nisi de reali omnino phisicaque præsentia dici atque intelligi potest, statim subjungit: (b) *Novissime autem omnium, tamquam abortivo, visus est & mihi.* Quo posito, non sat decens decorumvè videtur, ut Christus alio situ, aliove modo proponatur, quam eo qui tantæ majestati congruat: hoc est, aut sedens, aut quod magis puto, severè & minaciter adstans. Congruentius igitur, mea quidem sententia, erit ut Christus Dominus pingatur circumfusus ingenti lumine & luce majorem in modum coruscante; sed stans, & ab ejus ore procedentia describantur, illa verba, *Saule, Saule, quid me persequeris?*

(a) Andr. Gill. Dialog. Ital. della Pittur. f. 89. p. 1. Vid. Lozin.

(b) Cor. 15. 8.

2 Jam verò quod ad ipsum Paulum aut Saulum attinet (hoc enim modo tum temporis appellabatur) tria sunt, quatuorvè, majoris claritatis gratiâ, quæ hìc debent opportunius discuti. I. Qua ætate in hoc Christi triumpho, & de Paulo, ut eum sibi amicum redderet, omniumque servorum fidelissimum relata victoria depingendus veniat ipse Paulus. II. Quo vestitu, quovè ornatu sit depingendus. III. An pedes iter faciens, an vectus equo. IV. Denique an saltem mulo insidens, asinove. Ex his enim omnibus maturius perpensis lux affulgebit, qua pictura hęc, quæ certè frequens est, collustretur.

3 Et quidem quod ad ætatem spectat, depinxit illum non aliquis de trivio, aut de pictorum vulgo proletario, (c) sed qui primus omnium ferè audit, omnino senem. Nempe aliud agebat pictor, quantumlibet insignis, cùm hæc illi incidit cogitatio. Meminisse enim debuit, quôd cum casus hìc contigerit, aut secundo, aut certe primo vix expleto Christi Domini in Cœlum Ascensionis anno, de quo nonnihil variant eruditi, Paulus, sive Saulus idem in lapidatione Stephani, quę certe paulo ante contigerat, vocatur in Scripturis *adolescens*, illis verbis: *Et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus.* Cujus & ipse sui ipsius maximus insectator atque accusator, magno humilitatis exemplo meminit. Alii contra relatis verbis commoniti, eum omnino juvenem depingi curaverunt, qualis esset qui vix duodevigesimum, aut ut summum secundum supra vigesimū excederet. In his est laudatus sæpè Andręas Gillius Pictorū insignis commonitor: qui tamen fallitur, ut mox videbimus. Sed ea est humani captus imbecillitas, quæ sæpè labitur etiam in eo ipso de quo vult alios esse commonitos. Qui verò seriò volet scopum attingere; neque senem, neque omnino juvenem depinget, sed ea ætate, quę quartum sive quintum supra trigesimum attingit: per id enim Magni Apostoli ætatis tempus conversionem ejus contigisse autumant, & quantum fieri potest, solide probant Auctores doctissimi, quos hìc recensere & morosè nimis allegare nihil attinet. Neque moveat quemquam, ut secus opinetur, locus quem indigitavimus, ubi Apostolus Paulus paulò ante, aut certè non multo ante conversionem suam vocatur adolescens. Non enim insuetum est apud antiquos, eos qui nondum annum quadragesimum attingunt, vocare adolescentes; de quo locus non est multis disserendi. Legantur interim gravissimi Ecclesię Patres Irenæus & Augustinus. (d)

(c) Mich. Ang. test. Gilio sup. allegat. f. 92. pag. 1.

4 Sed major est quàm ut quis verbo complecti possit, pictorum oscitantia rerumque ignoratio (& hoc est quod secundo loco quærebamus) cùm Paulum depingunt eo prorsùs modo quo depingerent Syllam aut Marium, nempe ornatum more Romano militari, paludatum, loricatumque, insuper & caligatum, obtectumque galea: ut error planior appareat à capite, quod ajunt, ad calcem. Imò vidi egomet & spectavi sæpius utrumque: hoc est Paulum armatum Romanum in modum, eumdem-

(d) Iren. lib. 2. cap. 39. prope fin. Aug. lib. 6. Cōfess.

demque senem, canum omnino, & quod mireris, prolixâ nonnihil barbâ: quod etiam error est. Quem vidit & vitavit, teste Gillio, (e) magnus ille pictor Michael Angelus; qui tametsi Paulum depinxerit senem, non tamen indutum ornatu illo Romano militari; idque meritò: quid enim, rogo, commune est fuitve unquam Judæo, qualis Paulus erat, cum Romani ducis habitu atque ornamento? Vestibus igitur Judæis aliis communibus, maximè iis qui religiosiores videri optabant, de quibus supra nonnulla diximus, depingendus est D. Paulus: nisi fortè in eo discrepent vestes altius succintæ: demissæ enim penè usque ad talos, impedimento esse possent iteragenti, sive equitem intelligamus, sive peditem ambulavisse, de quo statim.

(e) Andr. Gill. f. 92. p. 1.

5 Plures, iique insignis notæ interpretes sunt qui putaverint Paulum cum Christianos persequeretur, secum deferens epistolas in Damascum, ivisse peditem, quos hìc referre prolixius non est cordi. Videat, qui volet, illos apud Cornelium, (f) imò poëta anonymus apud Lorinum, quem propterea mihi adhuc videre non contigit, pictores irridet, quod Paulum in hoc actu non depinxerint peditem. Hi autem versus sunt:

(f) Corn. Alap. in Acta c. 9. v. 4. Lorin. ad eumd. locum.

Mentitur Pictor Paulum qui pinxit equestrem,
Cùm clarè constet quod fuit ille pedes.

Hoc tamen cum per se videantur difficile, neque sat creditu dignum appareat, ut Apostolus ejusque comites (namque comites secum detulisse, & veluti stipatores, de Fide constat) iter quinque aut sex dierum aggressi fuerint omnino pedites, communiter à plerisque rejicitur, & quidem non immerito. Ergo relinquitur (dicet aliquis) quod eo prorsus iverit modo quo communiter & recepto more depingitur. Hoc opus hic labor est.

6 Fatemur ultro Div. Paulum in suę ad Christum Dominum Conversionis actu ab equo delapsum, non tantum à Pictorum vulgo, sed etiam à peritissimis quibusque pictoribus consuevisse depingi. Ex quo facile colligas invectum equo iter illud egisse, quod est inter Jerosolymas & Damascum. Sed quali equo? Superi, vestram fidem! nempe eo quem accuratiori verborum ambitu vix poeta describeret: eo denique qui non Saulo Christianorum hosti, Judæo tamen, & ex religiosiore Pharisæorum secta; sed Paulo illi Æmilio deservire posset, si foret equo, & non curru vehendus Romæ de Perseo Macedonum Rege triumphante. In quo plerumque magis quàm in ipsa imagine Pauli, collocata est sæpius artificis industria. Vidit hoc & reprehendit magni judicii & dignitatis Scriptor Cardinalis Gabriel Paleotus. Ego verò non in hoc sisto, sed ajo constenter, Apostolum non invectum equo iteregisse; ut planè depingi eumdem generoso equo delapsum aut dejectum, error sit: quanvis ita depingi, inter imaginationes populares locum obtineat. Moveor ad hoc, non vanis conjecturis, sed ut putari fas est, solidis & magni ponderis fundamentis, quæ jamjam in tantę, quod ad institutum nostrum attinet, rei causam lubet expendere.

7 Putarunt aliqui equorum usum interdictum fuisse Judæis, omnibusque Israëlitis: eo quòd legissent eosdem non solitos vehi equis, sed asinis. Notissima sunt illa quæ scripta sunt de Hebræorum, adhuc florente Repub. ubi honestiores etiam, & magis conspicuæ cōditionis homines usos esse constat, non equis, sed omnino asinis. Sic de Jairo Israelitarum Judice dicitur: (g) *Jair, qui judicavit Israel ::: habens triginta filios sedentes super triginta pullos asinarum.* Sic rursus de Abdone, de quo hęc: (h) *Post hæc judicavit Israel Abdon ::: qui habuit quadraginta filios, & triginta ex eis nepotes, ascendentes super septuaginta pullos asinarum.* Ex quibus, aliisque permultis asserunt, ob negatum Israelitis equorum usum etiam dignitate & nobilitate conspicuos, non super equos sed super asinos vehi solitos. Ego verò qui nusquam me legisse memini expressam legem latam Israelitis, qua illis denegaretur equorum usus, non tantumdem affirmare ausim. Illud interim constat prohibitum illis fuisse, etiam regibus, alere ingentem aliquem equorum numerum: ita enim habent verba Deuteronomii: (i) *Cumque fuerit constitutus* (Rex) *non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero sublevatus.*

(g) Iudic. 10. 4.

(h) Ibid. 12. 13.

(i) Deut. 17. 16.

tus. Ex quo rursus fit, quod neque tempore, ut constat, Saülis, aut Davidis usus fuerit apud illum Populum equorum, etiam in ipsis prœliis: usque adeo ut in bello civili Absalonis adversus patrem, & in ipso prælii conflictu, legatur idem, quod mirum videatur, insidens, non equo, sed mulo: qui tamen, sicut & postmodum Adonias: (K) *Fecerat sibi currus & equites, & quinquaginta viros, qui currerent ante eum.* Sed quid opus multis? Ipse David jam senex, valido confirmatus imperio, & multorum regum, finitimarumque nationum spoliis opulentus, atque divitiis, cùm filium Regem Salomonem constituit, se vivente, jussit suæ primoribus aulæ: Sed legantur ipsa verba textus; (l) *Tollite,* inquit regius senex, *vobiscum servos Domini vestri, & imponite Salomonem filium meum super mulam meam.* En, lector, mulæ usus, non equi, etiam cum res & apparatus vergebat in triumphum.

(K) 3. Reg 1. 5.

(l) 3. Reg. 1. 33.

8 Dubium non est, Salomonis filii tempore introductos equos, usumque eorum immenso propemodum numero: adeo ut habuerit ille in præsepibus (quod nisi Divina Fides esset, vix crederet quisque (m) *quadraginta millia equorum currilium, & duodecim millia equestrium.* Fatemur hoc: sed in hoc ipso peccasse Salomonem, utpote devians ab illa lege lata futuris regibus, docent nobiles interpretes. (n) Fatemur etiam, quod subsequentibus solius etiam Judæ regibus, erant apud gentem illam ingentes equorum atque equitum copiæ, quod multis ostendi posset, si id res exigeret. Sed hoc etiam illis ipsis vitio datum est à Prophetis loquentibus Spiritu Divino; sic enim habet Isaias: (o) *Repleta est terra ejus equis, & innumerabiles quadrigæ ejus.* Quibus statim subjungit: *Et repleta est terra ejus idolis; opus manuum suarum adoraverunt.* Ubi tam grande malum, quale est idololatria, cum multiplici atque ingenti equorum numero Propheta conjungit ac comprehendit. Ob hæc aliaque crimina, sed præcipue ob teterrimum illud idololatriæ, visum Deo est, ut punirentur transmigratione & captivitate Babylonica: à qua tandem jubente Dario Persarum Rege, post annum fere septuagesimum sunt reversi. Post regressum tamen tam longe abfuit ut in idololatriam prolaberentur, exceptis illis, qui, suadentibus, vel cogentibus Syriæ Regibus, deviarunt à patriis institutis; ut nusquam legatur gentem illam illud admisisse piaculum. Neque hoc tantùm, sed ejusdem idololatriæ flagitii tam osores fuerunt, etiam imperantibus postmodum Romanis, ut id vitare, non religiosè solùm, sed etiam, si dici licet, penè superstitiose curaverint. Nemo enim est qui nesciat quæ de his commemoret eorum nobilis Historicus, quod idem semper observavisse etiam post excidium Jerosolymitanum, luce clarius constat: ut propterea vel ex hoc uno evidens fiat argumentum, non jam ob idololatriam, quantumlibet Deo abominabilem, sed ob aliud crimen tetrius, & flagitiosius habere miseros atque experiri sibi Deum tam implacatum, tamque implacabilem. Quod crimen tum demum agnoscent, cum Deus auferat velamen ab eorum cordibus. Sed nos ad rem, à quà fueramus nonnihil divagati.

(m) Ibid. 4. 28.

(n) Corn. ad c. 17. Deut. v. 16.

(o) Isai. 2. 8.

9 Igitur Judæi sicut post Babylonicam captivitatem Religionis rituumque suorum fuerunt tenacissimi: ita etiam ab equorum usu abhorruerunt. Quod adeò certum est, ut in bellis illis, quæ magna animi contentione ac virtute gesserunt contra Syriæ Reges, duce Inclyto Machabæo, aliisque ejusdem fratribus, qui illi successores fuerunt in imperio: aut numquam (nisi ego nimium allucinor) aut certè perrarò legatur colligaturve eosdem usos equis fuisse; sed semper, aut ferè semper pedites dimicasse. Quod si ita se gesserunt, etiam in præliis, ubi pro aris avitaque Religione decernebatur, quid putas fecerint in pace degentes iidem, non milites, sed populares? Quid Religionis observantiores, & qui eam zelo ardentiore curabant? Quid denique Pharisæi, qui omnium videri religiosiores affectabant? Sed bene est quod ad interrogationem hanc, ne videamur quidquam ex cerebro nostro comminisci, respondit jam pridem opportunè clarus ac doctissimus Interpres: (p) *Tum,* inquiens, *quia Judæi religiosiores, uti Pharisæi, qualis erat Paulus, vix equis utebantur, ut diximus.* * Ego verò libenter addiderim, quod ex dictis sat constat, *ac ne vix quidem.* Ubi sunt ergo qui Pau-

(p) Corn. in Acta c. 9. ad v. 4. *Ad cap. 17. Deut. v. 16.

Paulum, aut certe Saulum, Judæum, & ex Pharisæorum secta, depingunt armatum, loricatum, paludatum etiam, &, quod ad rem attinet, invectum equo, qualem inter optimos alerent ripæ Bætis, aut ora Thessalica. Credat ita se rem habuisse, qui volet: *credat*, ut Horatius inquit, *Iudæus Apella, non ego*, qui id nec credere volo nec debeo.

10. Ergo pedes (dicet aliquis) confecit Apostolus iter illud, quod est inter Jerosolymam & Damascum: quod tamen supra non admisimus, imò adjecimus, hoc à plerisque rejici non immeritò. Nego Scholæ more consequentiam. Neque enim id sequitur, ex iis quæ validè statuimus. Quid igitur? An ire non potuit, &, (quod mihi fit longè verosimilius) re ipsa non ivit, aut mulæ insidens, aut (quod adhuc magis probo) insidens asino? Potuit profectò, & ita factum esse nullus ambigo, certe in regionibus illis Syriæ, aliisque finitimis, asini sunt grandiores, valentioresque, quàm plerumque sint nostrates Europæi: quod ex illis qui regiones easdem perlustrarunt sæpius apparet. Imò in Ægypto ipsa, quæ à Palæstina non admodum dissita est, apud Scriptores ejusmodi me sat observavisse, memini esse asinorum usum frequentissimum: qui non quomodocumque, sed fermè currentes ab Alexandria ad Memphim usque (si tamen Memphis cum illa coïncidit, quæ hodie Cairus est) continuato impetu feruntur: adeo ut adjumento sint non exiguo variarum nationum hominibus in illas partes adventantibus. Et hęc ferè sunt quæ dicenda habuimus, quod attinet ad Picturam Conversionis Sancti Pauli Apostoli. Nam quòd jam erectus (quod ego aliquando inspexi) depingatur cæcus, rectissimè fit, & juxta divinæ fidem Historiæ: & quòd ejus comites, quos aliquos habuisse certissimum est, pingantur etiam more Romano loricati, non secus ac milites Imperatorem stipantes; ad eumdem errorem, ineptiamvè attinet, quam supra, ut existimo, satis superque refutavimus.

11. Opportunum mihi visum est de Pictura Magni illius Pręsulis Joannis Chrysostomi hoc loci nonnihil adjicere. Tum quia Pauli Apostoli insignis fuit admirator & cultor: tum quia ejus festivitas tertio à Conversione Pauli die agitur. Neque quidquam hic attingerem, nisi memor essem spectavisse me aliquando, non sine ingenti animi voluptate, hujus Divi picturam hujusmodi, quæ exstat, aut certè exstabat, in Conventu Patrum Discalceatorum Carmelitarum in urbe Segovia. Depictus erat Divus aperto capite, comaque nonnihil largius profluente, barbaque spissa, & aliquantisper oblonga. Neque id immeritò: non enim moris fuit apud Præsules prætertim Græcos, ut comam barbamque omnino tonderent, & abraderent. Vestitus autem proponitur talari tunica, colore vergente in violaceum, & super eam sat longa endromide cum manicis ad solum usque pertingente, acuminata facie, oculisque admodum vivacibus: sedens autem, scribensque depingitur admirandas illas Homilias, quarum vel unam tantum Angelicus Aquinas urbem Lugdunensem adspectans majori pretio quàm tota illa splendida atque opulenta urbs, esse longè dignissimam censuit. Ad latus tabulę, mēsęve, in qua scribit Doctor egregius, adstans conspicitur Apostolus Paulus: idque profectò cum judicio, pręsertim cum ex ejus vitæ desumptum scriptoribus hoc in laudem scriptorum ejus elogium attexat Officium ejus Ecclesiasticum: *Multitudinem, pietatem, ac splendorem, concionum, cæterorumque ejus scriptorum, interpretandi etiam rationem, & inhęrentem sententiæ sacrorum librorum explanationem, omnes admirantur, dignumque existimant, cui Paulus Apostolus, quem ille mirificè coluit, scribenti, & pręndicanti multa dictasse videatur*. Aula denique, in qua describitur, Bibliotheca est non admodum exiguâ librorum supellectile instructa; in qua etiam appinguntur insignia Episcopalia: & (ne hoc minutius prætermittam) ad pedes Divi felis scitissime delineata depingitur. Congruè id etiam: valde enim apparat verisimile, laboriosos doctosque viros, quanvis alioqui sanctos, honestioris oblectamenti causâ, nutrivisse, & propè se habuisse hujusmodi, aut alius generis mansuetiora animalia: quandoquidem etiam de ipso S. Evangelista Joanne memorię proditur columbam aliquando tenuisse manibus, quam remissa nonnihil severitate demulcere erat solitus. Hęc aliaque similia, si pari examine judicioque perpenderent Pictores aliqui, non in plusculas, quæ eisdem objiciuntur, ineptias inciderent.

CA-

CAPUT VI.

DE IMAGINIBUS SANCTI JULIANI EPISCOPI Conchensis, Petrique Nolasci Parentis praeclari.

1 Laudat hoc primum agmen, Mensemque Anni primum Divorum par multis modis conspicuum, & quibus author hujus (qualecumque est) operis, non uno titulo se fatetur obnoxium, ut ex hic dicendis patefiet. Primus itaque illorum est mirandus ille, & jure merito censendus Apostolici spiritus Episcopus S. Julianus, non quidem primus, quod ad temporis rationem spectat, sed secundus Ecclesię Diœcesisque Conchensis Antistes, quanvis meritis ac sanctitate inter omnes quotquot fuerunt (& fuerunt aliqui probitate & Christiani Praesulis moribus insignes) longè praestantissimus. Et quidem quod ad nostrum hoc institutum spectat, ansam mihi jam diu dederunt dubitandi verba quę in ejus Ecclesiastico Officio referuntur, quae ita habent: *Ejus ortum praeclara illius Sanctitatis & Episcopalis dignitatis signa divinitus data nobilitarunt. Nam adeo formosus & pulcher in lucem editus est, ut omnes intuentes os ejus, cælesti quodam fulgore perfusum admirarentur. Multo magis vero cùm puer grandior palam super fontem baptismalem tandiu visus est mitra & baculo Episcopalibus insignibus ornatus, dum adstantes admonuit, ut infanti Juliani nomen imponerent.* Quę sanè verba, prima saltem fronte, prę se ferunt S. Julianum illustratum fuisse Sacris Baptismi undis, cùm jam puer esset nonnihil grandior: quod quidem nec illa per quae natus est tempora pręsul ille Sanctissimus, ferebant: quippe ortus est anno à Virgineo partu M. CXXVIII. quando mos ille, qui tamen aliquando viguerat in Ecclesia, ut scilicet pueri facti grandiusculi baptizarentur, jam diu exoleverat, aberatque planè à fidelium usu ac consuetudine: neque etiam admittat Scriptorum fides, quandoquidem ejusdem sancti rerum gestarum enarratores consentire videntur in eo quod sacris undis fuerit aspersus, & quidem solemniter, eodem prorsus (quod etiam nonnihil admirationis ingerit) quo natus editusque in lucem est die.

2 Sed nodum, quicumque ille est, facile dissolvit ejus vitae Scriptor accuratissimus, amicusque dum in vivis ageret, noster, P. Bartholomæus Alcazar S. I. Presbyter, (a) qui verba illa *puer grandior*, non ad ipsum Julianum recens omnino natum, ut plures accipere consueverunt, & aliqui de verborum ambiguitate soliciti quaesierunt dubitantes: sed ad Angelum quemdam, qui super fontem baptismalem sublimis apparuit, mitra & baculo insignibus Episcopalibus perornatus. In qua quidem re oculis exhibenda in icone, quam amicus etiam meus, semperque mihi cum honoris praefatione nominandus D. Antonius Palomino & Velasco depinxit, Angelus ille per aëra volans, vesteque fluente describitur: cùm potius (quod pace dictum sit amicissimi capitis) videatur verosimilius Angelum illum stantem super globum lucis, aut nubem aliquam, aliisque ornamentis sacerdotalibus indutum debere depingi. Quod verò de Praesule Apostolis ipsis simillimo canitur in ejus Officio Ecclesiastico per illa verba: *Redditus Ecclesiæ suæ tum sublevandis miseris, tum instaurandis ornandisque templis insumpsit, ipse tenui victu contentus, quem labore manuum suarum comparabat*: dignum planè est quod vehementer mirentur quicumque zelum Apostolicum, virtutem, & pietatem amant. Mirentur, inquam, dicturus fortassis, *imitentur*, nisi viderem tantum tamque sublimem perfectionis apicem illum esse, quem omnes debeant suspicere, mirarique, sed quem imitari vix aut ne vix quidem possint, humana praesertim spectata pru-

(a) P. Barth. Alcaz. Vida de S. Julian, l. 1. c. 5.

prudentiâ, ii qui majoribus pro Dei gloria operibus insistunt: in quibus tamen Julianus ipse pluribus, ne dicam omnibus, ejusdem Apostolici ministerii sectatoribus longè fuit vigilantior atque excellentior. Quis tamen ille labor fuerit, quo Episcopus, & unicus ejus minister S. Lesmius vitam admodum tenuem tolerabant, Hispani, ut suspicor, sat sciunt, sed exteri fortasse non item; in quorum commodum (si fortè opella hæc aliquando penetrabit ad exteros) illum hic memorare placuit. Sanctus igitur atque omni encomio major Episcopus, fiscellas ex juncis viminibusve, aut ex utrisque etiam puris illis manibus reficiebat: ex quarum pretiolo sibi, sanctoque domus administro, quæ ad tenuissimum victum vestitumque omnino necessaria erat, comparabat: ut veluti Paulus alter dicere jure merito posset: *Argentum, aut aurum, aut vestem nullius concupivi: ipsi scitis, quoniam ad ea quæ mihi opus erant*, & huic qui mecum erat, *ministraverunt manus istæ.* Testantur hoc, præter communem & receptam jam à multis seculis in toto illo tractu Conchensi traditionem, icones antiquæ, ex quibus Optæ in mei Ordinis Cænobio una spectatur non despiciendi operis & artificii, quæ S. Præsulem repræsentat manibus ante pectus junctis, cœlumque suspectans, & propè illum cistellæ vimineæ, aliæ quidem perfectæ, aliæ dumtaxat inchoatæ. Sed de his qui plura scire aveat, consulat laudatum jam ejusdem Vitæ scriptorem, aut potiùs factorum, quæ memoriæ relicta sunt, descriptorem elegantissimum atque encomiasten: quod tamen nemo cordatus vitio vertet, cùm admodum sit difficile de paucis, quamquam alioqui magnis factis, integrum & justæ magnitudinis volumen edere. (b)

(b) P. Alc. lib. 2. cap. 5. à p. 169

3 Denique cùm non semel laudatus S. Juliani Vitæ Scriptor ex probatis Authoribus asserat Nolascum nostrum Parentem Sanctissimum, qui plurimas Hispaniæ urbes, stipis colligendæ gratia, quam in liberationem Captivorum fidelium expenderet, satis constat, peragrasse, Concham usque penetravisse, invisisseque sedulò neque perfunctorie S. Julianum per ea tempora Conchensem Episcopum, à quo benignè admodum exceptus, roboratus, & confirmatus est in jam cæpto Captivorum Redemptionis Sacro Instituto: Cùm id, inquam, & satis per se sit certum, & disserte narret præclarus Scriptor, offerri se occasio poterit pingendi & describendi hanc Sanctorum virorum collocutionem: in cujus rei pictura, ne imperitioribus falsò judicandi ansa ministretur, duo, triave erunt apprimè observanda. Primum illud: quod Sanctus Præsul Conchensis depingendus erit senio jam gravis, Nolascus autem ætate vegeta, imò & juvenili, quamquam corpore multis frequentibusque laboribus attrito. Secundum: quod non depingatur Nolascus habitu Religionis indutus, quem certè non suscepit ante annum Christi M. CC. XVIII. cùm tamen decennio ante obierit Sanctus Julianus. Tertium denique: quod quanvis commodè depingi possit uterque sanctus: Julianus scilicet in sella paulò elevatiori, & Nolascus in alia nonnihil magis depressa, aut certe uterque in scamno, prout ferebat, non solum illorum temporum ratio, sed etiam sanctorum modestia atque humilitas: congruentius tamen erit pingere Julianum sedentem atque ad ejus pedes minorem genibus Nolascum sacra semet expians exomologesi. Hoc enim postremum disserte asserit laudatus Scriptor, cujus sententiam libenter amplectimur, & eidem gratissimè subscribimus.

4 Ingrati verò animi notam incurrerem, nisi hic Parentem sanctissimum memorarem, cujus dies festus postremus est Januarii. Hoc autem si pro rei dignitate persequi vellem, fusius mihi præter morem esset agendum. Quare qui res præclarè gestas tanti Patriarchæ ejus Vitæ Scriptoribus concedo, illius etiam imagines, sive cum in seculo, quamquam ipsum culmen perfectionis attingens, innocentissimè vixit: sive cum Ordinis fundator tam sublimia tamque excelsa Charitatis aliarumque virtutum dedit exempla: pictoribus, qui jam fuere plurimi, delineanda exhibendaque oculis relinquo, hæc paucula, quæ instituto nostro deserviunt, monere contentus. I. Quod cù S. Parens habitu Ordinis, quem hodie gerimus ejus Filii, ut par est, ornatus depingitur, stemma Regium appingitur eidem, eo prorsus modo

quo hodie etiam num ipsum gestamus. Tolerabile certè hoc : addo, & laudabile; ne quid oculi inveniant in quod fastidiosius impingant. Sed tamen si res pensetur severiori examine, non ita fortassis fieri deberet. Notum est enim, etiam ab iconibus antiquis, primos Ordinis viros Scutum hoc & in pectore & in cappa ipsa, aut in pallio grandiori forma, acu & subtiliori operę depictum gestare esse solitos. Quod per plurimos etiam annos perduravisse, probare esset promptum. 2 Quòd, cùm aliqui olivæ tantum ramum manui Sancti Fundatoris appingant, alii non eam, sed Patriarchalem Crucem adscribunt; sed melius, quantum ego iudico, foret utrumque: Crucem quidem illi asignare ut Fundatori Ordinis ac Patriarchæ; olivæ autem ramum, utpote evidens symbolum misericordiæ, proindeque mercedis: hoc enim nomine appellabatur apud nostrates misericordia & regalis clementia, ut multis hîc, quod tamen non vacat neque libet, probare atque ostendere esset facile. 3 denique: Quod aliqui depinxerunt Sanctum Fundatorem non nimium senem; aliqui vero contra, senem nimium, & planè (si dici liceat) capularem. Utrumque tamen modum excedit. Putamus enim Patriarcham amantissimum confectum quidem senio diem clausisse postremum, sed absuisse longè ut ad octogenariam, quâ eum fermè describunt, ætatem pertingeret; natus enim (quod probabilius existimamus) anno Eræ vulgaris Christi M. C.LXXXII. denatus est media nocte Vigiliæ Nativitatis Domini anni M. CC.LVI. ut habet ejus Officium Ecclesiasticum.

CAPUT VII.

DE PICTURIS SANCTORUM IGNATII, BLAsii, & Agathæ Martyrum.

1 Emo est qui nesciat glorias invicti prorsus Christi athletæ Martyrisque supramodum inclyti Episcopi Antiochenæ Sedis Ignatij. Omnes enim quicumque Historias Ecclesiasticas primis labris degustaverint, sat sciunt ipsum passum esse Romæ in Amphitheatro damnatum ad bestias, laniatum, discerptumque a leonibus. Hoc enim supplicii genus, quamquam omnium abjectissimum, & quod de solis vilissimis hominibus sumeretur, ut satis indicant ipsa Romana jura; (a) non solum irrogatum est sæpè Christianis, sed sæpius ut illud inferretur iisdem, conclamatum est à furente populo; quod dissertè docuerunt veteres Tertullianus Cyprianusque: quorum posterior de se ipso sermonem habens, *Toties,* inquit, *ad leonem petitus in Circo.* Et post nonnulla: *Clamore popularium ad leonem denuò postulatus in Circo.* Popularis vox ea fermè fuit: *Christianus ad leonem; Christiani ad bestias.* Quæ tamen insitæ, Deo sic jubente feritatis oblitę, sæpius se ad pedes Martyrum projecerunt; eosdem etiam lambere visæ. Quod nihilominus ne secum contingeret, insuperabili animo exoptabat ferventissimus Martyr: illius enim ea verba sunt, in Epistola ad Romanos, relata ab Scriptore luculentissimo. (b) *Utinam fruar bestiis, quę mihi sunt præparatę: quas & oro mihi veloces esse ad interitum, & ad supplicia, & allici ad comedendum me: ne, sicut & aliorum martyrum, non audeant corpus attingere. Quod si venire noluerint, ego vim faciam, ego me urgebo, ut devorer.* Quod quidem ita re ipsa contigisse, cùm totus propemodum devoraretur à leonibus; sive ipso viro sanctissimo provocante atque irritante feras; sive (quod credere promptius est) Deo, qui talem tantamque eximio martyri coronam adornabat, jubente ac permittente; luce meridiana clarius testantur ejus Acta, quæ singulari prorsus Dei munere ac beneficio, adhuc supersunt integra, & quę exhibet diligens harum rerum Scriptor Theodoricus Ruinart Congregat. S. Mauri Monachus Benedictinus, in libro cui tit. *Acta*

(a) L. 3. ff. ad l. Cor. de Sicar. Tert. in Apologet. & in exortat. ad Castitat. Cyprian. ep. 55. ad Corn. Papam.

(b) D. Hi[eron.] de Scriptor. Ecclesi[ast.]

Acta selecta Martyrum. Ea enim sic ad verbum habent : *Sic bestiis crudelibus ab impiis apponebatur, ut confestim S. Martyris Ignatii compleretur desiderium, secundum quod scriptum est,* Desiderium justi acceptabile, *ut sit nulli fratrum gravis per collectionem reliquiarum; secundum quod praeoccupans in Epistola, propriam concupiscit fieri fruitionem. Sola enim asperiora sanctorum ossium derelicta sunt, quae in Antiochiam reportata sunt, & in capsa reposita, sicut thesaurus inappretiabilis ab ea quę in Martyris gratia sanctæ Ecclesię relicta.* Notat autem ipse Ruinart in notis ad hæc eadem Acta *lit. C. Sic omnes ferè Scriptores; Latini verò, præsertim recentiores, paullo aliter rem narrarunt, ex veteris interpretis errore, qui asseruit Ignatium à leonibus duobus præfocatum fuisse, à quibus tamen carnes ejus intactæ remanserint.* Locus autem Epistolæ ad Romanos, ad quem alludunt Acta, cujus exemplar post eadem Acta subjicitur à laudato Scriptore, talis est: *Magis blandite bestiis, ut mihi sepulcrum fiant, & nihil derelinquant eorum quę corporis mei; ut non dormiens gravis alicui inveniar. Tunc ero discipulus verus Iesu Christi, quando neque corpus meum mundus videbit. Orate Christum pro me, ut per organa ista Dei sacrificium inveniar. Non ut Petrus aut Paulus præcipio vobis. Illi Apostoli, ego condemnatus; illi liberi, ego usque nunc servus. Sed si patiar, manumissus fiam Iesu Christi, ut resurgam liber. (Et) nunc disco vinctus, nihil concupiscere.* Quæ omnia (ut vel hinc appareat quàm sint ad rerum gestarum veritatem exacta) Antiocheno populo eloquentia sibi solita prædicavit Concionator omnium disertissimus D. Ioannes Chrisostomus illis aureis planè verbis : (c) *Roma stillantem ipsius sanguinem eius excepit; vos autem reliquias ejus suscepistis. Vos illius Episcopatu gavisi estis: illi martyrio sunt lætati. Certantem illi, ac vincentem, ac coronatum conspexerunt; vos perpetuò illum possidetis. Exiguum ad tempus eum vobis ademit Deus, sed majore cum gloria restituit.* Ergo de primo, quod ajunt, ad ultimum, sanctissimum Martyris corpus totum ferè devoratum est à bestiis, inspectante populo. Quod quidem ad rem, de qua agimus, probandum nobis erat, quò magis rerum veritas pateficret.

(c) Div. Chrys. t. 6. hom. 43. ad fin.

2 Hæc tamen omnia cùm ita sint, & juxta Historiæ fidem (ne quid urgentius dicam) probabiliora, non defuere qui pleraque adjicerent, quæ vel falsa vel omnino incerta convincuntur, & quorum aliqua ad Picturæ institutum spectant. Taceo enim quòd in nonnullis beatissimi Martyris Actis dicitur, eumdem jampridem à Trajano interrogatum Antiochiæ, rursus interrogatum, atque examini subjectum fuisse ab eodem Trajano: Cum tamen certissimum sit Trajanum, cùm post expeditionem illam Orientis rediit Romam, non fuisse, neque esse potuisse, nisi post Ignatii gloriosam mortem atque martyrium: hoc enim contigit Imperii ejusdem Principis anno nono, Christi vero CVII. quando Trajanus adhuc degebat in Oriente. Taceo, inquam, hoc, ad aliaque transeo. (d) Certe author libri, quem *Legendam auream* nuncupavit, quamquam homo fuerit ferrei oris, & plumbei cordis (quibus nominibus illum appellat vir supra modum eruditus & Theologus primi planè subsellii) hęc habet (e) *Legitur quod beatus Ignatius inter tot tormentorum genera numquam ab invocatione nominis Iesu Christi cessabat. Quem cùm tortores inquirerent, cur hoc nomen toties replicaret? ait: Hoc nomen cordi meo inscriptum habeo; & ideo ab ejus invocatione cessare non valeo.* Quibus similia habent Authores alii, sed parum solidioris fidei. Ex quibus videntur desumpsisse alii, quos hic nominare non debeo. Vides hic beatissimum Martyrem Ignatium tortum atque exagitatum exquisitis & diversis suppliciis, quod neque in ipso Chrysostomo, neque in alio ex antiquioribus legitur. Et quidem hoc Antiochiæ non contigisse, ubi comprehensus à Trajano est & interrogatus, vel ipsi etiam Scriptores magni alioqui nominis fatentur. Sed neque accidisse Romæ, quò ab Antiochia, missus est à Trajano, damnatus ad bestias, ut spectaculo esset populo in ludis illis, quos Gentiles *Sigillaria* vocabant, duo potissimè convincunt. Primum quidem, quòd, ut innuimus, hujusce rei nemo prorsus meminerit, ex vetustioribus, qui preclarissimi Martyris res gestas posteris tradiderunt. Secundum: quòd Martyris Acta, quę aliis omnibus eruditis videntur longè sinceriora

(d) Iacob de Vorag. legenda 36.

(e) Melch Can. de loc. Theolog. lib. 11.

probatioraque, disserte asserant adventasse Ignatium Romanum portum post medium & amplius mensem Decembrem, quando jam urgebat tempus, ut ludi illi memorati finirentur. Qua de causa monitus est ab his qui se custodiebant festinatione & acceleratione opus esse, ut Romam perveniret, antequam ludi illi atque spectacula finirentur. En eorumdem Actorum verba: (f) *Urgebatur enim à militibus Christophorus* (hoc enim nomine, sicut & Theophori, hoc est Christiferi, aut Deiferi, passim appellabatur Ignatius: & ipse se ipsum appellavit coram Trajano Christum confitens) *ut ad publica spectacula magnæ Romę properaret: nempe ut in conspectu populi Romani belluis ferocibus traditus, coronam certaminis consequeretur.* Non igitur Romæ ea tormentorum genera est expertus, sed integer omnino, statim atque Romam advenit, servatus & datus est Sanctissimus senex leonibus: à quibus (quod ipse concupiverat) ita discerptus est, & voratus; ut tantùm solidiora ossa, qualia sunt cranii, femorum, ac tibiarum, superfuerint Christiano triumpho, quæ postea condita sunt, ut Eusebius & Hieronymus habent, Antiochiæ, extra portam Daphniticam. Quare pictura exhibens beatum Ignatium, alia quàm leonum dentium tormenta perferentem, incerta prorsus est, neque admodum juxta rerum gestarum fidem. Vidit hoc vir etiam dignitate & eruditione præstans, quamquam perstrictim, & per transennam tangat, aut delibet.

(f) Acta select. Martyrum pag. 705. n. 4.

3 Sed non hic finem dicendi fecit relatus supra Legendę Aureæ author: *Post mortem igitur ejus* (subjicit) *illi qui aderant, volentes curiosius experiri, cor ejus ab ejus corpore avellunt, & illud scindentes per medium, totum cor ejus inscriptum hoc nomine Iesus Christus literis aureis inveniunt. Unde ex hoc plurimi crediderunt.* Hucusque dictus Author: quæ certe neque in ullo antiquorum inveniuntur, sed neque in iis etiam reperire eadem aliquis potest ex iis recentioribus scriptoribus, quos suppresso quidem nomine, magna tamen cum nominis reverentia atque observantia supra allegavimus. Qua de causa plurimi sunt ex Ecclesiasticis Scriptoribus, qui illa ut notha & supposititia, intrusaque ab aliquibus obscuris Scriptoribus suspicentur. Illud saltem constat, ex authoritate Chrysostomi, (g) leones ita discerpsisse, laniasse, imo absumpsisse, vorasseque (quod ipse concupiverat) corpus Ignatii, ut nullo pacto remanserit locus ad extrahendum cor gloriosissimi Martyris à pectore laniati atque occisi. Audiamus autem, non aliquem ex illis, quos formidare solent, quamquam immeritò, ii qui ejusmodi narrationibus sunt innutriti; sed pium, gravem, seriumque Theologum in hoc ipso instituto nostro sat bene exercitum, cujus hęc sunt verba: (h) *Ego tamen putarim hanc sententiam non esse solidam: quod sic colligo. Veteres qui diligentissimè citarunt Ignatii verbum*, Frumentum Christi sum, bestiarum dentibus molar, *non reticuissent ad unum omnes tam memorabile factum, quod prædicti de nomine ejus tradunt, si id eis cognitum fuisset. Cum verò eis incognitum fuerit, verisimilius est, quod per obscurum aliquem sit suppositum. Videtur autem mihi erroris causam prębuisse cognomen ejus. Nam tituli epistolarum ejus habent*, Ignatius, qui & Theophorus: *& Simeon Metaphrastes dicit Trajanum dixisse, & tunè es qui diceris Deifer? Et quid sibi vult illud Deifer? Cui Martyr: Qui Christum, inquit, cirumfert in anima. Imperator autem, Tu ergo, inquit, Christum in te ipso circunfers? Certè, inquit; Scriptum est enim*, Habitabo in eis, & in ambulabo. *Intelligo autem eum Theophorum dici, non proprio vocabulo; sed appellativo. Unde idem Sanctum Timotheum vocat Christophorum, sive Christiferum Timotheum. Similiter Cyrillus Hierosolymitanus catechesi penultima: Sic Christofori erimus, hoc est Christum ferentes, cùm ejus corpus & sanguinem in membra nostra acceperimus, atque ita, ut beatus Petrus dicit, divinæ naturæ consortes efficimur.* Hucusque laudatus Author, quę ideo operosius transcripsimus, ut vel ex hoc loco nonnulli discant, quàm non sit novum in Divorum historiis tentare scriptores ineptos paradoxa quædam, & nova procudere.

(g) Divi Chrysost.

(h) Molan. de Hist. Sac. Imag. l. 3. c. 1.

4 Ex quibus constat, Picturas & Imagines Divi hujus si quæ inveniantur, ut certè non paucæ inveniuntur, in quibus hujusmodi facta ob-

jiciuntur oculis, esse falsas confictasque, si exigantur, ut convenit, ad fidem historiæ: ferendę tamen sunt aliquæ, quæ numerari potius debent inter mysticas, figurativas, atque symbolicas. Talis est quam nuper allegatus Author se vidisse testatur Mechliniæ, in qua in manu Divi cor apparet, cui literis aureis inscriptum est Jesus. Et ego aliam inspexisse memini Toleti in templo Sanctimonialium Carmelitarum: in qua dum eumdem leones dilacerant, in patenti per vulnus corde inscriptum est nomen illud sanctissimum, literis similiter aureis. Per has enim neque absurde neque inepte intelligere quisque cordatus potest, quàm alte luculenterque in Ignatii corde Christi Jesu amor insederit; quod vel ex ejus verbis abunde constat, quibus inquit: *Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant; tantum ut Christo fruar.* Quo prorsus cogitatu depingi solet Augustinus Parens, cor manu gerens, sagittis hinc inde transfixum, eo quod ipse alicubi Christum alloquens dixerit, (i) *Sagittaveras tu cor nostrum charitate tua: & gestabamus verba tua transfixa visceribus.* Atque hactenus de Picturis Ignatii.

(i) Conf. l.9.c.2.

5 Quod ad picturam alius Sancti Episcopi Martyrisque Blasii, qui III. Nonas Martii celebratur & colitur non sine magna populi frequentia ad templa illius dicata nomine, quæ sunt in Hispania non pauca, pluscula annotanda fortasse essent, sed de omnibus scrupulosius dicere non est cordi. (j) Taceo enim, quod, ut notavit scriptor hic sæpè allegatus, pingitur sępè nullo cruentatus vulnere: quod ex eo fit, quòd tormenta perpetiens, quæ certè multa tulit, numquam, aut omnino raro describitur. Taceo etiam, quod cùm depingitur (quod fit omnino frequentius) miraculum illud patrans, quod in illius Officio Ecclesiastico refertur, quod sic habet; *Multos ægrotos sanavit, qui ad Blasium ejus fama sanctitatis adducti, deferebantur. In illis puer fuit qui desperata a Medicis salute, transversa spina frucibus inhærente, animam agebat:* Cum hic, inquam, casus depingitur, describitur Sanctus Martyr atque Episcopus omnibus pontificalibus ornatus indumentis: quodque magis est, non aliis quàm his quibus hodie in nostris etiam partibus utuntur communiter Episcopi, mitra scilicet, & baculo, chirotecis, aliisque omnino hujusmodi. Taceo, inquam, hoc, de quo supra nonnihil me dixisse memini * Ferendum enim est, quantumlibet eruditiores emunctiorisque naris viros nonnihil offendat. Sed quod taceri omnino fortasse non debet, illud est, quod ut ego aliquando spectavi, depingitur in aula columnis fulta, variaque supullectili per ornata: cùm certum sit hujusmodi miraculum à Divo hoc, aut potius à Deo meritis ejusdem, patratum sit cum Sanctus Martyr atque Episcopus detentus jam esset in carcere, qui certè sceleratis & malefactoribus destinatus, vacuus omnino putandus est hujusmodi ornamentis: sin minus, legatur attentius expensum jam nonnihil Officium ejus Ecclesiasticum, in quo illa habentur: *Ab Agricolai præsidis militibus venantibus deprehensus, & ad præsidem ductus, ejus jussu conjectus est in vincula: quo in loco multos ægrotos sanavit*, Et cætera, quæ supra transcripsimus. egregius verò locus carcer est, ut in eo Sanctus Præsul & Christi Martyr in vincula conjectus, aut pontificali ornaretur amictu, aut ut in eodem ornatus cultusque aulæ spectaretur! Pictores verò his aliisque rebus etiam gravioribus minus intenti, data sibi potestate quidlibet audendi utuntur sæpius, aut abutuntur.

(j) Andr. Gillius in Dialogo Italic. della Pittura.

* Sup. c. 1.n.6.

6 Tale enim etiam est quod in Pictura Sanctæ Virginis Agathæ egomet alicubi, nec sine aliqua animi commotione inspexi. Cùm enim in ejus legatur Actis, quòd Quinctiani jussu Siciliæ præsidis amputata fuerit eidem altera ex mammillis, quòd illi *ipsa tam bona* (hoc enim sonat nomen *Agatha*, non illud quod ineptissimè aliqui nugantur, nempe *deam sine terra*) *quàm constans, atque fortis*, probo meritissimè vertit, illis usa verbis ad illum: *Impie, crudelis, & dire tyranne, non es confusus amputare in femina quod ipse in matri suxisti?* Cùm enim, inquam, in ejus Actis legatur memoratum facinus, Pictores non contenti illud simplicius describere ut sonat, exagge-

gerare quodammodo conati sunt. Vidi enim ipsemet Agathæ martyris imaginem alligatæ ferali illi machinæ, quam Equuleum (K) veteres dixerunt (de qua multa Scriptor non ignobilis) cuius mammillam carnifex, non simpliciter scindit ferro aut gladio, quod alioqui verosimilius videtur; sed forcipibus ingentibus premit atque evellit, nō secus atque avellendus esset clavus trabalis. Hęc tamen leviora videbuntur, quamquam digna sint ut hic saltem leviter annotentur.

(K) Hier. Mag. de Equuleo.

CAPUT VIII.

DE IMAGINIBUS SS. ROMUALDI, APOLLONIÆ Eulaliæ, Simeonisque Episcopi & Martyris: ac denique de Pictura S. Mathię Apostoli.

1 
On omnino frustra diximus superius, attentum esse oportere Pictorem eruditum ad ętatem Divorum, cùm ii depinguntur: quod fieri debet plerumque in ea ætate, inqua ipsi mortalem vitam cum immortalitate commutarunt: Qua de re multiplex fortaſsis se offeret dicendi locus: quod quidem doctiores advertisse curavisseque, nullus dubito; quanquam ineruditi atque vulgares secus fecerint. Verum in Pictura Sancti Romualdi, Patris insignium Anachoretarum Cænobitarumque Camaldulensium (utrumqne enim præclare conjungunt) ansam aberrandi nonnihil à vero habuerunt, etiam vel maximè eruditi. Vulgò enim creditum est, quod in ejus officio ecclesiastico refertur; eum nempe vixisse totos annos viginti supra centum: quo fit ut depingatur omnino capularis senex atque decrepitus. Sed cum hoc non aliunde habitum sit atque receptum, quam ex testimonio Sancti Petri Damiani Cardinalis, qui certe in hoc deludi potuit à minus exacta chronologia & ratione, ut revera contigisse affirmant viri hujus ętatis eruditiſsimi: (a) non videtur adeo conveniens, ut vir Sanctiſsimus, quanquam revera grandævus senex, depingatur ea ætate quæ viginti supra centum annos repræsentet.

2 Contrà omnino accidit in Picturis Sanctæ Apolloniæ Virginis & Martyris, quas multas ipse inspexi. In his enim Diva hæc sexdecim, aut parùm suprà annorum virgo describitur: cùm sat aliunde constet, eo tempore quo passa est martyrium, testimoniumque pręclariſsimum Christo dedit, provectioris ingravescentisque jam fuisse ætatis. Quod non solum ex verbis Ecclesiastici ejus Officii constat, sed & idem vetustiores referunt Dionysius Alexandrinus, Eusebius, Nicephorus, (b) & alii: quamquam hoc tolerabile, atque omnino excusabile poterit fortasse videri: quod in virginibus non adeò deteratur ætate forma atque venustas, ut ipsis constat experimentis. Illud verò quemquam movere potest, quod eidem virgini à persecutoribus excusſi sint omnes ad unum dentes, qui excuti non possent, nisi superessent: quod tamen congruere non satis videtur cum ætate omnino provectiore senilique. Verum hoc etiam facile retunditur. Etenim, præterquam constat ex sacra Pagina, Moysen, qui viginti supra centum explevit annos, adeò vegeto, integroque corpore diem obiisse, quasi paulo plus foret triginta: Sic enim habet: (c) *Moyses centum & viginti annorum erat, quando mortuus est: non caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti sunt.* Præter hoc, inquam, haud rarâ experientiâ constat, plurimos esse, ac plurimas, qui eadem ferè dentium firmitate valuerunt valentque: harum verò rerum exempla hiç curiosius pervestigare, majoris otii est, aut ingenii abutentis aliorum otio.

(a) Vide P. Ioan. Mabillon in Act. Benedictinis t. 1. ab A. Chr. M. ad MC. pag. 279. n. 5.

(b) Dion. in Ep. ad Fabium. Ep. Antiochen. Euseb. l. 6. c. 34. Niceph. l. 5. c. 50.

(c) Deut. 34. 7.

otio. Quemadmodum ex occasione verborum, quæ nuperrimè allegavimus, disquirere, quisnam ea scripserit? cum in illis ipsius Moysis obitus referatur: & an (ut falsò putaverunt aliqui) non fuerit Moyses scriptor totius Pentateuchi; illorum est, qui his divagationibus, aut verò aberrationibus delectantur: & hac ratione, de re etiam non admodum grandi turgentes, & magnæ molis libros confarcinant. Videat, saltem in editione Latina, qui volet de re hac optime disserentem virum profecto eruditissimum. (d)

(d) El. Du Pin. t. 1.

3. Non adeo fortasse videbitur temeraria suspicio ea, qua quis autumet, Eulalias duas, Hispanas ambas, virgines ambas, ambasque Martyres, Emeritensem unam, quæ colitur 10. Decembris, Barchinonensem alteram, de qua agitur Februarii 12. non duas quidem sed unam fuisse atque eamdem. Adeo utriusque Acta inter se conveniunt, sunt adeoque similia, ut patebit utràque conferenti. Quin sine admodum diligenti utrorumque collatione constat, utramque Virginem fuisse tenerrimæ prorsus ætatis: Utramque habitasse in prædio paterno, non multis ab urbe miliaribus; sub eodem Daciano Præside passam: Utramque simillimis, nisi dicamus iisdem prorsus, tormentorum generibus vexatam: Utramque purissimam animam sub columbæ specie cunctis spectantibus efflavisse: aliaque id genus, quæ minutius persequi non est cordi. Quamquam ex illis moveri quisquam fortasse posset, ut existimaret, unam atque eamdem, sive Emeritæ, sive Barchinone, insigne martyrii sustinuisse certamen: duas tamen prorsus extitisse consultius affirmo: Tum quod ea mens sit Ecclesiarum Hispaniæ; quod magni ponderis argumentum est: Tum etiam, quòd majus addit pondus, quia ita Romana Ecclesia censere videatur, eas accuratè distinguens. Tum denique (& id litem, si qua est, decidere videtur) quod illarum altera, nempe Emeritensis (cujus res præclare gestas toto Hymno elegantissimo descripsit Prudentius) in equuleo agonem suum consummasse; altera verò cruci affixa. Quod genus martyrii si depingi contingat, præsertim in femina & Virgine, cautela & judicio, immò pudore atque honestate, erit opus; ne eveniat illud, quod de re eadem per transennam disserentes supra notavimus, * quodque hic repetere animus exhorret: ne id quod velo contegi meretur, infirmitati debilium iterum atque iterum objiciamus.

* Sup. l. c.

4. Non admodum pauca dicenda se offerebant scribenti de Sanctis, qui toto Mense Februario ab Ecclesiâ coluntur, si ostentandæ alicujus eruditiunculæ gratiâ moveremur etiam describere Divorum vitas, quod alii jam cumulate fecerunt, faciuntque amplius indesinenter: sed annotare tantum quæ magis dicenda videbuntur circa pingendas eorumdem Divorum Imagines: Sed neque horum omnium, nisi eorum, qui celebrantur in Officiis Ecclesiasticis, & (ut vulgo loquimus) in Breviario, eorum res gestę continentur. Egredi verò scriptionis metas & septa, quamquam sint qui sui muneris parum memores facilè id committant, ut ab ipsis prodeant, grandiores quidem, sed non meliores & selectiores libri; ineptia est (ne quid dicam gravius) quâ nulla fortasse major admitti consuevit ab hominibus studio literarum addictis.

5. Igitur duodecimo Kalendas Martii, sive decima octava Februarii, colitur memoria præclarissimi senis, eiusdemque inclyti Episcopi & Martyris Simeonis, ipsius Christi Domini, ut perhibent authores quique sapientissimi, consanguinei. Hic enim post Beatum Jacobum primùm Jerosolymorum Antistitem Pręsul ejusdem Ecclesię constitutus, in persecutione Trajani multis variisque suppliciis affectus, ipsum tandem Dominum imitatus, Crucisufixus est; in qua diu agonizans, martyr occubuit anno Imperii Trajani decimo. Hujus res gestas, passionesque illustres à variis prius observatas retulit Historiæ Ecclesiasticæ antesignanus Eusebius, (e) quem alii postmodum unanimi consensu, ut par est, sunt sequuti. Hujus quidem sacram Imaginem infrequens erit videre depictam. Sed quia aliquando videri posse nullus dubito, pręsertim cùm eam ipsemet viderim in Iconum libro Martyrum crucifixorum, operę pretium est hic notare, errorem in historia esse, illum virili ætate, aut se-

(e) Euf. l. 3. Hist. c. 26.

ſenili etiam utcumque oſtendere ac depingere : cùm certo certius ſit, beatiſsimum ſenem poſt multos alios multos cruciatus atque plagas , in cruce fuiſſe actum , cum ſenex eſſet fermè capularis atque decrepitus:quod ipſe judex Atticus,vir nempeConſularis vehementer eſt miratus præter omnes, quibus idem ſpectaculum propriis videre oculis contigit. *Martyrio igitur* (verba ſunt Romani Martyrologii) (f)*conſummatus eſt, omnibus qui aderant , & judice ipſo mirantibus , ut centum viginti annorum ſenex crucis ſupplicium fortiter conſtanterque pertuliſſet.* Cumque hoc ipſum cedat in egregiam commendationem Martyris , immò in gloriam Dei , ejuſque gratiæ, qui tale tantumque robur dare poteſt & ſolet feſsis atque effœtis ſenum viribus ; committi non debet, ut in hac deſcriptione prætereantur ſigna tam venerandæ ſenectutis.

(f) Ad 18 Febr.

6 Claudant hoc agmen Imagines (quæ multæ circumferuntur) præclari Apoſtoli Matthiæ : qui inter alios Apoſtolos depingitur bipenni armatus : ut innuatur , conſumatum eſſe bipennis ictu. Sanè hæc omnia aliaque ſimilia , pia ſunt ; ſed quæ diligentiori examine eſſent perpendenda, ut tutò affirmari poſſent. Illud certum eſt , Acta quædam Vitæ & Martyrii Sancti Matthiæ extare apud ſcriptorem haud vulgaris nominis Ioannem Bollandum, (g) ex libro , ut fertur , translato ex Hebręo in LatinumSeculo XII.opera cujuſdam Monachi AbbatiæS.Matthiæ apudTreviros. Sed liber, ipſo erudito Authore probante , aut ſuſpectam , aut omnino falſam Hiſtoriam , imo etiam doctrinam , continet. Quare non is eſt, cui doctus & eruditus lector fidem poſsit aut debeat adjungere. Quo fit, ut narratio de lapidatione Matthiæ Apoſtoli , ac de ipſius decollatione more Romano , ſicut alia plura , aut ſanè omnia , quę in prædicto ſcripto continentur , non majorem meretur fidem , quàm ea quæ ſcripſit Abdias Babylonicus ; cujus tamen Hiſtoriam rejicit , & meritò, Gelaſius Pontifex in Romano Concilio. (h) Atque hujus quidem ſententiæ eſt Scriptor non ignobilis, * præter alios qui eandem ſuſtinent. Sed tamen quòd Apoſtolo Matthię appingatur inſtrumentum aliquod paſſionis ejuſdem , ſive hoc , ſive illud ſit , cenſendum eſt ſpectare ad Pictoris arbitrium.

(g) Boll. ad diem 24. febr. p.432. & 442.

(h) Cap. SanctaRomana, diſt. 15. * Florentinius , p. 176. & 177.Com beſſ. in Auctario 3. p. pag. 503.

7 Quod cum libro depingatur ſanctus idem Apoſtolus , commune eſt cum aliis ejuſdem dignitatis & muneris. Sed non eo referendum eſt, ut intelligatur , eumdem ſcripſiſſe aliquid , quod Catholica Eccleſia receperit. Satis enim conſtat Matthiæ nomine olim circumferri ſolitum Evangelium , quod nunquam Eccleſia admiſit , immò diſſertè rejecit. (i) Et , ne pluribus , Innocentius Papa I. univerſaliter damnat quęcumque ſcripta tribuuntur Apoſtolo Matthiæ : ut proinde non ſit cur immoremur in rejiciendis aliis hujuſmodi ſcriptis,quæ Matthiæ Apoſtolo attributa ſunt ab Hæreticis vel impoſtoribus. Cum quo tamen cohęret quòd Divus hic , quemadmodum & alii Apoſtoli , depingantur librum geſtantes , aut evolentes , ob dignitatem Apoſtolatus , & doctrinæ purę atque Catholicæ , quam Eccleſiam ipſam totam unanimi conſenſu docuerunt. Error autem eſſet , quanquam non multum ad Religionem pertinens , depingere eumdem brevioris corpuſculi : eò quòd non defuerint qui putaverint , Matthiam hunc noſtrum non alium fuiſſe quàm Zachęum illum converſum à Chriſto Domino , de quo diſſertè habetur, quod *ſtatura puſillus erat.*(j)Quod quidem tenuiſſe aliquos, docet antiquus & magni nominis Author Clemens Alexandrinus : (k) Sed tamen falſum hoc eſſe , ac proinde errorem , quanvis neque ad mores pertinentem, neque ad Fidem ; facile evinci poteſt. Ex veterum enim conſenſu conſtat, Matthiam (l) fuiſſe unum ex ſeptuaginta duobusChriſtiDiſcipulis,qui ab initio prædicationis eum ſequuti ſunt ; Zachęus verò , qui antea Publicanus erat, imò & princeps publicanorum , ſub ipſum Chriſti Domini Paſsionis tempus, aut tertio prædicationis ejuſdem anno converſum eſſe,ex ipſaEvangelium ſerie fit perſpicuum.

(i) Conc. Pat.Labbe t. 2. p. 1256.

(j) Luc. 19.3.

(K) Clem Alex. l. 4. Stromat.

(l) Euſeb. l. 1. Hiſt. Eccleſ. c. 12.

8 Denique cum electum fuiſſe Matthiam in Apoſtolicum miniſterium ſortis ductu ſit notiſsimum; pingere qualiter factum hoc contigerit , non eſt admodum facile. Vidi-

di egomet depictam historiam: & quidem, ut videbatur, à perito satis artifice, sub hac forma. Depicti aderant cum Apostolis alii; quos fuisse plures, nemo potest esse qui dubitet, sacro textu id notante, qui ait, fuisse turbam hominum (seu potius *nominum*, ut habent Græca exemplaria, * quod obiter hìc animadvertimus) *ferè simul centum viginti*. In medio autem collocata erat mensa, sive tabula, ad quam genuflexa videbatur Sacra Deipara, desuper ingenti splendore coruscante, tenens ac legens in manu schedulam. Verùm hoc voluntarium est atque confictum, nec satis conforme, ut mea fert opinio, ipsi textui, qui asserit datas duobus ex præsignatis in manibus sortes, illis verbis: (m) *Et dederunt sortes eis* (nempe Josepho sive Barsabæ, qui idem erat, & Matthiæ) *& cecidit sors super Matthiam*. Ex quo non nimis obscurè colligitur, alio modo, quàm eo quem pictor excogitavit, fuisse sortes administratas, & cecidisse sortem super Matthiam. Sed de hoc, quandoquidem nimis obscurum est, aliis ferendum judicium relinquimus. Restat tamen occasione hujus pingendæ Imaginis, quod dicamus ad nostrum institutum vel maximè spectans: quandoquidem in ipso opusculi principio notavimus, Sacrarum Imaginum nomine comprehendi, ut à nobis intelligitur, etiam eas quæ sunt improbissimorum hominum, quodque deterrimum est, ipsorum damnatorum ac dæmonum.

* ὀνομάτων

Actor. 1. 15.

(m) Ibid. v. 26.

9 Nemo est qui nesciat Sanctum Apostolum Matthiam subrogatum esse in locum Iudæ proditoris, quod latè refertur in Apostolorum Actis loco supra allegato: ubi Princeps Apostolorum Petrus, jam in hoc Pontificatus supremum munus exercens, proposuisse turbæ Fidelium, (n) ut ex præsentibus eligeretur aliquis, qui in locum pessimi proditoris sufficeretur: quod ibidem statim factum esse, sacra Historia commemorat. Occasione autem verborum quæ Petrus ipse protulit in concione habita ad Discipulos, ansam arripuerunt nonnulli pingendi ac describendi infelicem omnique deplorandum exitum Iudæ, eo modo quem nisi scirem placuisse gravibus Authoribus atque interpretibus, putarem esse purum putumque figmentum atque mendacium, excogitatum ab his qui totos ingenii nervos in id intendunt, ut Vulgatæ Bibliorum Versionis fidem elevent, ipsiusque Catholicæ, Apostolicæ, Romanæque Ecclesiæ authoritatem, quantum in ipsis est, labefactent. Sed quorsum hæc? inquis. Paucis expediam.

(n) Ibid. v. 21.

10 In Sacris Bibliis, Iconibus, atque Imaginibus affabrè cælatis editisque Amstelædami ann. M.DCC. non sine admiratione observavi depictum miserabilem Judæ proditoris casum infaustamque mortem, non eo modo quo assueti sumus cogitare, qui simpliciter, ut par est, fidem habemus Evangeliis. Itaque pingebatur perfidus ille proditor non laqueo strangulatus, nec de resti suspensus; sed de præalta rupe sese dans præcipitem: cùm tamen oppositum nos doceat Matthæi Evangelium, (o) illis verbis: *Et projectis argenteis in templo, recessit, & abiens, laqueo se suspendit*. Cui quidem rei cùm de ea nonnihil diligentius inquirerem occasionem dedere Petri verba in concione habita ad Ecclesiæ Fideles, qui tunc angusto spatio continebantur: sic enim habent. *Et hic quidem* (Judas) *possedit agrum de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus*. In Græcis autem omnibus, quotquot ego sciam, exemplaribus ita hæc ipsa sententia effertur: καὶ πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος, quæ ad literam sonat, *Et praeceps factus, crepuit medius*. Ex quibus permoti sunt belli scilicet & nimium perspicaces homines, ut, Evangelii fide postposita, quod disserte habet ἀπήγξατο, *se strangulavit*, ut vertit non de proletaria plebe, neque linguarum imperitus aliquis, sed planè doctissimus Arias Montanus; alium prorsus non sat auditum hanc historiam pingendi modum ineant.

(o) Matth. 27. 5.

11 Neque id immeritò, dicet aliquis. Plures enim sunt boni gravesque Authores, qui ita factum existiment, & ita locum hunc interpretentur, quorum sententias fusius explicatas videat qui volet apud Joannem Maldonatum, (p) quem semper honoris causa nomino. Ego verò cum eodem, utrumque factum absque ulla rerum implicatione existimo: ut & Judas ab alta arbore se suspenderit, & ab eadem se dederit præcipitem. Sin minus, dicant; quidnam prohibet

(p) Ad c. 27. Matth. v. 5.

hibet quòd homo vel ab arbore, vel ab alta trabe, aptato & inserto gutturi laqueo, semet præcipitet, quò pondere ipso corporis citius strangületur? & quòd rursus intumescente nimium ventre (quod accidere solet non infrequenter in iis qui suspenduntur) medius crepat, in tantum ut interiora pectoris effundantur? Atque ita factum in proditore Juda convincit utriusque loci exacta meditatio: quo libens traho, bono, ut mihi videtur, sensu Latini Poetæ versum, ubi exitum infelicem narrans uxoris Regis Latinorum, se, inquit, seminudam inserto gutturi laqueo ab alta trabe dedisse præcipitem, illis verbis.

Purpureos moritura manu discindit amictus,
Et nodum informis lethi trabe nectit ab alta.

Æneid. 12. 602.

Atque de his quidem nimis multa. Ex quibus tamen constat nihil convincere, ut mors pessima proditoris alio modo quàm tam diu consueto depingatur.

CAPUT IX.

DE PICTURIS ATQUE IMAGINIBUS præclarissimorum Doctorum Ecclesiæ Thomæ Aquinatis, Gregorii, Leandri Hispalensis Archiep. ac S. Patritii: ubi prius de aliis, qui prioribus diebus Martii celebrantur.



1 PLerasque Ecclesias, præsertim Hispaniarum, consuevisse celebrare festum Sancti Angeli Custodis, seu Angelorum omnium Custodum die prima mensis Martii, satis est notum. Sed cùm superius, quæ è re visa sunt, annotaverimus circa Imagines Angeli Custodis, eò loci Lectorem remittimus; * cum eadem repetere, nostri nec moris sit, neque placiti. Illud tantùm hìc obiter monemus, haud absurdè depingi Custodes Angelos sociatos Sanctis illis, qui eorumdem consortio plerumque visibili perfrui meruere, quales sunt Nolascus Parens, Philippus Nerius, aliique non pauci, præsertim vidua illa excellens, & postmodum Sanctimonialis, aut Sanctimonialium potius parens, Sancta Francisca Romana, de qua canitur illud elogium, quod scilicet eamdem Dominus inter cetera gratiæ suæ dona familiari Angeli consuetudine decoraverit. Eâdem autem die prima incidit in Hispania Magni viri atque Abbatis, ejusdemque Episcopi præclari Rudesindi festum. Cujus Sancti effigiem raro, ut putamus, depingi continget. Verùm si id aliquando accidat, non omnino abs re duximus observandum: non recte facturum Pictorem, qui illum procera quadam, imo neque ea quæ plerumque communior est, staturâ depingeret. Satis enim ex rebus ipsis infertur fuisse illum, aut multum mediocri, aut fortè infra mediocritatem posita, statura corporis fuisse: in magno enim Monasterio Benedictini Ordinis, cujus fundator ipse extitit, & cui Celanova nomen est, quodque ipsi non sine voluptate vidimus, ostenditur in horto parvum admodum sacellum, sive Oratorium, ut vulgo loquimur, in quo, ut fama est, divinis ipse rebus operam dabat, & sacra mysteria conficiebat. Illud autem angustum admodum, & (quod ad rem pertinet) tecto adeò humili consurgit, ut vix aut ne vix quidem tali loco uti posset, qui grandior esset corpore, imò & qui communis staturæ esset. Nisi dicamus Sanctos, & vera magnitudine præditos homines, angustis sese arctare locis consuevisse: cùm alios, qui non adeò magni sunt, ne quid dicam gravius, vix amplæ aulæ, atque sublimia & alte consurgentia palatia contineant. Verùm de his hactenus.

*Supr. libr. 2. c. 4.

2 Præclaros Christi Martyres Hemetherium & Celedonium, qui Hispaniæ etiam sunt insigne decus, & quo-

quorum res fortiter & viriliter gestas Prudentius, itidem Hispanus, eleganti Hymno prosequutus est; qui pingeret, aut togatos, aut nimium juvenes, profectò argueretur erroris: cùm constet, eo ipso tempore quo martyrium passi sunt, fuisse milites, jamque diu in Romanis castris stipendia fecisse. Sicut etiam qui beatum Casimirum repræsentaret mediæ provectæ ætatis virum, aberraret, qui certè non ultra vigesimum quintum annum corruptibilem hanc vixisse vitam, ex probatæ fidei authoribus abundè sit notum, ut proinde ipse sit, aut certè unus illorum, de quibus sanctissimè pangitur, quod enutritus in aula & inter regales delicias *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Sed jam ad res veniamus usu magis receptas.

3 Satis frequens est Pictura atque Imago pręclari luminis Ecclesiæ Doctorisque planè Angelici Divi Thomæ Aquinatis, cujus doctrinam, ingenium, mores, virtutes ac merita nulla fortasse laus satis adæquet. In hac autem imagine non illud reprehendimus, quòd à plerisque juvenis depingitur, jamjam ornatus magisterii insignibus; cùm satis constet, quod *viginti annos natus magister sit appellatus, publicèque Philosophos ac Theologos summa cum laude fuerit interpretatus.* Erraret verò qui unquam eum depingeret senem, qui vix quinquagesimum ætatis annum fuerit ingressus. Sicut etiam & qui eum depingeret, pallidum, aut macie confectum: satis enim constat, cùm ex vetustissimis Historię ejusdem monumentis, tùm etiam ex Picturis, prout ea ferebat ætas, sat commodè expressis, fuisse eumdem vultu corpulento & crasso, quamquam alioqui eximiè addictum lectioni, scriptioni, rerum divinarum contemplationi, & (quod caput hîc est) jejunio & ciborum abstinentię prorsus mirabili: immò fertur eumdem interroganti, qui fieri posset, ut cùm tantæ tamque severæ parsimoniæ semper assuesceret; tam esset, ut videbatur, vultu bene refecto? respondisse sapienter, ut decebat, minus edere caulem, quî tamen esset illo longè pinguior ac vegetus. Fuisse etiam illum capillitio flavo, ex iisdem vetustis imaginibus, ut à magnæ eruditionis viro audivisse me recolo, constare notum est.

4 Pennatus atque alatus pingitur etiam Præceptor sanctissimus: non quòd ita reapse fuerit (quis enim hoc monstri prudens crederet?) sed quòd ingenio planè Angelico moribusque purissimis pręditum, adeo ut post certamen illud, quo mulierculam impudicam ad illius labefactandam castitatem intromissam insigni Dei gratia, non solum juvenis devicit, sed etiam ab se profligavit ac repulit; omni postea libidinis caruerit sensu, alæ tamquam Angelum decere videbantur. Imò, ne multis, ob ejusdem ingenii excellentiam, & majorem humana sorte claritatem ac perspicuitatem in rebus sublimioribus explicandis, jure merito adeptus est cognomen Doctoris Angelici. Quo etiam factum est, ut ante illũ dicere ausim, neminem prorsus de cælestibus illis spiritibus, non solùm melius, sed neque ita bene ac luculenter sic commentatus. Verum hęc alii prolixius, imo etiam doctius & operosius exequentur.

5 Appensa est frequenter in Imagine Doctoris catena aurea, ex cujus medio Sol aureus pendet. Quod nihil aliud planè significat, quam opus illud ab eodem Angelico Doctore summo studio atque labore confectum, quod ex diversis & bene cohærentibus veterum Patrum, & sanctorum Doctorum sententiis concinnatum, sua etiam ipsius aliquando modestè nimis interposita, appellare consueverunt Discipuli *Catenam auream.* Immensus porro hìc futurus essem, atque ab instituto proposito nimis aberrarem, si vellem, non dico omnino persequi, sed vel per summa, ut dicunt, capita enumerare concertationes atque turbas, quæ inter viros alioqui doctos atque pios gestæ atque exortæ sunt & agitatæ, non plerumque tam pro veteri amore, quàm pro studio partium, aliis contendentibus, hoc scriptum germanum atque legitimum fœtum esse mentis Angelicæ Divi Thomę; contrà aliis mordicus, acriter, &, si ita dici licet, pervicaciter abnegantibus. Sed de hoc alii etiam per me judicent. Illud interim silentio prætererire non possum, ut tempus, & pervigil cura plura detegunt, non de-

fuisse his postremis temporibus monumenta, ex quibus sincerius judicari potest, & melius contexi sincerior index Operum Doctoris Angelici.

6 Pingitur tandem idem Doctor Angelicus abjecto ad pedes aureo illo diademate, quod Hispanicè loquentes appellamus *Coronel*, & quod insigne est Dynastarum, quos passim nominamus *Duces, Marchiones, atque Comites*: quòd nempe natus sit parentibus longè præclarissimis Landulpho ac Theodora, Comitibus Aquinatibus, ad quem propterea, tametsi primogenitus non esset, multum pertinebat, & in quem haud parum refundebatur splendor ille secularis gloriæ, quem ipse Christi sequelę atque humilitati posthabuit. Posset etiam meritò depingi cum signis recusati honoris etiam Ecclesiastici, & quidem præcipui: cùm non obscurè constet, Doctorem longè pręclarissimum, humillimum etiam, & suâ ipsius, hoc est vera illa sapientiâ contentum, quam ex meditatione divinarum rerum abundè hausit, honoris munera refugisse. Sed audiatur hìc Officium ejus Ecclesiasticum, quod ita habet: *Ab Urbano Quarto Romam vocatus, adduci non potuit ut honores acciperet. Archiepiscopatum Neapolitanum, etiam deferente Clemente Quarto Pontifice, recusavit.* Verùm signa hæc, quæ in pluribus Sancti Thomæ Imaginibus omissa observavimus, qua ratione recte depingi possint, non mihi, ut verum fatear, satis est apertum. Namque depingere, quod plerumque fit, jacentem ad pedes, & quasi projectam Episcopalem mitram, ansam utcumque præbere videtur imbecillioribus cogitandi, dignitatem illam Sancto cuicumque viro, non eo fuisse, quo par erat honore habitam: quod non humilitatis esset, sed potius superbiæ, vel insaniæ. Ceterùm hoc obstante nihil, satis congrue pingi posse videtur solidior illa gloria, qua quis vir Sanctus recusavit honores terrenos, quamquam essent etiam Ecclesiastici, per mitram, baculumvè, aut utrumque ad pedes abjectum, quo (cum alia facilè ratio non occurrat) commodè designetur Sanctum illum, ut fuit Sanctus Bernardus, Sanctus de quo agimus, Doctor Angelicus, Sanctus Bernardinus Senensis, aliique permulti; non quidem dignitatem habuisse despectui, sed terrenam gloriam, quæ nolentes etiam comitatur.

7 Tandem quòd idem Sanctus atque Angelicus Doctor quodammodo depingatur pedibus proterens, non solum veteres Hæresiarchas Arium, Manetem, Pelagium, aliosque passim, sed recentes etiam, quorum plurimi post eumdem Doctorem Angelicum cælo receptum grassati sunt, ut sunt præcipue Zuinglius, Lutherus, Calvinus, aliique ejusdem furfuris, mirum non est. Quod enim ad veteres spectat, quotusquisque est qui non videat Doctoris Angelici doctrinâ ex Scriptura & inconcussa Ecclesiæ traditione accepta protritos passim ac jugulatos? Sed eos etiam qui postremis temporibus sunt exorti, hos etiam erroresque eorumdem unius Angelici Magistri doctrina omnino profligatos atque devictos nemo prudens debet ambigere. Quid enim Sacramentarii, quid Lutherani, quid Liberi hostes arbitrii, & quod horrendum dictu est, Marianæ dignitatis, Sanctitatis, atque Virginitatis inimici pro se, non dicere solùm, sed hiscere quoquo modo possunt, quod non Angelici Magistri doctrina in fumos statim evanescat? ut planè de eodem Doctore Angelico non immerito elogium illud, quo Ecclesia Sanctissimam Dei Parentem exornat dici ac prędicari quodammodo fas sit, hoc est, quod cunctas hęreses interemerit in universo mundo.

8 Non possum non meminisse, quamquam obiter, Viduæ perquam Sanctæ, quæ conjugatis æquè atque Viduis exemplo luculento esse potest, imo & ipsis Sanctimonialibus, utpote quæ orba conjuge, domum Oblatarum (sic enim nuncupant) quam ipsa adhuc viro conjuncta fundaverat, magno animi fervore ingressa, aliis ibidem Sororibus virtutibus, vitæque sanctioris exemplis clarissimè præluxit. Hujus autem Imagines ranæ, quod ego sciam, apud nos inveniuntur: cùm tamen sint Romæ, alibique fortasse frequentissimę. Verum quia plures sunt qui erga eamdem devotione sunt affecti, habitum saltem quo repræsentari debeat hic memorare placuit, ut circa hoc non nimium Pictor erret, si fortè san-

sanctam feminam depingi contigerit Igitur, ut accepi à viris omnino fide-dignis, prędictæ Sanctimoniales, quas Oblatas vocant, licet clausuram non voveant neque profiteantur, degunt tamen in Monasterio sub Regula Sancti Benedicti. Quocirca illarum habitus est ferè hujusmodi: ex lanea nempe materia, coloris omnino nigri; tunica variis modis plicata, corpus contegit, quam præcingunt corio nigro, caputque velo satis amplo, sed albi tantùm coloris, obtegunt, manicasque gestant protensioris longitudinis. Cùm autem domo exeunt (namque exeunt aliquando, sociatæ semper, servataque omnimodè ratione decoris) pallium ejusdem materię aptant humeris, quod ad talos usque protenditur. Atque hac quidem ratione si depingatur Sancta Francisca, pictura, saltem quod ad hoc attinet, nihil crassioris erroris admittet. Quod verò depingatur adstante sibi Angelo Custode sub elegantis juvenis specie, valde erit conveniens, ut patet ex his quæ notavimus supra.

9 Angelicum Præceptorem in Fastorum Ecclesiasticorum ordine sequitur Gregorius ille Pontifex, qui non solùm à rerum gestarum dignitate, sed etiam à sapientiæ monumentis omni encomio majoribus dictus est Magnus. In cujus quidem Imaginibus non jam illud animadvertimus, quod frequenter depingatur ornatus illis Pontificalibus vestibus, quæ nondum ejus tempore erant Episcopis, aut Romanis etiam Pontificibus in usu: satis enim plura de hoc argumento sparsim in supradictis memoravimus, quamquam in diversis locis alia aliis absurdiora merito videantur. Nec enim idem videtur inconveniens depingere antiquorum seculorum Pontifices cum pręsentis ævi Pontificalibus insignibus, quàm ipsos propemodum Apostolos, qui non his rebus decernendis aut statuendis intenti, consequenter neque eorum usibus aptari potuerunt. Pingitur tamen, & quidem frequentissimè Sanctissimus Pontifex rem Divinam faciens: quod, præter alias causas, quas hic ad longum prosequi non est cordi, eò fit quòd idem precationes, lectiones, orationesque in Sacrosancto Missæ Sacrificio, quæ aliquorum non sat erudita pietate ad nimium excreverant; cum aliæ etiam non importunè desiderarentur; ad concinniorem & meliorem formam sedulus legislator reduxerit. De quo argumento videri potest alius magni nominis Pontifex Innocentius Tertius, (a) & Ioannes Diaconus in ejusdem Vita, quam sedulò testis plerumque oculatus scripsit.

(a) Innocent. III. de S. Gregor.

10 Ex quo etiam accepta est communiter ratio Sanctum Pontificem depingendi, cum scribendis piis atque eruditissimis voluminibus operam daret, Spiritu Sancto sub columbæ candidioris forma ad dexteram ejus aurem veluti inspirante atque dictante, & suggerente verba. Sed res est hęc, quæ ob illius gravitatem ac dignitatem melius ipsius Scriptoris verbis referatur: qui sanè quamquam non se ipsum, sed alium etiam Diaconum, nomine Petrum, producat in tantæ rei confirmationem testem omnino oculatum; narrationem dilucidè exponit, atque confirmat: (b) sermonem enim instituens de quibusdam Gregorii æmulis, qui imprudenti quodam ausu voluerunt tanti Doctoris ac Pontificis volumina ignibus mandare; Ita habent ejus verba: *Quorum dum quosdam* (libros) *jam combusissent, ac reliquos vellent exurere, Petrus Diaconus familiarissimus eius, cum quo quatuor Dialogorum libros disputaverat, creditur vehementius obstitisse, dicens; Ad oblitterandam eius memoriam librorum exustionem nihil proficere: quorum exemplaria diversis petentibus, mundi ambitum penetrassent: subjungens, immane sacrilegium esse tanti Patris tot & tales libros exurere, super cujus caput ipse Spiritum Sanctum in similitudine columbæ tractantis frequentissime perspexisset.* Ex quo idem Ioannes Diaconus opportunè infert, in more esse positam hanc Sancti Gregorii pingendi rationem. Sed en eius verba: *Hinc est quod consuetudinaliter Spiritus Sanctus in specie columbę super scribentis Gregorii caput depingitur.*

(b) Ioan. Diacon. in vita S. Grego. l. 4 cap. 69.

* Idem ibid. c. 70

11 Sed antequam hinc abeamus, illud annotare mihi visum est operæpretium, ne (quod ad nostrum attinet institutum) hæc pia pingendi consuetudo imbecillioribus præbeat ansam quomodolibet errandi: non ideò censeri debere Gregorii scripta us-

usque ad culmen Canonicæ authoritatis pertingere, sicut neque aliorum Doctorum commentaria, eò quòd Spiritu Sancto velut afflante ac suggerente scripta videantur. Neque enim illa Catholica Ecclesia, quæ certè Spiritu Sancto infallibiliter regitur, proponit Fidelibus ut talia, quamquam alioqui magna per se ipsa authoritate polleant, & solum Canonicæ Scripturæ censentur eę, quæ uti ejusmodi infallibilitatis jure à Sancta Romana Ecclesia in Sacris Bibliis legenda proponuntur. Atque in hoc sensu intelligi planè debent Petri Apostoli verba illa, *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed Spiritu Sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines.* Quod igitur venerabilis ille Petrus Diaconus super scribentis caput Gregorii clarè viderit Spiritum Sanctum sub columbę forma, quodque communiter, ut alii etiam Sancti atque Doctores, ita depingatur; id solum denotat esse ea scripta divinis revelationibus, quæ per scriptores canonicos nobis sunt traditæ, quantum fert authoritas humana, valde congruentia atque conformia, quod nemo sanæ mentis inficiabitur.

* 2.Petr. 1.21.

12 Denique quòd à pluribus depingatur præclarissimus Doctor vultu ad eunuchi, sive spadonis formam composito; eoque plures moveantur, ut existiment, eumdem Sanctum Pontificem hoc corporeę integritatis defectu laboravisse, illusorium mihi sępè visum est, ac planè ridiculum. Quamquam enim potuerit ita evenire, quin ex hoc quidquam derogaretur viri præclari sanctitati atque doctrinæ; quemadmodum quod ille clarissimus Antistes Constantinopolitanus Ignatius, quem bipedum nequissimus Photius Patriarchali throno expulit; nullum existimatiotionis & doctrinę dispendium passus est, quòd fuerit Eunuchus: tamen quia de Gregorio nostro Romano nemo (quod ego sciam) Historicorum alicujus nominis id memoret, habendum est ut confictum quiddam & malè sanæ mentis delirium.

13 Gregorium Magnum omnino proximus sequitur amicitia ipsi conjunctissimus Insignis Pontifex Hispalensis Sanctus Leander, nulli non cognitus, qui Hispaniæ ecclesiasticam sive etiam politicam Historiam utcumque cognoverit. Qualis verò quantusque vir fuerit Leander Hispalensis Metropolita atque Archiepiscopus, vel hoc uno tantum quisque nosse poterit, quòd eius potissimum operâ, doctrina, ac solicitudine Ariana labes ab Hispania profligata fuerit: insuper atque illo quòd, ut breviter perstrinximus, Gregorius ille Primus, tam re quàm nomine vere Magnus Romanus Pontifex illi fuerit pręcipua amicitia atque charitate conjunctus, quod non uno loco profitetur idem Gregorius: * quodque ejusdem sanctissimæ amicitiæ pręcipuum signum est, Libros Pastoralis Officii ab eodem Gregorio compositos, necnon & ingens mirandumque opus expositionis in Job, quod *Moralia* appellant, eidem Leandro dicaverit. Neque id mirum: aggressus enim est tam grande Opus hortatu, atque suasu Leandri, quod legere erit operæpretium verbis ipsius Magni Pontificis initio Prętationis Moralium, quam quinque capitibus absolvit, quæ sic habent. *Dudum te frater beatissime in Constantinopolitana urbe cognoscens, cum me illic Sedis Apostolicæ responsa constringerent, & te illuc injuncta pro causis fidei Vuisigothorum legatio perduxisset, omne in tuis auribus quod mihi de me displicebat exposui.* Quibus post alia pluscula hæc sanctus atque intaminatus Præsul adnestit: *Tunc eisdem fratribus, etiam cogente te, placuit, sicut ipse meministi, ut Librum beati Job exponere importuna me petitione compellerent, & prout veritas vires infunderet, eis mysteria tantæ profunditatis aperirem.* Quo tandem factum est cum ingens opus, iam factus Romanus Pontifex absolvisset, eidem Leandro (quem semper Hispaniarum Episcopum appellat) transmittendum curaverit cum literis eximiam charitatem & benevolentiam spirantibus: quæ cùm in ejus Ecclesiastico Officio recitentur, abs re non erit quòd hic etiam legantur: ita enim habent. (c) *Quanto ardore videre te sitiam, quia valde me diligis, in tui tabulis cordis leges. Sed quia longo terrarum spatio disjunctum te videre nequeo, unum quod mihi de te dictavit charitas fuit, ut librum Regulæ Pastoralis, quem in Episcopatus mei exordio scripsi, & libros, quos in Expositionem beati Job jam dudum me fecisse cognovisti*

* Lib. 1. Epist. 41. l. 4. Ep. 6. 90. sive Epist. 46. & l. 7. Ep. 125. & l. 3. Dialogor. c. 31.

(c) Lib. 4. Epist. ex Registro c. 90.

visti, sanctitati vestræ transmittere curavi. Neque verò, ut plerumque fit, hæc amicitia inita est inter utrumque absentem & longo terrarum spatio separatum: foveri enim cæpit existentibus Constantinopoli Gregorio atque Leandro; illo quidem dum Apostolici Apocrisiarii apud Mauritium Imperatorem Pelagii Romani Pontificis tempore fungeretur; hoc verò dum ibidem res Hermenegildi Regis, postea que Martyris, ageret, negotiaque ad fidem potissimum spectantia suæ, nostræque curaret Hispaniæ. Quod summatim notavisse suffecerit in eorum gratiam, si qui erunt qui nostra hæc evolvere non dedignabuntur.

14. Relictis igitur Leandri rebus historicis altioris subsellii, quod ad eius Picturas attinet atque Imagines, duo tantum veniunt hic observanda. Primum quidem: non modo senem, sed valde longævum virum omni encomio majorem debere pingi: excessit enim octogesimum ampliusque ætatis annum, natus, ut putamus, anno Christi DXXII. defunctus verò DCIII. ex quo inferimus, nonnihil natu grandiorem fuisse Magno Gregorio. Alterum: debere describi cum ornamento illo majorum Præsulum, quod *Pallium* vocant: quod constat missum esse à Beato Gregorio Archiepiscopo nostro Leandro, adjunctis literis in quibus mirum est, quantis erga eum charitatis & benevolentiæ signis se se Magnus Pontifex diffuderit.* De hoc ornamento plura suppetebant dicenda, si mens esset ad extranea, & quæ instituti rationem non attingunt, deflectere, quò grandius mole, & non re Opus exsurgeret. Plura congerit eruditus juxta ac pius Cardinalis Joannes de Bona, ex quo (ingenui enim pudoris est fateri per quos profeceris) decerpemus selectiora: integras enim aliorum paginas, ut sæpius monuimus, plena falce demetere, nostri nec ingenii nec moris est. Est igitur in re Ecclesiastica Latinorum Pallium, quod solis Patriarchis & Archiepiscopis competit: verùm ut à descriptione, quæ loco diffinitionis est, ordiamur, Pallium ita describit laudatus Cardinalis: (d) *Fascia linea candida, tribus circiter digitis lata, & in modum circuli contexta, quæ super humeros imponitur: ex quo circulo alia similis fascia ante pectus; alia deorsum ex opposito pendet, duæ super humeros demittuntur: quæ fasciæ purpureis crucibus sunt insignitæ. Ipsum autem Pallium tribus aciculis sive spinulis aureis alligatur. Fit ex lana agnorum candidorum sine macula, qui in die S. Agnetis in ejusdem Ecclesia via Nomentana singulis annis offerri ad Missam solemnem & benedici solent, ac Subdiaconis Apostolicis consignari, & in aliquo Monasterio Sanctimonialium nutriri, donec veniat tempus ipsos tondendi. Ex quorum lana texuntur pallia, quæ in basilicam Vaticanam delata super corpora Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli ponuntur in Vigilia natalis ipsorum, ibique tota nocte dimittuntur, ac die sequenti deputatis custodienda traduntur.* Purpureis crucibus, inquit Author Eminentissimus, cui res non potuit esse obscura, neque parum perspecta. Quò loco mirari subit Pictorum aut inscitiam aut incogitantiam. Quantum enim mihi meminisse licuit, cruces in Pontificali Pallio, ut vulgo depingitur, non purpureas, sed nigras assero memet observâvisse: quæ res diligentius inspici oportebit, ne tam absurde à vero discordet. Mittebatur autem olim à Romano Pontifice Pallium non admodum multis, sed in Hispania soli Hispalensi Archipræsuli, in Dalmatia Salonitano, in Sardinia Calaritano, in Italia Ravennati, in Sicilia Syracusano, ut ex Magni Gregorii Epistolis satis constat: concessus autem postmodum est Pallii usus omnibus universim Archiepiscopis, immo & Episcopis aliquibus, ut ex laudato Cardinali satis liquet. Quod autem diximus *Latinorum*, consultò fecimus. Est enim Græcorum Pallium, quod *Omophorion* & *Epomadion* vocant, à Latinorumque Pallio longe distinctum, *Longa fascia ejusdem cum Latino aut paulo majoris latitudinis, collum primitus involvens, tum à collo per medium pectus infra genua descendens, crucibus itidem intertexta.* De quo qui plura velit, adeat allegatum Cardinalem, ob virtutis & eruditionis nomen non sine honoris præfatione nominandum.

15. Quinque post dies celebratur & colitur memoria viri conspicui, & vitæ laudabilis omnino magis quàm imitabilis. Is nempe est *Sanctus*

* Vide l. 7. Epist. 125.

(d) Rer. Liturgi-car. l. 1. c. 24. n. 16. pag. 357.

ctus Patritius Hibernorum Apostolus & primus Episcopus : de cujus vitæ sanctitate ac penè supra humanas vires austeritate tam multa, tamque miranda prædicantur , ut & si tot tantaque imitari vix aut ne vix quidem detur mortalibus: tamen illa sint per quæ iure merito pudere nos debeat ignaviæ nostræ atque desidiæ. Ac de his quidem , si instituti nostri ratio pateretur , nonnulla referre promptum erat : alia enim quæ longo post tempore adjecta sunt , aut planè conficta, Purgatorium illud dico , specum admirandam , pænalia scelerum exercitamenta , aliaque id genus , quemquam vulgata sint ,aliis semper ego suo aut aliorum otio abutentibus lubens relinquerem.

16 Quoniam verò vir impensè doctus , & hujus tractationis , nempe de Sacris Imaginibus choripheus (e) refert Patritium sępè depingi cum serpentibus ; hujus ratio reddenda , & quidem non alia ; quàm ea quæ traditur à laudato Scriptore. Proindeque commodius fuerit eamdem ipsissimis ejusdem verbis hic enarrare. *Qui* , inquit , *cum serpentibus ad pedes depingitur ; eò quòd primus in Hibernia Christum evangelizaverit , in qua Insula nullum reptile videri solet , nullus serpens vivere solet. Nam sæpè illuc de Britannia allati serpentes , mox ut proximante terris navigio odore aëris illius attacti fuerint , intereunt : quin potius omnia penè quę de eadem insula sunt , contra venenum valent. Hiberni præterea Catholici non nisi meritis Apostoli sui ascribant , quod Dominus Deus multorum venenatis moribus provocatus necdum permittat in eorum insula venenata vivere : quę tamen eò sępè adferuntur ex Anglia ab his , qui heresis veneno lethaliter infecti sunt , & hanc piam opinionem Hibernorum animis libenter eximerent.*

(e) Mol. l.3.c.10.

CAPUT X.

DE IMAGINIBUS ET PICTURIS SANCTISSIMI Patriarchæ Ioseph , Deiparæque Sponsi dignissimi.

1 

Atior quidem sese offerebat notandi ac disserendi campus , si quotquot circa Imagines ac Picturas Sanctissimi Patriarchæ Josephi , quę sanè frequentes sunt & passim obviæ, annotanda videbantur , longius exequerer; præsertim cùm per magis nota & animadversione digna velim excurrere: alia enim consultius omittentur ; vel quòd ad scopum nostrum non attineant , vel quòd alia accedere videantur ad tractationem , ut ita dicamus , hypercriticam.

2 Illud autem in primis , atque tamquam caput omnium eorum quę dicenda videbuntur , præ oculis habendum , quòd cùm Sanctissimus Patriarcha eo sanctitatis & dignitatis apice fulgeat , quem non facile concipere , nedum explicare humana mens queat , & quem , licet emphaticè , valde sublimiter Scriptura descripsit illis duobus verbis : *Cum esset justus* : ineptè & supra quàm dici potest absurdè fecerunt aliqui , qui virum Sanctissimum , & præcellenti adeò conspicuum dignitate depinxerunt veluti homuncionem rudem vix alicujus pretii , & qui (quod proverbio dicitur) quænam esset ejus dextera manus haud satis pernosceret. Fatemur ultro , illum communiori & potius ad vulgi mores , quàm magnatum accedente cultu debere pingi , utpote hominem , qui Deo ita probante ac decernente , non excesserit vulgaris fortunæ sortem : sed tamen deformi prorsus atque illiberali facie , capilloque penè ad sordes usque neglecto , depingi non probamus : eò vel maximè , quòd modestia illa , quæ versatur in curando ac moderando corporis cultu decore atque habitu una sit , neque ea postrema inter virtutes.

Ce-

3 Ceterùm, ut verum est illud quòd nempè, *In vitium ducit culpę fuga, si caret arte*, probare non possumus aliorum ineptiam, quibus opposita ratione Sanctissimum Patriarcham castissimumque Mariæ Sponsum placuit depingere exquisitius quàm par est formosum & excultum; vultu nimirum pręnitente, depexa barba, capillitio per humeros fluitante, ac tantùm non calamistrato; vestibus denique potius ornatum, quàm obtectum. Longè fiant à cordatorum hominum cogitatibus pueriles næniæ; pingaturque purissimus Deiparæ Sponsus, non ut comptus & elegantiarum sectator juvenis, sed potius ut vir, nil fucato decore, sed gravitate, modestiaque plurimum excellens.

4 Vir inquam; quod consulto dixi, non juvenis, neque (quod plerique fecerunt, & de quo nonnihil annotavimus supra agentes de Pictura Nativitatis Christi) effœtus jam ac veluti capularis senex. Certè hic est præcipuus scopulus, in quem impegerunt, non Pictores tantùm, sed viri etiam doctissimi, qui putarunt Josephum quando uxorem Sanctissimam duxit, esse jam non tantum grandiorem natu, sed longævum senem. Sic plures ex veteribus;* imò, quod mirari magis subit, nonnulli è recentioribus,* inter quos, ob carminis & musæ elegantiam, dignus est qui numeretur Jacobus Sannazarus, qui in præclaro Opusculo de Partu Virginis, Josephum semper seniorem nominat: sic enim alicubi canit. (a)

*Niceph. l. 1. Hist. c. 7. &c.
* Julius Scaliger. Novidius & alii.

Pectoris intæsum Virgo mihi casta pudorem
Servat adhuc, nullos non servatura per annos:
(Mirus amor) seniumque sui venerata mariti
Exiguis degit thalamis, & paupere tecto.

(a) Sannazarus de Partu Virgin. l. 1.

Et alibi.

Nec minus & casta senior cum Virgine custos (b)
Ibat, ut in patriam nomen de more, genusque
Ederet, & jussum non segnis penderet aurum.

(b) Idem l. 2.

Certè præluxit omnibus cùm recentioribus, tum etiam veteribus, magni vir nominis Epiphanius (c) qui idem palam asserit, insuper addens causam, ob quam Josephus virginem Deiparam jam omninò senex duxerit: quòd nempè fuerit prius junctus matrimonio, ex quo filios sustulit & filias, inter quas una fuit Maria illa Cleophæ, quę soror Virginis Matris nominatur in Evangelio.

(c) D. Epiphanius. Hæresi 78

5 Verùm hæc opinio, nisi error potius dicendus sit, cui tamen adhæserunt non pauci ex veteribus, iisque primariis Patribus, quos hic allegare supersedeo; communiter rejicitur à doctis. Continet enim in se quid valde absonum divinæ dispensationi servatæ in Incarnationis mysterio. Voluit enim Deus Optimus Maximus, quòd Christus Dominus, non de virgine solùm, sed de Virgine desponsata conciperetur. (d) *Primum* (verba legis, quæ jam sæpè fortasse legisti Maximi Doctoris Hieronymi) *ut per generationem Joseph origo Mariæ monstraretur. Secundò ne lapidaretur à Judæis ut adultera. Tertiò ut in Ægyptum fugiens haberet solatium. Martyr Ignatius etiam quartam addidit causam, cur à desponsata conceptus sit: ut partus, inquiens, ejus celaretur diabolo, dum eum putat non de virgine, sed de uxore generatum.* Hucusque Hieronymus. Atqui (ut Scholæ nonnihil morem geramus) nulla ex his rationibus, primâ demptâ, satis erat congruens cum eo quod Castissimus Sponsus jam senex, multoque minus fermè decrepitus Matrimonio jungeretur cum Virgine Deipara: ut facili negotio apparebit rem maturiori examine perpendenti. Error ergo, atque absurdum est dicere, multoque magis depingere Iosephum castissimæ Virginis Sponsum senio jam gravem, sociatum Sponsæ purissimæ.

(d) Div. Hier. in c. 1. Matth. l. 1.

6 Quod ut altius cordati cujusvis sensibus radicitus infigatur, hæc, oro, mecum ipse perpendat. Quis facile crederet, juvenculam gravidam, imo & jam enixam, junctam matrimonio cum sene decrepito, sine pudoris damno non concepisse? Caruisset igitur utrumque culpâ apud cordatiores & prudentiores viros Virgo immaculata; certe criminatione aliqua aut suspicione criminis non caruisset, quam tamen Deus de-

decreverat longius amoliri. Quale, etiam rogo, teneræ Virgini solatium esset peregrè profecturæ, si seni valde, & penè decrepito fuisset conjuncta; præsertim cùm inde etiam, nempe ex Ægypto ipsi redeundum esset ad propria? Nam quod per tale conjugium Christi ex virgine nativitas non bene nec commodè diabolo celaretur (ut habet quarta ratio allata ex Ignatio a Doctore Maximo) prætereo: Tum, ne causam hanc, cujus firmitate viri alioqui doctissimi subdubitant, subtiliori subjiciam examini: tum etiam, quia idem quod secunda utcumque acciderit, id conuincit.

7 Addo, quod jam viderunt viri docti, Josephum datum Virgini, & Puero Divino atque Sanctissimo, non tantùm ut esset custos utriusque; sed ut eos suis laboribus & operis aleret: ad quod etiam pertinuit, quod ille esset artis Tectonicæ, ut mox videbimus, professor: quod sanè neque sperari posset à sene invalido, & qui non solùm commissam sibi familiam alere quomodocumque etiam vix aut ne vix quidem posset, sed omnino fuisset indigus aliorum auxilio aut eleemosynis. Ob quæ, & alia quæ prudens omitto seriò commonendi sunt Pictores, ne Sanctum Patriarcham Puerum Jesum ulnis suis stringentem, aut manu prehensa comitantem, grandævum senem, ut frequenter faciunt, amplius depingant.

8 Quod si à me aliquis pressius inquirat aut curiosius; quá ętate illū depingi oporteat? Profecto non adeo quid certi, & ex indubitatis testimoniis respondere queam. Tamen quantum probabilibus rationibus aut conjecturis indagari res potest, illud existimo, depingi virum Sanctissimum sat esse conveniens ætate prorsus integra ac virili: hoc est, ut mea fert opinio, viri qui quadragesimum ætatis annum aut attigerit aut expleverit: Ea enim ætas est, in qua & corporis vires, &, quod magis est, virtutes animi ad perfectiorem gradum ut plurimum assurgunt. Quod certè erat omni ex parte conueniens muneri, ad quod virum pręclarum Dei providentia & dispensatio destinabat. Præterquamquod depingi omnino senem & grandævum, errorem esse, jam satis ostendimus; repræsentari autem ac proponi omnino juvenem, nescio quid minus majestatis, gravitatisque præ se fert, cùm denotari intenditur tanti connubii eximia dignitas. Non quòd in hoc favere velimus quomodocumque Pictorum, imò hominum intemperantibus cogitatis, & ut ita dixerim libidini, qui fortè putant, propterea Josephum Sanctissimum juvenem pingi non debere, sed potius grandævum & valde provectum senem: quia aut seriò existimant, aut saltem suspicantur, potuisse fieri haud aliter, ut Joseph Sponsus castissimus potuerit se à Virgine continere, & quidem pulcherrima, & in qua animi eximia modestia ipsam corporis augebat venustatem; nisi senex jam, & provectioris omnino ætatis. Inepta certè & inverecunda cogitatio, & quæ multum derogat non solùm ipsius Josephi Sanctitati, sed & Gratiæ Dei, favori, ac virtuti. Quasi verò non se promptius atque facilius, vel experientiâ ipsâ magistrâ, contineret Deum timens juvenis virgo, quam impotens & libidini assuetus senex.

9 Non igitur hac ducti causâ monemus, castissimum Virginis Sponsum ad virilis atque integræ ætatis formam depingi: sed quod (ut supra prælibavimus) ætas illa perfectior atque integra, aptior tantæ dignitati, quanta est illa, quam hîc repręsentare intendimus, congruentior prorsus videatur: Cùm contrà, in specie juvenili minoris gravitatis quid appareat, in quod imbecillium oculi primis obtutibus impingant. Dixi verò sub istius modi forma ætatis Sanctissimum Patriarcham depingendum videri, aut puerum Iesum ulnis amplectentem, aut eumdem Paterno veluti jure atque amore manu ducentem: aliàs enim tempore longius procedente pingere senem eumdem, non solum non est inconveniens, sed omnino videtur rationi & consequentiæ rerum consentaneum. Hoc autem accuratius observari erit operæpretium, cum idem Sanctus Josephus depingitur moriens adstantibus eidem Christo ipso Jesu, Matreque eius & Josephi Sponsę purissimæ: quod ego ab elegantis artificis manu recte observatum sæpius inspexi. Nam quòd Joseph Mariæ Sponsus diem obierit extremum ante Prædicationem Baptismumque Christi,

sti, sententia est sat probata Patrum atque Interpretum calculo; & quę vel maximè confirmari potest ex eo, quod antequam nuptiæ illæ celebrarentur, quæ factę sunt in Cana Galilææ, & quas contigisse in ipso initio prędicationis, ex Evangelio non obscurè constat; defunctus planè jam videatur: (e) quandoquidem vocata est ad eas Maria Mater Iesu, jam ut apparet, viduata Sponso: alioqui ut idem fuisset etiam vocatus, ratio persuadet & urbanitas. Illud est certum, obiisse jam tempore Passionis Christi: cùm idem Dominus, non Josepho vel marito, sed Joanni Matrem dulcissimam commendaverit.

(e) Ioan. 2.

10 Obiisse autem Virum Sanctissimum (quod certè nulli alii contigit) Jesu & Maria ad caput adstantibus, non solum piorum Catholicorum meditatio & sententia est; sed ea etiam quam Ecclesia ipsa satis differte videtur approbasse, dum de præclaro Patriarcha pie juxta atque eleganter cecinit:

O nimis felix, nimis ò beatus,
Cujus extremam vigiles ad horam
Christus & Virgo simul astiterunt
Ore sereno.

Cùm igitur Sanctus Josephus tunc ætatis annum septuagesimum, juxta id quod probabiliter asseruimus, aut ageret, aut fortasse etiam exegisset: satis congruum & rationi consentaneum est, ut tunc depingatur senex, qui jam præter ætatem esset etiam laboribus fractus. Sed ad anteriora iterum redeamus.

11 Nemo est qui nesciat narrationem illam Evangelicam, qua refertur Angelum Domini apparuisse in somnis Joseph, levasseque solicitudine illa, in quam ex intumescentis uteri Virginei intuitu Patriarcha Sanctissimus incurrit, & quam non levis aliquis Author, & suspectæ fortasse fidei Chrysostomus vocavit perturbationem maximam, inquiens: (f) *Videndo sanctus Joseph gravidam Virginem, in conturbationem incidit maximam.* Ergo levavit Patriarcham sanctissimum nuntius Dei Angelus turbatione illa anxia aut solicitudine, verbis illis: (g) *Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Hoc depingi etiam solet, & sat commode depictum vidimus aliquibus in locis. Sed eamdem rem omnino eleganter, ut ipsemet prædicat, depinxerat Franciscus Paciecus, author non semel in hoc opere laudatus, cujus pictura extat Hispali in Collegio Sancti Hermenegildi, & eius descriptionem ita illemet conclusit: (h) *Quod super est, prospectus terræ, lætumque cœlum occupat:* innuens hujusmodi visionem & revelationem Josepho ipsi factam, non noctu, sed interdiu. Hoc autem veluti non satis narrationi Evangelicę conforme, reprehendit modestia sibi solita amicus noster, Pictorque Regius, non semel etiam laudatus, D. Antonius Palomino & Velasco: (i) Quod hic in Pictoris eruditi gratiam non ab re visum est brevius annotavisse.

(f) S. Ioan Chrys. h. 8. in Mat. ante med.

(g) Mat. 1.

(h) Franc. Pach. Hist de la Pintura pag. 503.

(i) D. Ant Palom. Theorica de la Pintura c. 3. p. 308.

12 Plura alia circa hujus Sancti præclarissimi Imagines erant fortasse prænotanda; sed ea libentius omittimus, utpote quæ jam magna ex parte annotata sunt in supradictis. * Nam quod pingatur cum virga referta floribus, satis commodè & convenienter fieri potest & solet; vel ex eo tantum quòd per eam denotetur non solum sanctissimi viri purissima continentia, sed etiam perpetua virginitas; quam certè in castissimo Mariæ Sponso statuisse placuit insigni virginitatis propugnatori Hieronymo. (j) Quamquam si id ad illud referatur, cujus meminerunt vulgo satis plausibiles Historiæ, de quibus supra nonnihil egimus, * non etiam super hoc certare conabimur, aut trahere, ut dicitur, contentionis funem.

* Vide l. 3. c. 1. n. 11. c. 5. n. 2. 3. c. 6. n 5. c. 7. n. 5. & l. 4. c. 3 n. 6.

(j) Div. Hier. ContraElvid. c. 9.

* Lib. 4. c. 3. n. 6.

13 Quod depingatur in fabrili officina lignaria hanc artem exercens, conforme rationi est, si quid aliud. Tametsi enim non defuerint qui illum ferrarium fabrum fuisse putaverint, hoc tamen minus est probabile, ne dicam apertè falsum, & contradicens ipsi Evangelio, ubi ipso Joseph Græco vocabulo τεκτων appellatur: quod non nisi de fabro lignario, & qui dolandis, poliendis, aptandisque lignis operam impendit, commodè aut proprie dici solet. Illum adjuvans Puer Jesus in iisdem fabri ministeriis frequentissime videre est. Quòd sane etsi non desint quibus id minus arrideat, existimantibus virum Sanctissimum, qui probè

noverat quantæ & quam prorsus divinę dignitatis erat, qui tamen ejusdem filius vulgo reputabatur; vix aut ne vix quidem permissurum Filiū Dei, quanquam factum hominem, tam abjectis mechanicisque ministeriis occupari: Tamen & valde per se ipsum est omnino verosimile, &, ut mea fert opinio, prorsus certum atque indubitatum, quòd non solùm aliquando, sed etiam sæpius, Christus Jesus, non solum puer, sed etiam grandiusculus juvenis, in fabrilibus ipsis ministeriis Parentem putativum & vulgo habitum adjuverit; imò & ei sæpius quodammodo inservierit: ille ipse nempe, qui, tametsi totius sanctitatis fons, peccatique expiator, postmodum non solum tulerit, sed etiam omnino voluerit, atque decreverit ut à consanguineo Joanne baptizaretur, mergereturque in Jordanis aquis. Cum enim tam signanter annotaverit Evangelium, quod postquam idem Christus inventus est à Parentibus in templo, descenderit in urbem Nazaretham, & iisdem se parentibus subdiderit, imò (quod significantius videtur) quod fuerit illis subditus; sic enim habet: (K) *Descendit cum eis, & venit in Nazareth, & erat subditus illis:* nullo modo putandum est hanc Christi Domini demissionem, aut, ut ita loquamur, subditionem parentibus in eo solùm constitisse, ut illis quomodolibet honorem deferret; sed etiam in eo quòd eorumdem jussis ac mandatis, virtutum quanvis Dominus ac magister, obtemperaverit: quamquam etiam, ut de Maria Sanctissima nihil hic dicamus, negari non debeat virum Sanctissimum authoritatem, qua ut polleret, voluerat ipse Deus, patriamque, ut sic dixerimus, potestatem, humili semper moderatione ac cognitione sui temperavisse, exercuisseque semper. Atque hæc quidem dicta suffecerint circa Picturas atque Imagines Sanctissimi Patriarchæ Josephi; imò & circa hoc totum primum Anni trimestre. Nam si quę ulterius dicendæ erant, eadem jam satis annotata in his quæ superius dicta sunt, quivis etiam mediocriter intentus inveniet.

(K) Luc. 2.51.



LIBER

LIBER SEXTUS.

DE PICTURIS ET IMAGINIBUS SANCTORUM, quorum feſtivitates occurrunt intra ſecundum Anni ſpatium trimeſtre.

CAPUT I.

DE IMAGINIBUS S. FRANCISCI DE PAULA, Iſidori Archiepiſcopi Hiſpalenſis, Caſildæ Virginis Hiſpanæ, & Leonis Magni Rom. Pont.

1 

Regius ille atque omni encomio major, novus in orbe Thaumaturgus, & qui, quòd ſe ſuoſque Alumnos Minimos appellari voluerit & juſſerit, unus atque idem jure merito dici poteſt Maximus & Minimus: is eſt qui, rebus ſuis pro dignitate deſcribendis, non colores Pictorum tantùm, ſed Rhetorum etiam majora lumina longe majori & uberiori fulgore devincit ac ſuperat. Verùm quod ad inſtitutum noſtrum dumtaxat attinet, pauca circa ejus Imagines ſe offerunt, quæ brevius atque perſtrictim fuerint annotanda. Primum: quod illius habitus ea propemodum forma, qua eo hodie etiam utuntur illius Alumni, coloris non debet eſſe nigri; ſed planè illius quem fuſcum aut pullum appellamus: tali enim uſus eſt Vir Sanctiſsimus, teſtantibus id, non ſolum picturis, ſed etiam Vitę ejuſdem enarratoribus atque Scriptoribus. Quocirca tali colore, uti ejuſdem Inſtituti profeſſores in Gallia atque Italia, alibique ſæpius accepimus à teſtibus fide digniſsimis. Imo quòd is color majoris ſeveritatis & ſtrictioris obſervantię ſignum videatur præ ſe ferre, nonnullos apud nos etiam eodem uſos eſſe ſatis conſtat: atque ego ipſe novi, & ſępius inſpexi Religioſum ſenem ex hoc Ordine, miræ certè gravitatis, probitatis, & literarum atque eruditionis etiam nomine commendabilem, qui hujus ſui Cænobii Matritenſis per annos pluſquam viginti portam non attigerat, neque pedem foras extulerat; & Habitu hujus coloris quem dixi, mundiſsimo tamen, utebatur. Pingendus eſt etiam, ſi toto appareat pectore deſcriptus Sanctiſsimus Vir atque Patriarcha Franciſcus, nudis omnino pedibus: ita enim inceſsiſſe, etiam ſenex cùm eſſet, non obſcure produnt Hiſtoriæ. Denique par erit ut depingatur non utcumque ſenex, ſed valde, atque (ut ita dixerimus) capularis. Abiit enim ad ſuperos digniſsima ſideribus anima, expleto ætatis anno nonageſimo primo. Hoc enim, præterquamquod maiorem quamdam reverentiam inducit erga prototypum, conformius eſt, ut innuimus, ipſius rebus geſtis.

2 Sed jam gradum facimus ad alium, non ſanctitatis ſolum, quod ſemper tamen præcipuum eſt, ſed doctrinæ etiam laude cumulatiſsimum. Qualis enim quantuſque vir fuerit Iſidorus Archiepiſcopus Hiſpalenſis, Hiſpaniæ & totius Eccleſię lumen clariſsimum, quotuſquiſque eſt qui neſciat? & quanvis hominis tam præclari picturæ atque imagines non paſsim circunferantur; quanvis in Diœceſi & Urbe Hiſpali aliquas extare nullus dubitem: tamen illum omnino præterire nolui, Hiſpani ſaltem nominis gratiâ. Et quidem quod attinet ad ejus res geſtas, præclaraque edita volumina, multis hic immorari non vacat. Videat omnia hęc qui accuratius noſſe deſideret apud V. Clariſſ. Ejuſdem Eccleſiæ Hiſpa-

lensis Canonicum Bibliothecæque Hispanæ Scriptorem egregium D. Nicolaum Antonium, * cujus Operis priorem partem, quam Bibliothecam Veterem inscripsit, & moriens reliquit ineditam, maxima cum laude Hispani nominis, parique cum bono literariæ & Hispanæ Reipublicæ, in lucem postmodum edidit vir Eminentissimus & Rev. Cardinalis de Aguirre, Hispaniæ etiam, & præsertim Salmanticensis Academiæ haud vulgare ornamentum, ubi tanti viri doctrinam dicendique copiam vix imitabilem mihi sat adhuc juveni demirari contigit: & ubi (nam hujus etiam, quamquam minutioris rei, meminisse licet ac libet) me ipsum cum Theses Theologicas publice defenderem argumento docte & subtiliter proposito decoravit: Videat, inquam (ut ad id unde nonnihil digressi sumus commode revertamur) studiosus Lector Isidori res gestas, indicemque insignium voluminum apud laudatum Scriptorem Bibliothecæ Veteris Hispanę: mihi enim satis est quod ad institutum iter spectat, unum tantummodo subnotare, quod aliis etiam locis poterit deservire, & quod non nimis, nisi ego multum fallor, ab instituta tractatione deflectit.

* Bibl. Vet. Hisp. t. 1. l. 5. c. 3. p. 243.

3 Solemne Pictoribus est sancti alicuius Doctoris pingentibus effigiem, ornare tabulam descripto pluteo cum variis voluminibus, adjectis etiam titulis atque epigraphis librorum, & pręsertim eorum quos satis constat conscripsisse Doctorem illum cujus pingitur effigies. In quo etiam præstando varii non raro admittuntur errores atque anachronismi. Quod exemplis etiam confirmare esset facile, si tantum laboris res exposceret. Adeo pronum est Artificem labi, si quę extra, aut etiam supra peritiam artis censentur, efficere cogitet, &, quod proverbio dicitur, si velit excurrere sutor ultra crepidam. Poterit igitur hac ratione, & quidem facile, contingere, ut Pictor non indoctus, sed quod deterius est, semidoctus, & ut dicitur, sciolus; proponat inter Isidori libros volumen illud, quod à pluribus minus rei Ecclesiasticę studiosis habitum est pro legitimo opere ac fœtu Isidori, nempe Collectionem Epistolarum Decretalium veterum Pontificum, * quod certè volumen insignitum est nomine Isidori. Sed illud plane nothum est, & tanti Doctoris eruditione & sapientia indignissimum, ut non solum fatentur jamjam quique viri doctrina atque eruditione pręstantes, sed inter eos, aut ante eos potius, ut par est, Sanctę Rom. Ecclesię Cardinales & merito & dignitate Eminentissimi, quorum plusquam septem hic enumerare promptum erat, & quorum agmen ducit Annalium Ecclesiasticorum Scriptor purpuratus. (a) Et licèt ejusdem dignitatis ac nominis unus, hoc est laudatus jam Cardinalis de Aguirre (b) pro contraria parte decertet, intendens magnis conaminibus, quamquam omnino irritis, adstruere, cùm prædictas Epistolas genuinos esse partus eorum, quibus attribuuntur Pontificum, quanvis (ut fatetur) assutas multis in locis, & interpolatas; tùm etiam Collectionem illam opus esse, non Isidori illius Mercatoris, aut peccatoris, qui jam ubique notus est, sed ipsiusmet Magni Isidori Episcopi Hispalensis: Licet, inquam, hoc ita sit, res tamen jamjam habetur ut indubia, & ipsemet Cardinalis postmodum fatetur ingentibus premi difficultatibus, tantum non apertam super hoc recantans, quod aiunt, palinodiam. Quare si tale absurdum in Imagine Magni Præsulis & Doctoris inscitiâ Pictoris irrepserit, cùm hoc facile factu sit, censerem debere titulum hunc ab illius libris aboleri.

* Vid. D. Nic. Ant. t. 1. Bibl. Vet. Hisp l. 5. c. 4. a n. 201. & deinceps.

(a) Bar. in Notis ad Martyrol. die 4. April.

(b) Card. de Aguirre Concilior. Hisp. t. 1. Dissert. 4. per totam p. 69. & deinceps.

4 *Casillam*, sive potius ut Hispanica fert huius nominis prolatio, *Casildam* præclaram Virginem 9. Aprilis die Hispaniarum pleræque celebrant memoriæ: cujus res gestæ pressius perscriptæ, quas tamen nonnihil fusius ex Hispanicis monumentis atque (c) Historiographis enarrat Amicus noster Doct. D. Joannes de Ferreras, sic habent. Erat hæc Almenonis Mahometani Regis, qui Toleti imperabat Ecclesiæ seculo X. filia, miti, clementique prorsus ingenio atque indole prædita, qua Christianorum, quos in vinculis dirus atque immitis pater habebat, miseratione vehementius permoveretur, illosque quibuscumque posset modis foveret atque aleret. Quod quidem misericordię naturalis opus gratum Deo O. M. extitisse, insigni aliquando testatus est miraculo, quod enar-

(c) Part. 5. Hist. ad A. C. 1075. pag. 127.

enarrare potius, quàm stylo nostro duximus, verbis pręclari Historici, qui sic habet. (d) *Quem* (Almenorem Regem) *memorant, re indicata, filię latebras, aditusque omnes diligenter observasse, deprehensamque aliquando, cibos quos in sinu ad Captivos ferebat, repente in flores rosasque mutatos, patri ecquid ferret cum magno animi motu roganti, veste explicata monstrasse.* Profecit verò ipsa multo magis, quàm Captivis miseratione atque benignitate profuerat, ex tanti experientia atque contemplatione miraculi. *Nam illo percita* (verba itidem sunt clari ejusdem cum paucis Historiographi) *monitaque divinitus, si à fluxione sanguinis sanari cuperet, qua curanda medici omnia artis remedia frustra consumpserant, in lacu D. Vincentii nomine, quod in agro Virvescano est, ablueret, ad nostra sacra adjecit animum. Pietatis officia, divinum numen, Christianæ religionis luce volebat compensare. Itaque à patre, cum quo rem omnem communicarat; pro jure amicitiæ, quæ illi esse cęperat cum Christianis, ad.... regem missa est; eius morbi curandi causa.* Optatis igitur votis eventus respondit: neque solùm corporis, sed animæ etiam incolumitatem & sanitatem, itineris suscepti fructum adepta est castissima virgo. Sic enim rem totam concludit laudatus idem Historicus. *Morbo*, inquit, *depulso, & aquis salutaribus ritu Christiano expiata, divini beneficii memor, immemor patriæ: in rupis fastigio, quæ ad lacum est, domuncula exędificata, sanctissimam vitam exegit, multis illustrem miraculis. Quo meritò in cælestium numero locum habet, templisque recepta est, &c.*

(d) P. J. Mariana Hist. Hisp l. 9. cap. 3. ad A. C. 1050.

5 Quo verò tempore hęc contigerint, non satis exploratum est apud Historicos: nam laudatus Mariana rem nimium anticipasse videtur, eam denarrans ad A. C. M. L. qui consequenter asserit Casildam missam à patre cum literis ad regem Hispanię Ferdinandum, quod nonnulli etiam autumant. Ferreras autem non sine laude nominandus, contigisse existimat A. C. M. LXXV. qui consequenter etiam asserit, literas ab Almenone filię traditas, ad Alfonsum Legionis regem, qui postea etiam Castellæ imperavit, fuisse directas: quod alii etiam iudicant. Utrovis autem modo res fuerit (quàm operosius dispicere, instituti nostri non est) Diva hæc mediocri prorsus ætate depingenda erit, sub habituque virginis modestissimo, seculari tamen; cum nihil nos doceant oppositum Hispana, quæ allegavimus, monumenta.

6 Illud autem nonnihil recreandi Lectoris causa hic addere non omnino importunum duxi: nempe ab hac Diva Virgine cognomen accepisse lacum quendam, qui est inter Burgos urbem oppidumque Pancorvum, quem vulgo vocant S. Casildæ Lacum. Atque in hoc quidem passim atque ab omnibus cernuntur grandiores cespites, quorum aliqui forma ferè rotunda ad plus viginti pedum latitudinem per diametrum extenduntur. Haud absurdè eos parvas natantes insulas nominaveris: eius enim sunt firmitatis & consistentiæ, ut supra se, non modo homines, sed pecudes, immò boves, equas, asinos innoxie tollant; cum tamen non vulgaris profunditatis lacus existat, eius etiam mobilitatis, ut levi appulsu ex una ad alteram Lacus ripam facillimè propellantur, etiam onusti. Multum dubitat de huiusmodi natantibus insulis vir profecto lepidi ingenii, multæ etiam lectionis, neque pessimi judicii, Abbas D. Secundus Lancillotus: (e) tandemque in id propendet, ut narrationem fabulosam esse censeat. Sed enim quæ risu tantùm oppugnantur, risu etiam, facili, nullovè negotio defenduntur. Legerat ipse Senecam, & Plinium juniorem, testes quidem gravissimos, &, quod mirandum est, oculatos, quibus tamen fidem denegat: sed neque viderat ipse, neque legerat alios plurimos, qui hoc idem diversis in partibus Europę (ut nihil de reliquo orbe dicamus) sese vidisse atque expertos esse firmiter & optima fide testantur. Si quis tamen rem totam penitius ediscere cupiat, legat is, obsecro, Claudium Dausquium Canonicum Tornacensem toto libello erudito certè, & planè doctissimo, cui titulum fecit, *Terra & Aqua*, seu *terrę flutantes*, præsertim lib. 1. à cap. 11. usque ad 15. ubi scitu digna lectuque iucundissima affatim congesta reperiet. (f) Quę quidem omnia veluti in transcursu dicta sint; occasione lacus, quem vocant incolæ de Sancta Casilda. Mag-

(e) Lib. Italico cui tit. Farfalloni de gli antichi hist. farf. 32.

(f) Edit. Tornaci 1653.

7 Magnum Episcopum atque Doctorem excipiat magnus alter ac verè Summus Pontifex, Leo, inquam, Primus Romanorum Pontificum, & merito & cognomento vere Magnus. In cujus Iconibus, quas ego ære incisas, gestorumque seriem continentes non sine voluptate inspexi, non illud annotandum videtur, quod Sanctus Pontifex proponatur iis ornamentis, quæ certè post multa secula in usu esse cæperunt Romanis ipsis Pontificibus. Communis est hæc Pictorum inadvertentia aut oscitantia, de qua non semel aliis disseruimus in locis. Unum tantummodo hic annotare visum est commodius. Depictus est insignis Pontifex illo celebri eventu, quem referunt ipsius rerum gestarum Historici. Sed præstat ipsorummet hic referre verba. Certè ille quisquis est, qui Vitæ brevissimum compendium, quod ipsius Operibus præfixum ostendunt passim Editiones, scripsit, ita habet, sermonem instituens de Attila Hunnorum Rege: *Cum Roma ardenti furore raperetur, iamque copias ubi Mincius in Padum influit, trajicere pararet; occurrit ei Leo, malorum Italiæ impendentium misericordia permotus: cujus divina eloquentia persuassum est Attilæ ut regrederetur.* Quæ totidem verbis nihil immutatis retulit atque expressit Sancti Pontificis Ecclesiasticum Officium; ut propterea suspicer, an hoc desumptum sit ex hoc breviusculo compendio, cujus tamen meminit Cardinalis Baronius. (g) Sed quidquid de hoc sit, rem ipsam exequitur de eodem Hunnorum rege loquutus, illis verbis: *Qui interrogatus à suis, quid esset, quod præter consuetudinem tam humiliter Romani Pontificis imperata faceret? respondit, se adstantem quemdam alium, illo loquente, Sacerdotali habitu veritum esse, sibi stricto gladio minitantem mortem, nisi Leoni obtemperaret.* En Historiam, non solùm dignam quæ verbis elegantissimis referatur, sed quæ eleganti etiam describatur penicillo. Et quidem licèt hujus rei nullibi meminerit ipse Sanctus Leo, quod sanè non defuit qui notaret, indubitata prorsus haberi debet; & quę observata fuerit ab scriptoribus coætaneis.

(g) Baron. in not. ad martyr. die 11. April.

8 Sed quod ad institutum nostrum spectat, illud hic notandum occurrit, quòd ut Scriptores alii referunt, non unum tantùm virum, sed duos esse visos Attilæ, qui ipsum ab incepto opere deterrerent. Ita enim habet vitarum Pontificum Scriptor non ignobilis: (h) *Monitis Pontificis optimi obtemperans Attila, quod dum simul loquerentur, cernere duos viros supra caput suum strictos tenentes gladios, ac mortem minitantes, nisi pareret, visus est.* Qui autem illi fuerint, ipsemet interpretatur, subdens: *Ii Petrus & Paulus Apostoli putati sunt.* Ex quibus, quamquam non erroris argui deberet Pictor, qui unum tantum depingeret Sacerdotali indutum habitu, gladioque armatum, & qui Sanctus Petrus Romanæ Sedis primus Pontifex jure merito putaretur: tamen nullius quoque erroris notæ carpi deberet qui duos depingeret, quibus Petrus & Paulus Apostoli denotarentur: illi nimirum qui Romanam arcem præsidio suo ac patrocinio tuentur æternumque tuebuntur, quos meritò tam verò quàm eleganter vocat ipsa Romana Ecclesia, veritatis Magistra: *Romæ parentes, arbitrosque gentium.* Non quòd hic (absit à piis mentibus immane commentum ac delirium) statuere, imo nec leviter adumbrare velimus Hetherodoxorum insaniam de Romę Episcopatu bicipiti: sed quod honos Paulo debitus nullo modo deroget Petri inconcusso Primatui: cùm hoc, & non aliud, sit quod eleganter pro more suo scriptum reliquit idem Sanctus Pontifex, de quo agimus, verbis illis: (i) *De quorum* (Sanctorum Petri & Pauli) *meritis atque virtutibus, quæ omnem loquendi superant facultatem, nihil diversum, nihil debemus sentire discretum: quia illos & electio pares, & labor similes, & finis fecit æquales.*

(h) Platin. in Leone, I.

(i) S. Leo f. 1. in Natali Apost. Petri & Pauli prope fin.

CAPUT

CAPUT II.

DE PICTURIS ATQUE IMAGINIBUS SANCTORUM Hermenegildi Regis Hispanię & Martyris, Sancti Georgii item Martyris, Bonique Latronis.



INclytus Martyr Christi atque Rex Hispaniæ Sanctus Hermenegildus à plerisque etiam Hispanis tantummodo audit Hispaniæ Princeps: eò nimirum quòd cùm mortuus sit, immo occisus in odium Catholicæ Fidei ab impio Patre, magno alioqui, siquis alius, Leovigildo; existimant illum solùm fuisse Patris in Regno amplissimo Hispaniæ successorem: assueti nempe iis quæ magis communiter & frequentius contingunt. Atque hac quidem ratione ego ipsemet observavi depictum sine sceptro, & cum parva tantum illa Corona, quę, ut statuunt hujusmodi rerum periti, non est propria Regis, sed Principis. Attamen falluntur ii: fuit enim prçclarissimus Martyr, tametsi non totius, conspicuæ tamen & prænobilis Hispaniæ partis, nempè Bæticæ (quidquid alii autument) Rex planè Inclytus: immò ut proprius loquamur, totius imperii paterni socius: ad eum ferè modum quo facere consueverant Romanæ ditionis Imperatores Augusti. Volens enim Leovigildus Parens, Arianæ sectæ acerrimus defensor regni atque Imperii sui firmius fundamenta constabilire, filium Hermenegildum, eidem adhuc Sectæ addictum regni & imperii socium adscivit, assignata ei Hispaniæ parte sat prçnobili, ubi sedem figeret & regiam. (a) Et quamquam non desint qui asserant, eam Regni partem fuisse Lusitaniam, sedemque Regni fuisse Emeritam: probabilius tamen est, èque nostris Atuhoribus petitum, fuisse Bæticam, & sedem Regni aut regiam non aliam urbem quam ipsam Hispalim. Quod contigit, juxta veriorem supputationem Erâ Hispanicâ 617. & quod in idem recidit, anno Christi 578.

(a) Greg. Tur. Erâ-

2 Et quidem magno bono fausto que prorsus omine fuit Regio Juveni Hermenegildo hæc sedis delectio: quippe Hispalis per illa tempora Prçsul erat magnæ sanctitatis & doctrinæ vir Sanctus Leander; cujus colloquiis, consuetudine, atque exhortationibus factum est, ut Dei adspirante benigno numine Hermenegildus sectam abjuraret Arianam Fidemque Catholicam amplecteretur, accepto Confirmationis Sacramento ab ipso Præsule Hispalensi Leandro: in quo, ut scriptum reliquit S. Gregorius Turonensis, (b) Hermenegildi nomen cum Joannis commutavit: etsi deinceps non Joannes, sed Hermenegildus passim fuerit appellatus. Ex his omnibus constat, Sanctum Hermenegildum depingendum esse cum sceptro regiaque corona, atque etiam cum regiis insignibus, purpura, atque (ut ita dicamus) paludamento. Nam etsi his omnibus postmodum illum accitum ad se, & per varios dolos se coram præsentem perfidus pater expoliaverit (quod etiam referunt illius temporis historici, ipseque Gregorius Turonensis) tamen hoc nihil refert: (c) cùm illud impius pater fecerit non jure, sed injuria; nec ipse Hermenegildus id admodum curaverit; cum exercitu comparato, non tam pro se, quàm pro Religione decertans, postmodum se ipsum pro Rege habuit, ac Rege legitimo, magnoque & eximio amore atque honore regnavit. Unde mirari subit (ut id dicamus obiter) qua ratione, quavè etiam veritate dixerit Poeta Liricus, qui fortè est omnium præcipuus inter nostros, loquens de Martyre Hermenegildo. (d)

(b) Hist. Francor. lib. 5.

(c) Greg. Tur. Hist. Frác. c. 39.

Oy es el sacro y venturoso dia
En que la gran Metropoli de España,
Que no te jurò Rey, te adora Santo.

(d) D. Luisius Gongora fol. mihi 49. pag. 2.

Metropolim Hispaniæ vocat Hispalim, idque non immerito, per ea prçfer-

sertim tempora quibus Hermenegildus coronam martyrii est adeptus: at urbem illam fidem non juravisse Hermenegildo, pro qua servanda longam obsidionem usque ad extrema queque toleravisse constat, nescio cur dicat vir juxta elegans atque eruditus. Sed nos ad alia.

3 Obtinuit tandem Hermenegildus Rex martyrii palmam, agente id impii patris furore, qui filium constantissimum Hispali ab se in vinculis conjectum (quamquam de loco alii alia sentiunt, quæ pressius examinare ad nostrum non spectant institutum) occidi jussit in ipsa, in qua custodiebatur arce: eâ de causa quam fusius narrant Historici, & maxime D. Gregorius Magnus, qui alia adjungit, quæ certis indiciis, & non vanis rumoribus accepisse credendus est. Quod ad nos spectat, cùm disertè idem S. Pontifex affirmet mortem gloriosi Martyris, aut potius triumphum, contigisse infixâ eius cerebro ab impio quodam è satellitibus securi; hoc & non alio modo pingendus est Inclytus Chrysti Martyr, atque ejusdem consubstantialitatis cum Patre propugnator insignis. Licèt enim alii tantùm asserant occisum, & non nemo etiam asserat fuisse decollatum: tamen cùm supplicii genus tam conceptis verbis designet tantæ magnitudinis testis; pictori liberum non erit aliud quidvis opinari, & à tanta facilè authoritate recedere.

4 Cogit nos instituta tractatio, ut aliqua hìc (& erunt fortasse plusscula) annotemus de equestri Imagine Sancti Georgii, quæ non solum passim in Græcorum templis conspicitur, sed etiam in aliis nostrarum quoque partium locis non est infrequens, ut commodè annotavit harum rerum sæpè laudatus, & semper laude dignus Author.(e) Verùm priusquam ad id quod nostri muneris est deveniamus, scire erit operæpretium circa res gestas hujus Sancti ac præclari Martyris Georgii, cujus natalis incidit in diem nonam Kalendas Maii, non solùm viros non nimis eruditos, sed (quod semper verendum est) ipsos Hæreticos miris modis deliravisse. Non nostra hæc est, sed summorum virorum sententia, & quod caput est, Synodi Sextæ generalis; (f) ubi profitetur quasdam Martyrum historias ab Hæreticis esse conscriptas: eo nimirum (ut ait) consilio ut Dei Martyres afficerent ignominia, & ut qui illas audirent, ad incredulitatem deducerentur. Proinde omnes hujusmodi historias eadem Sancta Synodus publicari vetuit, ignique tradi mandavit. Quam etiam sequuta Romana Synodus sub Gelasio Papa,* hujusmodi historias, & nominatim etiam quæ de Sancto Georgio ferebatur, pro vanis & apocryphis haberi voluit. Ut propterea nil opus hìc sit allegare alios, quamquam magni nominis, Authores eadem dicentes, inter quos est Augustinus Parens. (g) Quo factum est, ut Lectiones etiam, quæ exstabant antiquitus in Divinorum Officiorum libris, res gestas hujus Sancti ac præclari Martyris continentes, amotę & expunctæ inde sint meliori ac salubriori consilio. Quæ omnia & alia plura, quæ non abs re hic exequi possemus, ea ratione, quamquam breviter, monenda censuimus: ut vel hinc discant aliqui, qui non sat erudita pietate ducuntur: non nimium commoveri, cùm audiant aliqua in Sanctorum & Martyrum historiis mendosa, fabulosa, ac portentosa, hominum inscitiâ aut fraude aliquando irrepsisse. Sed de his quæ ad Sanctum Georgium spectant, qui saltem per summa capita voluerit fieri certior, adeat virum doctissimum ac purpuratum Cardinal. Baronium, (h) qui prorsus testis esse poterit exceptione major. Jamjam nos ad memoratam D. Georgii Picturam equestrem.

5 Atque in primis de eadem illud est omnino portentosum ac perriculum, quod non hic memorarem, nisi ejusdem rei meminisset vir, juxta eruditus ac fidedignus. Is enim est, & quidem oculatus testis Augerius Gislenius Busbequius, (i) Cæsareæ Majestatis ad Turcarum Imperatorem Legatus, qui ita habet in suis quas posteritati mandavit, aureis planè Epistolis. *Ne hoc quidem prætermittam, Turcas magno cum risu spectare in Græcorum templis Div. Georgium, quem (ut dixi) suum Chederlem esse volunt, ita in tabellis depictum, ut illi puer ex equi clunibus, in quibus post dominum sedet, vinum misceat ac ministret: Hoc enim habitu passim D. Georgius à Græcis pingitur.* Hæc laudatus & nobilis Author. Quo quidem prætermisso, quamquam etiam non om-

(e) Molanus de histor. Sacr. Imag.

(f) Canone 63.

* In Decret. dist. 15. cap. Sâcta Romana.

(g) Divi Augustini Epist. ad Adimant.

(h) Card. Baron. in Not. Martyrolog. 23. April.

(i) Augerius Gislen. Busbeq. epist. 1. p. mihi 95. edit. Elzeviriana.

omnino extra id quod nuper insinuavimus, venimus jam ad equestrem Sancti Georgii magisque passim receptam ac spectatam Imaginem.

6 Igitur ea talis est: Effingitur eques armatus bellatori equo insidens, qui hastę cuspide draconem interficit, juxtaquem etiam virgo posita manus supplices tendens, ejusdem imploret auxilium. Totidem, ni fallor, verbis descripta Imago est à Cardinali prælaudato Baronio eo ipso loco, quem indigitavimus, cujus censuram infra commodius referemus. Interim annotare placet Sanctum Georgium haud immerito in equestri imagine depingi, utpote quem militem fuisse, ut rem notam tradant passim Authores non suspecti, ut magis patebit ex infra dicendis. Qua ratione idem præclarissimus Martyr frequentissime insidens equo consuevit depingi: immò equum ipsum depictum hinnitum edidisse, non sine miraculo admiratioque, referunt Historiæ. Qua in re admiratione est dignissima ea quam tradit Scriptor nobilis Nicephorus Gregoras: quam quidem, ut morem gererem aliquibus, qui his mirifice delectantur, quique hujusmodi libris evolvendis otium aut cura non facile suppetit, integram hìc excribere placuit; sed & Græca adjicere in eruditorum gratiam, nisi vererer ut (si quando hęc qualiacumque in lucem edi contigerit) characteres Græci in Typographia omnino deessent: sic enim sunt res nostræ. Latina igitur damus ex Versione H. Vvolfii, quæ sic habent. (K) *Tum* (inquit pręsens, & in re tanta testis auritus) *sub mediam noctem me astante & doxologiam audiente, quidam ab Imperatore adest, novum illi nuncium appertans, & ejus sententiam exquirens. Modo enim, inquit, cum Imperatorii bipenniferi, & milites, & ensiferi cubitum ituri essent, tantus subito hinnitus circa palatium exauditus est, ut omnes percellerentur. Intempesta enim nocte cum neque Imperatorii, neque Senatorii equi nec in ipso palatio, nec ante fores essent, improvisa res animos audientium perturbavit, & alii alios quid rei esset interrogarunt. Eo tumultu nondum sedato, alter hinnitus priore major exauditus est ab ipso etiam Imperatore: qui misso ministro, unde is esset, quæsivit: sed nihil audivit aliud, nisi ab equo in quodam palatii pariete, ante victricis Deiparæ sacellum, quem Paulus olim præstantissimus Pictor effinxisset, D. Georgium Christi Martyrem pulcherrime sustinentem, esse editum. Ad hæc Logotheta jocatus, ut solebat ad Imperatoris interrogationes; Gratulor tibi, inquit, Imperator futuros triumphos. Monstrosum istius equi hinnitum nihil aliud indicare reor, nisi tuam adversus Agarenos Asiam nostram populantes expeditionem. Quibus Imperator auditis, alio adolescente ad eum misso; Tu quidem, inquit, isto responso, sive, ut soles, mei exhilarandi gratia, sive alia de causa dato, rem ignorare videris. Ego autem quid verum esse censeam, tibi dicam. Nam ut patres nostri nobis tradiderunt, equus iste aliàs etiam ad eumdem modum hinniit, cum Balduinus Latinorum Princeps à patre nostro pulsus, urbem amisurus esset. Quo monstro cum & ille diu ut ominoso, terreretur; tandem nec multo post, eventum ipse expertus est, cùm urbem à Romanis vastari cerneret. Logotheta vero, cùm quid responderet non haberet, adolescentem abire jussit: se postridie Imperatori responsurum.* Hucusque laudatus Historicus: ut vel exinde pateat, quam non sit recens S. Georgium equestri figura ac representatione describere.

(K) Nicepho. Gregor. Hist. Bizit. li. 8

7 Sed Græcis (ut hoc etiam obiter referam) solemne est Sanctos milites in equestri habitu depingere. Quocirca me legisse memini apud V. Cl. Leonem Allatium, (l) Sanctos Sisynium & Synidorum equis invectos monstrum quoddam, quod ipsi Gylonem nuncupant, persequutos. En ex plurimis nonnulla. *Facultate* (inquit Græcus scriptor non sat notus) *à Deo Omnipotenti habita, equos infrenarunt* (Sancti nempe Sisynius & Synidorus) *& exsecrandam Gylonem persequi cœperunt, & per viam investigabant; & quidquid offendebant interrogabant.* Quibus alia adnectuntur, quæ tamen sunt ægræ mentis insomniis magis quam historiis simillima. Quæ eadem, sed contractioribus verbis, alii referunt apud eumdem Scriptorem Allatium. (m) *Sancti* (inquit ipse) *Dei Sisynius & Synidorus Melitenis fratres in Numeria, seu Arabia militabant.* Et pluscululis interjectis: *Illi egressi è turri, conscensis equis habenas veluti alas haben-*

(l) Leo Allat. Op. de quorũd. Græcor. opinat. pag. mihi 129.

(m) Loco ubi supr. pag. 135.

habentibus, profunditates & cavernas in monte Libano perscrutati sunt &c. Sed nos ad magis seria.

8 Quod enim S. Georgius, utpote miles, aut etiam equestris militiæ dux, in habitu equestri ac militari non absurde depingatur, ex eo, præter jam dicta, constat; quòd Reges olim in militari conflictu Sanctum Georgium Martyrem invocare sint soliti, eumdemque propitium nactos esse, apertè significant ea, quæ de Imperatore Nicephoro scribit Cedrenus, (n) & quæ Paulus Diaconus tradit de Chuniferto rege, qui ob ingentem de hostibus partam victoriam, basilicam & Monasterium in honorem ejusdem Martyris erexit. Quin (quod magis est) Romanam ipsam Ecclesiam, ad expugnandos Fidei hostes, memoratos præcipuè martyres invocare consuevisse, Mauritium, Sebastianum, & Georgium testatur Ordo Romanus. (o) Illud verò hic non omittendum censeo, quod produnt nostrates Historiæ, in quibus luculento testimonio constat & refertur, quod regnante apud Aragonios Petro hujus nominis Primo, insigni ac memorabili prælio commisso non longè ab oppido quod *Alcoraz* nominant; cùm nostri immensa propè barbarorum multitudine premerentur, & cum jam feriendis prostrandisque Saracenis phalangibus vix manus ac vires sufficerent: rex inclytus, idemque strenuus dux, prudens animadvertit barbaros hostes tutari sese pervetusto templo Sancto Georgio Martyri dicato, atque inde novis incursionibus erumpere. Tunc levatis ad cælum manibus, Martyrem Christi egregium alloqui cæpit, precatus ne sineret ut tali munimento sese hostes impuri firmarent, quò postmodum si cederet illis victoria essent deinceps abusuri. Nec mora: statim enim visus ab ipso rege est conspicuus ac generosus eques, gravi atque splendenti contectus armatura, Crucem rubram gerens in pectore: cujus equi (nam id etiam addunt) clunibus insidebat alius, qui statim ex equo desiliens, simul cum equite in confertas hostium turmas invectus est, eâ constantia atque virtute, eâ etiam felicitate, atque hostium edita strage, quę conveniebat de cælo dimicantibus. Creditus est abs dubio non alius fuisse nisi Georgius Martyr, cujus pręclara atque dilucida extiterunt apud tum temporis præsentes, atque apud posteros argumenta. Rem totam acumine atque elegantia sibi familiari enarrat Scriptor minime vulgaris Magisterque quondam meus (sic enim appellare licet ac libet virum, cujus memoriæ ac beneficiis profiteor me, profiteborque multis nominibus obnoxium) Rev. P. Petrus Abarca Soc. Jesu, qui de Apparitione ista præclara postmodum eleganter differit, asserens: (p) Sed præstat audire hominis magni Hispanica verba, quę sic habent: *Se escribe, que al punto se viò, como aparecido, vn bizarro Caballero cubierto de armas blancas, con Cruz bermeja en medio del pecho, armado ò representado de azero: y como si esto no bastàra para la victoria y para su fiesta, añaden algunos, y han hecho creer à muchos, que el Santo trahia à las ancas de su velocissimo caballo, otro Cavallero tambien cruzado. De este modo partiò (dicen) desde la frente de nuestros esquadrones contra los de los Moros, fortificados con el templo: y antes de herirlos, se apeò el Compañero: y ambos como dos Generales de la Caballeria y de la Infanteria del Rey, embistieron divididos à los Sarracenos, y atropellandolos con furor sereno, enseñaron ò infundieron otro semejante à los Aragoneses y Navarros. Lo cierto es &c.* Quæ tametsi ob styli elegantiam Latine reddere non admodum sit facile: tamen quia non Hispanis tantùm sed etiam exteris scribimus, tentabimus utcumque exprimere: ita enim ferme habent: *Scriptis*, inquit, *proditur ac tutum visum aut apparuisse strenuum quemdam atque elegantem equitem armis albis contectum, crucem rubram in pectore gerentem, ex iis quos appellamus Cataphractos: & quasi id victorię celebritatique non esset satis, adjiciunt nonnulli in mentemque ut admittant pluribus effecerunt, Divum illum gestavisse retro, aut ad clunes equi velocissimi, insidentem alium pariter crucem rubram ostendentem. Atque hoc modo, ajunt, perrexisse ab exercitus nostri fronte in adversas Maurorum acies, qui templo nostro, aut potius Divi sese tutabantur. Atque hic priusquam in illos invehere tur, ab equo descendisse comitem, constitisseque super pedes. Atque utrumque veluti egregios duces aut Imperatores*

(n) Cedrenus in Cōpend. hist. Paulus Diac. de Gestis Lōgobardo. lib. 6. c. 5.

(o) Ordo Rom. de Divi. Offic. in fine.

(p) P. Petrus Abarca Annal. Arag. to. 1. ad ann. 1096. in Rege Petro f. 135. pl. 2.

tores equitatus, peditatusque nostri, furore miro, quamquam sereno, Saracenos hinc & inde aggressos, pessum dedisse, fudisseque barbaros, inspirasseque parem aut similem virtutem Aragoniis ac Navarræis. Illud constat &c.

9 Id etiam silentio non prętereundum: quod videtur Divum hunc Georgium Imperatori Cęsari Augusto Carolo V. pro Fide atque Ecclesia Catholica decertanti propitium fuisse atque beneficum: quandoquidem die ipsi sacro Martyri dedicata nempe vigesima tertia Aprilis anni Domini M.DXLVII. Joannem Federicum Saxoniæ Ducem, & Sac. Rom. Imperii Electorem, Lutheri scelesti dogmatibus addictum, totamque suam ditionem, aliasque etiam Germaniæ addicere contendentem, cum Philippo Hasiæ Lantzgravio ingenti pugna ad Albim commissa præclara victoria superaverit, ipso Joanne Federico manu capto, ut passim memorant Historici. Ex quibus omnibus satis superque constat, quàm aptè concinneque equestri habitu describatur Pictura Georgii. Sed jam nos ad illam, quæ vulgò circumfertur, examinandam revertamur.

10 Effingitur, ut monuimus supra, eques armatus, qui cuspide hastæ draconem lato vulnere interficit: cui ad latus additur genuflexa virgo, ad eumdem manus supplices tendens, auxilium implorans. Imago hæc, si ad aliquam referatur historiam, inepta & fabulosa est: cum nullibi extet, nisi fortè in aliquorum Grecorum nęniis: immò illam ad veram Historiam referre conatus est *Legendæ* Author, quem ego hìc verbis propriis nominare supersedeo. Sed ille (quod non semel facit) seria pertractans, nugas colligit. At ne pius & eruditus lector sibi à nobis hęc dici persuadeat, do purpurati Authoris verba, (q) quę ita habent: *Symboli potius quam historiæ alicuius opinor esse expressam imaginem: in nullis enim quæ recensuimus Sancti Georgii Actis antiquis quidquam ejusmodi legitur. Sed à Iacobo de Voragine absque aliqua majorum authoritate ea ad historiam referuntur: quæ potius in virgine illa typum exprimunt (more majorum) provinciæ vel civitatis alicuius, quæ adversus diaboli vires (hic enim draco plane est, & serpens antiquus) tanti Martyris imploret auxilium.* Hucusque vir doctissimus, & solidè pius. Quippe istiusmodi picturas symbolicas, quæ sanè si ad historias resque gestas referantur, monstra & mendacia videbuntur (sin verò in illis aliqua allegoria requiratur & cogitetur, constabit rerum veritati esse conformes) olim in Ecclesia depingi consuevisse, opportunè monet sæpè à nobis laudatus Author. Quod plenissime confirmat Pictura illa quæ refertur ab Eusebio, sive alio, quicumque ille est Author vitę Magni Constantini, (r) qui ita plane scribit: *Quin etiam in tabula depicta, quam in sublimi loco ante palatii vestibula suspenderat, se omnium oculis contemplandum proposuit, salutareque Passionis insigne supra caput ipsius locatum, in pictura exprimi fecit: inimicam autem illam & hostilem belluam, quæ Ecclesiam Dei impiorum tyrannidi oppugnasset, in altum mare demersam draconis specie & figura describendam curavit.* Hactenus Eusebius; quæ nonnihil operosius hic transcripsi: Erant enim opportuna aliquando verum sincerumque sensum in Imaginibus hujusmodi requirentibus. Et hæc quidem dicta satis fuerint, quod attinet ad Picturam & imaginem equestrem S. Georgii Martyris.

(q) Baron. in Notis ad Mart. Rom. 23. April.

(r) Euseb. de Vita Constant. lib. 3. c. 3.

11 Certus eram nullius Imaginis hìc meminisse, nisi ejus qui locum haberet expressum in Ecclesiæ Fastis, aut, quod idem est, in Romano Martyrologio; immò etiam in libro Ecclesiasticorum Officiorum, quem vulgò Breviarium appellamus: sed nullus est Canon, qui uni saltem vel alteri exceptioni non sit obnoxius. Admisimus autem hucusque, admittemusque quampaucissimas. Bonus & felix ille Latro, qui cum Christo Domino crucifixus, regnum cęleste est consequutus, &, si ita dici licet, aspirante Dei benignissima Gratiâ, deprædatus atque furatus est; rarò solus consuevit depingi: rarò, inquam, sed tamen aliquando, quod & ego alicubi observavi: qua de causa ejus hic, saltem obiter, meminisse haud importunum existimavi: pręsertim cum in meo Ordine de eodem S. Latrone solemne sub ritu Duplici habeatur Offic. ad diem 24. April. elogiumque habeat in Romano Martyrologio in eadem die eiusdem mensis.

12 Igitur Sanctus hic cùm depingi contingat, ineptè fiet, si describatur

tur affixus Cruci alius omnino formæ, quàm fuit ea, in quâ passus est ipse Christus Dominus noster: aut si rursus repræsentetur non clavis confixus Cruci, sed funibus adstrictus, hæc enim omnia suo loco rejecimus supra, quæ tamen per summam ineptiam effingunt etiam in Imagine sola & separata Sancti Latronis, qui harum rerum sese ostentant minus peritos. At cum aliunde pingi abs dubio debeat lumine radiante circa caput, quod index planè sit obtentæ ab eo gratiæ justificantis, qua subitò perfusus extitit immensa atque investigabili Dei Providentiâ favoreque eximio; quid aget eruditus & cordatus Pictor? nam Imago hęc speciem referet, non pii Latronis Christum confitentis, sed ipsius Christi Domini crucifixi. Quid igitur? Appingetur Imagini nomen, quod vulgò existimatur esse *Dimas*? Atqui hoc (quæ mea est opinio) tam ineptum est quàm quidvis aliud: immò opinio non mea sed virorum etiam summorum est. In Romano enim Martyrologio nullo prorsus nomine profertur elogium; ad quod intendens Cardinalis Baronius, (s) *Dimam*, inquit, *hunc plerique appellant: sed quoniam id ex apocryphis proditur, ea de causa hic nomen proprium consultò prætermissum videtur*. Quamobrem non absurdum existimo, ut quamquam pes saltem unus clavo confixus cruci depingatur, videatur tamen nonnihil erectior, quod in aliis Picturis Sanctorum crucifixorum sæpius observavimus. Addo etiam nihil esse absurdi si depingantur ab ore prodeuntes literæ, his saltem verbis; *Domine memento mei*, quę omnem prorsus dubitationem eximerent: prętterquamquod sine ulla spinea Corona depingi semper debet, quod etiam discrimen est, ut satis distinguatur ab Imagine Crucifixi Domini. Ad quę omnia omnino solerter respexisse videtur insignis Pictor Antonius del Castillo Cordubensis, huiusmodi Imaginem depingens, ut opportunè notat sæpè à me laudatus amicus meus D. Antonius Palomino, Pictor Regius, (t) & quod caput est, haud mediocriter eruditus.

(s) Bar. in Notis ad Martyr. ad 25. Martii lit. g.

(t) D. Ant. Palom. in Picturæ praxi fol. pag. 364.

CAPUT III.

DE PICTURIS ATQUE IMAGINIBUS SANCTORUM Marci Evangelistæ, Petri Armengaudi Martyris, & Sanctæ Catharinę Senensis.



1 Esse perpauca quæ de rebus gestis Apostolorum atque Evangelistarum certa & constanti authoritate affirmare possimus, noverunt satis ii, qui in Ecclesiastica Historia fuerunt hucusque, suntque etiam hodie non vulgariter exercitati. Pleraque enim, quæ vulgò circumferuntur, esse desumpta ex vagis rumoribus aut scriptoribus apocryphis, quales sunt Abdias ille Babylonicus, & alii ejusdem notæ, nemo est qui dubitet, vel mediocriter eruditorum. Qua ratione Ecclesia ipsa in illorum Officiis ab omni prorsus eorumdem gestorum sæpius se abstinet. Et quod attinet ad pręsens institutum, in festo Sancti Marci Evangelistæ & Alexandrinæ Ecclesię Patriarchæ, tantummodo utitur iis quæ Sanctus Hieronymus scripta reliquit in Indice illo percelebri de Scriptoribus Ecclesiasticis. Verùm hæc spectant ad historiam, cuius seriem nos persequi nil instituimus. Videamus igitur si quid est quod propius ad Picturam spectat.

2 Notum est etiam (quod vulgo dicitur) lippis & tonsoribus in illis quatuor Ezechielis animalibus, nimirum homine, leone, bove atque aquila quatuor Evangelistas mysticè, neque id obscurè admodum denotari. Plena sunt his Patrum ac veterum scriptorum testimonia, quæ proinde superfluum videtur prolixius congerere: in quibus hujusmodi appropriatio ac significatio ea fere est uno ore re-

recepta sententia, ut nempe in homine denotetur Matthæus, in leone Marcus, in bove Lucas, ac demum in aquila Joannes. Quod quidem usque adeo verum est, ut in Ordine ipso Romano hæc fusius explicata contineantur, (a) cuius certè hæc sunt verba: *Filii Charissimi, exponemus vobis quam rationem, & quam figuram unusquisque* (nempe Evangelistarum) *in se teneat, & quare Mathæus in se figuram hominis habeat. Deinde lecto per Diaconum initio Sancti Evangelii secundum Marcum, Presbyter subdit: Marcus Evangelista leonis gerens figuram, à solitudine incipit dicens; Vox clamantis in deserto, parate viam Domini.* Hac igitur ratione Pictores unanimi consensu sanctum Marcum Evangelistam cum leone depingunt: adeo constanter, ut nihil fieri potuerit expressius, magisque concorditer.

(a) Ordo Rom. in denuntiat scrutin. ad electos

3 Hæc tamen cùm ita sint, vulgus, qui omnium ferè est errorum atque pravarum opinionum artifex, ansam præbet, in nostra præsertim Hispania, ut vel Pictores Sanctum Marcum cum bove depingant, vel Lucam depictum cum bove rudiores, imbuti pessimis vulgi opinionibus, Marcum esse contendant. Mitto hic nebulonum scommata, quibus hominem insimulare cupientes, quòd violatæ fidei ab uxore nota prematur, aut quod uno verbo, minus quidem graviter, sed magis propriè, efferri potest, cornutum (ut bos est) appellare cupientes, *Marcum* vocitant, aut *Sancti Marci confratrem*: immò alii facetius *Librarium pluteum Sancti Marci* nuncupant; eò quòd sæpius in Picturis viderint librum Evangelii Lucæ (quem illi falsò existimant Marcum) inter bovis Lucæ appicti cornua consistentem. Mitto, inquam, hæc aliaque id genus. Referam igitur hic non importunâ digressione rem Hispanis nostris omnino notissimam, exteris fortasse non item, sed tamen quæ adeò vera est, ut nemo illam bono jure vocare possit in dubium; immò qui negaverit ita contingere, ea de causa quòd eam non viderit, non secus esse pertinax aut stultus potius sese ostendet, quam qui Romam neget esse, quòd ipse nunquam eam viderit; aut ille qui Venetias clarissimam urbem, & quę Marcum Evangelistam summo in honore habet, eo nomine quòd ipsemet nunquam eam viderit (& est quidem visu dignissima, usque adeo, ut de illa dictum sit eam minore, quàm par est in pretio habere, qui nunquam oculis lustraverit) existimet & negare pergat existere Venetias in rerum natura. Ego ipse (mentiri enim nolo) rem de qua agere pergimus non vidi, sed præ animi fortassis inconsiderantia, & tædio minus in hoc laudabili, suscipiendi trium leucarum iter. Sed ad rem.

4 In pluribus Hispaniæ non tantum oppidis, sed etiam in aliquot urbibus, inter quas in honore est non postrema illa, quam Romani Arcem Juliam vocaverunt, nos vero corrupto vocabulo appellamus *Truxillo*, instituta est Sodalitas, aut Confraternitas, quæ ejusdem Divi memoriam ac solemnitatem concelebrat cicuratione miraculosâ (ut contenditur) præferocis tauri, qui exorcizatione & precibus interesse cogitur in Vespertinis Horis pervigilii, & in ipso festivitatis die, totò eo tempore quod insumitur in Missæ, ut vocant, maioris solemniis, quæ ferè semper celebratur Concione ad populum habita. Scena autem (sic enim rem appellare placet) hoc fere modo tota transigitur. Procedunt paulo ante Vespertinas Horas nominatæ Confraternitatis sodales, aliis, ut par est, sociati, quos sequuntur præcedentibus Ceroferariis & Crucifero, Ecclesiæ ministri, claudente agmen Presbytero sacris induto vestibus, Alba nempe, aut superpelliceo, stola, & cappa, ut mos Ecclesiæ fert, pluviali. Ut ventum est ad taurorum armentum, (quod ut per id temporis haud longe ab oppido consistat, iis ad quos spectat curæ est) Confrater præcipuus, aut Confraternitatis præfectus, detecto capitate, inclamat: *Marce, jubeo te Dei & Sancti Marci nomine eius festivitati in templo lubentem atque obsequentem interesse.* Ad quam vocem anno jam præcendente designatus accedit immanis taurus, iam velut ovis cicur & mansuetus. Tum aspergitur lustrali aqua ab ipso Presbytero, & recitatis super eum nescio quibus precibus aut orationibus, optimis tamen & piis, quantum voces præ se ferant, rectà ad Ecclesiam pergitur, insequente tauro, quem prætor leviter vir-

virgâ in cervice tangit. Sequitur autum premente eum utriuslibet sexus populo, ut non taurum dicas ire, neque castratum bovem, sed planè verbecem. Ita fit, ut non solum

—Circum pueri, innuptæque puellæ,

sed & alii quoque, aliæque promiscue taurum corollis floribusque exornent, & cornibus eius vittas sericas illigent & innectant: quin, ut est puerorum inquietum ingenium, & feram ipsam digitis etiam vellicent, & manuum volis sæpè contrectent. Quæ omnia mansuefacta fera perfert ac tolerat, haud secus quàm si iis fuisset ante per longum tempus assuefacta. Ut ventum ad Ecclesiam est, secus altare aut illius gradus, humi fera procumbit, ibique immota permanet dum sacra peraguntur officia: quibus expletis, taurum abire iubent, facto interim signo ære campano, ut quicumque sint in oppido, sese domo recipiant: quod ille, veluti resumpta innata ferocitate actutum præstat, rectaque tendit ad armentum. Et hoc quod in pervigilio Divi hoc modo fit, idem postera die, in ipsoque festo iteratò peragitur.

5 An vero hoc omni prorsus dęmonis fraude, omni prorsus maleficio ac superstitione vacet, necne, non adeò liquet inter doctos & eruditos viros; ut non in dubium jure merito vocetur ab illis. Et quidem graviores sapientioresque eorum, quos hactenus mihi videre licuit, rem æstimant ut valde suspectam; immò alii apertissimè damnant.* Inter quos nisi dicere potius velimus, præ omnibus numerari debet sapientissimus Magister F. Joannes à Sancto Thoma Primarius quondam Complutensis, Catholicoque Regi Philippo IV. à sacris Confessionibus, vir adeò præstantis doctrinæ ac judicii, ut in Theologicis rebus parem vix habeat, qui dedita opera hoc pressius & operosius disputavit, eo acumine amœnitateque, ut planè mirum sit viro aliis operosè intento gravioribus, ad hæc pertractanda otia suppetivisse: illum adeat quisquis volet: (b) nobis enim, qui aliud hic agimus, rem exquisitius premere, atque ad Theologiæ regulas exigere nec libet nec vacat. Illud est certum, aut factum hoc, quod unoquoque anno iteratur, videntibus, & nihil vetantibus iis ad quos attinere videbatur, circa hoc pronuntiasse sententiam: aut ex erronea vulgi opinione proficisci, qua persuasum habent, Evangelistam illum, cui taurus appingitur, non alium esse, quam D. Marcum, aut ex facto ipso ad vanum illud pertrahi opinamentum.

* Vid. R. P. M. Raphaelem de la Torre de vitiis oppositis Relig t. 2. q. 96. art. 4. disp 1. f. 437. Leandr. t. 6. oper. Moraliũ, tract. 9. disp. 1. q. 34. & apud hũc alios: & noviss. Cursum PP. Salm. t. 5. tract. 21. c. 11. punct. 12.

(b) M. Fr. Ioan. à S. Thoma t. unico in secund. secundæ D. Th. q. 7. expositiva.

6 Nec verò me latet quid reponere soleant, aut saltem reponere possint nonnulli, qui non censendi sunt ex fęce vulgi, & quibus placet ab omni superstitionis nota & maleficio relatam consuetudinem vendicare: sed his nihil immoror, qui in re hac nihil pronuntiare decrevi. Illud obiter addo, Clarissimam Venetorum Rempublicam Divum Marcum impensè colere, & merito: persuasum enim est non vanis rumoribus extare apud eos Evangelium ipsum, quod Divus suà manu conscripsit, immo & sacratissimas ejusdem Evangelistæ & Martyris reliquias. Verum quod ad nos spectat, ipsam clarissimam Rempublicam D. Marcum, aut potius se ipsam veluti tutam patrocinio ac nomine Sancti Marci, depingere esse solitam in vexillis, aliisque passim locis sub effigie atque symbolo pennati Leonis, vix erit qui nesciat. Quod sanè mihi cogitanti vellicat aurem, ut hic obiter meminerim prudentis atque acuti responsi cuiusdam è Senatoribus clarissimis, qui cùm Romæ apud Romanum Pontificem Sanctamque Sedem Oratoris fungeretur Officio, interrogatus aliquando est ab Oratore Cęsareo, Ubinam gentium esset locus ubi nascerentur leones alati? Cui prudens & versutus senex respondit. Non debere esse Germanum Oratorem de ea re nimis solicitum: locus enim de quo sciscitabatur, non admodum esse distantem ab illo in quo passim nascuntur & procreantur Aquilæ bicipites: innuens nempè Imperii Romani Aquilas, aut potius Aquilam cum collo duplici, quæ est Imperii Romano-Germanici clarissimum insigne. Atque hactenus de Divo Marco, atque appicto ei Leonis symbolo, dicta sufficiant.

7 Nondum universalis Ecclesia, neque Hispania tota (quod tamen utrunque aliquando cum bono Deo speramus futurum) sed meus Ordo

ex

ex Ecclesię indulto & concessione celebrat die XXVII. Aprilis festum *Sancti Petri Armengaudi*, Inclyti Christi Martyris, qui extrema quæque pro Christo passus, Martyr iure censetur, quantumlibet vitam, agente id Deo Sacraque Deipara, non finierit in ipso patibulo. Circa cujus Imagines, quæ iam frequentes sunt, nonnihil annotare libet. Ille enim est, qui post juventutem perditè in seculo exactam, aflante postmodum Deo, meum Ordinem Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Catipvorum ingressus, adeo virtutibus emicuit, ut anteactam vitæ rationem miris modis compensaverit, & brevi culmen profectionis attigerit. Is etiam, qui non semel Redemptionis causâ missus in Africam, cum plurimos è duræ servitutis iugo exemisset, aliquando tandem pro pueris in Fide periclitantibus cùm se libenter tradidisset, comparavit sibi martyrii palmam. Sed præstat legere hic verba desumpta ex eiusdem Ecclesiastico Officio, quæ sic habent: *Dolens non potuisse deficiente pecunia quosdam pueros in Fide nutantes liberare, se in pignus pro eorum redemptione constituit: ipse interim compedibus detentus, cum ad statuẽam diem pacta pro redemptione merces non fuisset allata, & Mahometicæ superstitionis haberetur contemptor, collo ad lignum suspenditur.* En iam Christi Martyrem, qui quantum in se fuit vitam pro Christi nomine Numineque profudit, intrepidus: mortemque obiisset, nisi aliter dulcissimę ac piissimæ eiusdem Dominæ ac Patronæ Deiparæ visum fuisset, quæ illum diu servavit incolumen, blandè suffulciens ac sustentans. Sed audire rursus præstat eiusdem Officii verba, nostris longè meliora. *Ex Hispania*, inquit, *eius Socius Guillelmus cum redemptionis pretio in Africam interea revertitur, & graviter beati viri amissionem deflens, ad locum ubi suspensus manebat accessit, quem viventem reperit, sibique dicentem audivit: Charissime frater, ne fleveris: ecce enim Sanctissimæ Virginis manibus sustentatus vivo, quæ mihi his diebus hilariter adfuit. Inenarrabili itaque gaudio illum è suspendio deposuit, cunctis admirantibus, ac barbaris non credentibus, una cum aliis libertate donatis, læti in patriam reversi sunt.*

8 Igitur Inclyti huius Martyris triumphus depictus est, & quidem à non vulgaribus Artificibus; sed (quæ est ingenii humani imbecillitas) alicubi oscitanter. Pingitur enim è resti suspensus, & prope illum Sacra Deipara, quę eum leviter manu tangit: Sed quod mirari non satis possum, fune, ex quo pendet omnino tenso, ac pondere corporis stricto: Cum tamen, ut res opportunè describeretur, deberet pingi laxo fune, ut contingere par erat superiore virtute molem corporis sustentate: quod tamen in aliis eiusdem Imagifacti, rectè observatum est, beneque expressum. Pingitur etiam Martyr Inclytus iam patibulo depositus, & in pœnæ quam pertulit signum, fune ad collum alligaro: sed non sat observata circunstantia, quam eiusdem Officii verba tam verè ac eleganter postmodum expresserunt, quę sic habent: *Ex illo autem tempore beatus Petrus collum è supplicio obtortum, & vultum squallore marcidum, quoad vixit, retinuit.* Quæ etsi leviora videantur, annotasse vel perstrictim libuit in tanti viri ac Martyris debitum honorem & gloriam.

9 Nulli ignota est præclarissimæ illius Christi Virginis & Sponsæ Catharinæ Senensis sanctitas, quam multis hic persequi non est præsentis instituti. Hoc unum, quòd vel maximè sit è re nostra, omittere non licuit: nempe depingi frequentissimè purissimam Virginem cum expressis signis plagarum & stigmatum Christi Domini: quod tamen scriptis etiam editis de re hac ægrè, idque meritò ferunt aliqui, quorum, & aliorum lites non nostrum est inter eos componere. Illud verò sincerè agentibus satis exploratum videri debet, contigisse scilicet utrumque; & quòd Dominus sacra sua stigmata amantissimæ suæ sponsæ Catharinę concesserit; & quòd ita laterent eamdem intuentium oculos, ut nunquam apparerent, tametsi ipsa ex illis divino favore impressis stigmatibus & plagis dolores acerbos pateretur. Nihil hic dicimus, quod desumptum non sit ex eiusdem Vitæ scriptoribus, Raimundo Capuano, Sanctoque Antonino Florentię Archiepiscopo, (c) aliisque passim. Quin dissertè refertur in eiusdem Ecclesiastico Officio, cujus verba ob rei gravitatem integra huc

(c) S. Anton. 3. p. Hist. t. 23. c. 14.

huc transferre placet: *Cum Pisis*, inquit, *immoraretur die Dominico refecta cibo cælesti, & in extasim rapta, vidit Dominum crucifixum magno cum lumine advenientem, & ex eius vulnerum cicatricibus quinque radios ad quinque loca sui corporis descendentes.* Notet hoc, obsecro, lector pius & eruditus, & magis sibi fixam persuasamque habebit sententiam nostram de quatuor Clavis, cum quibus fuisse Christum Dominum crucifixum, multis supra contendimus. Sed nos verba prosequimur. *Ideoque mysterium advertens, Dominum precata, ne cicatrices apparerent, continuò radii colorem sanguineum mutaverunt in splendidum, & in formam puræ lucis pervenerunt ad manus, pedes, & cor eius.* En vulnerum impressionem luculenter traditam, adeo ut salva tanta authoritate, bono titulo negari nequeat. En rursus puræ Virgini ex miro Dei favore derivatum dolorem, & tormentum. *Hanc itaque*, inquit, *gratiam amantissimus Dominus nova gratia cumulavit, ut sentiret dolorem illapsa vi vulnerum, & cruenta signa non apparerent.* Certè, inquiet fortasse aliquis: At Catharina pingenda non est cum visibilibus stigmatibus quasi illis decorata atque insignita fuerit, ipsa dum viveret. Non hoc dicimus, sed tamen objectioni tacitæ, si qua est, occurrit opportunè eadem Ecclesiastica narratio, quæ ita concludit: *Quod ita contigisse cum Dei famula Confessario suo Raymundo retulisset, ut oculis etiam repræsentaretur radios in imaginibus beatæ Catharinę ad dicta quinque loca pertingentes, pia fidelium cura pictis coloribus expressit.* Ex quibus diligentius perpensis, quid prudens atque eruditus pictor colligere possit atque debeat, satis per se fit evidens.

CAPUT IV.

DE PICTURIS ET IMAGINIBUS SANCTORUM Apostolorum Philippi & Jacobi, historięque Inventionis Sanctæ Crucis: ac denique Sanctæ Monicæ Matris Augustini Parentis.



1 MEnsem Maium exornari geminorum signo iuxta Astronomorum regulas, notum est etiam apud vulgus. Sed quod attinet ad nostrum institutum circa picturas & Imagines, quæ hos Sanctos Apostolos oculis objiciunt, pauca se offerunt, quæ hic opportunè, (ut semper conamur) annotentur. Nam quod Sanctus Apostolus Philippus unus fuerit ex primis electis à Christo Domino; quod idem fuerit, cui petenti à Domino, ut sibi permitteret, priusquam illum sequeretur, abire & sepelire patrem, Christus responderit, (a) *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, annuntia regnum Dei*: quanvis id veteres atque doctissimi Ecclesiæ Doctores adstruant: Insuper & quod idem Philippus fuerit ex Apostolis unus, quem Christus Dominus præcipua familiaritate ac consuetudine tractaverit, quod disertè proferunt loca ipsius textus Evangelici. * Hęc, inquam, aliaque, si quæ sunt huiusmodi, quanvis verissima atque indubitata, parum ad tractationem nostram conferunt, cui semper studiosius innitimur. Notabimus igitur quæ magis ad rem nostram spectant, quæ ferè tria sunt.

2 Primùm enim displicet, quod depingatur Sanctus Philippus ætatis adeò decrepitæ, ut septimum supra octogesimum annum innuat, quanvis hoc aperte colligi videatur ex Historiis, quas non satis approbat harum rerum scriptor purpuratus. * Contra verò placet, ut depingatur cum martyrii insignibus, nempe Cruce, cui affixus est, postquam fuit impetitus lapidibus: quod apud eundem Cardinalem affirmat Eusebius. (b) Quanquam enim non defuerint ex antiquis, qui de Philippi martyrio altum tunuerint silentium, ut certe tenuit Policrates ille Ephesiorum Epis-

(a) Luc. 9. 60. Clemens. Alex. l. 3. Stromat. Tertulian de Baptis. c. 12. D. Augst. ser. 62. c. 1.

* Ioan. 6. à v. 5. cap. 12. v. 20. & 14. v. 8.

* Card. Bar. in Notis ad Martyr. die 1. Maii.

(b) Euseb. in Chronico ad an. 12. Claudii. Vide Ioan. Boland. ad diem 1. Maii. pag. 10.

Policrat. apud Euf. l. 5. Hist. cap. 24.
* Clem. Alex. l. 4. Stromat. c. 5. Rab. Maur. apud Bol. 1. Maii p. 7.

Episcopus, imo & qui aperte asseveraverint illum in pace & citra martyrium finiisse vitam: * oppositum tamen omnino certius habendum est: cui suffragatur, præter veterum aliquorum testimonia, Ecclesiæ praxis atque traditio. Quod denique cum libro depingatur, recte quidem fit: Omnibus enim Apostolis hoc præclarum stemma convenit; cùm hi fuerint qui Evangelii doctrinam Gentibus annuntiarunt; quos propterea vocat Hilarius cælestis doctrinæ satores. Sed pessime facient qui ex apposito libro conjicerent Philippum aliquid Ecclesiæ scripto tradidisse, ut fecere ex Hæreticis nonnulli, quos damnat, sicut Philippi apocryphum Evangelium, Papa Gelasius: (c) imo & Sanctus Epiphanius testatur hujusmodi Pseudo Evangelium esse librum impurissimum, & suis Authoribus, nempè Gnosticis, longe convenientiorem, quodque effertur proverbio Latino, dignum patella operculum.

(c) Cap. S. Romana in Conc. Rom. D. Epihp. de Hæresib. l. 26. c. 13.

3 Sanctum Philippum comitatur S. Jacobus primus ille Jerosolymorum Episcopus, ipsiusque Christi Domini consanguineus, dictus propterea non semel in Scriptura *Frater Domini*. Cuius quidem si res mirabiles persequi studiosius vellemus, plurima hic dicenda forent, quæ tamen aliena essent à præfixo operis instituto. Verissima enim sunt, quidquid aliqui reclamare videantur, quæ de illo scripsere non solum Egesippus, Author Ecclesiasticus, (d) quem secuti sunt Clemens Alexandrinus, Eusebius Cæsariensis, Chrysostomus, aliique non pauci: verum etiam, quod mirandum videretur, addictus Judæorum placitis Josephus, qui & illud adjungit, excidium Hierosolymitanum in ultionem accidisse mortis Jacobi, quem Judæi unanimi consensu appellabant Justum.

(d) Heg. apud Euf. l. 2. Hist. c. 26. & ap. D. Hieron. lib. de Viris illu. in Iacobo Clem. Alexan. in Hipot. Chry. hom. 84. in Ioann. Epiph. in Panario Hæresi 78 Josephus Ant. Iud. l. 20. c. 8. Orig. etiã lib. 1. contra Celsum.
* Sup. l. 1 cap. 9. à n. 1.

4 Quod verò ad rem nostram spectat, pauca potissimum veniunt observanda. Primum quidem, quòd quanvis aliorum Apostolorum id commune fuisse aliquando supra observaverimus: * is tamen ex speciali vitæ præscripto, vestibus omnino albis, non laneis, sed lineis, quantum fieri potuerit, depingi omnino debet. Hoc enim disserte ex Hegesippi narratione tradit D. Hieronymo: (e) imò & lamina usum aurea in fronte, ex iisdem monumentis tradunt præter Hieronymum, Eusebius, & Epiphanius. (f) Deinde eumdem cum libro rectissime pingi debere certum est, non modo ob id quod nuper in S. Philippo annotavimus; sed quod (verba legis Hieronymi) *unam scripserit Epistolam, quæ de septem catholicis est, quæ & ipsa ab alio quodam sub nomine eius edita asseritur, licet paulatim tempore procedente obtinuerit authoritatem.* Neque id solùm, scripsisse dicitur, sed, ut testatur idem Maximus Doctor, *Evangelium, quod appellatur secundum Hebræos, & à me nuper in Græcum Latinumque sermonem translatum est, quo & Origenes sæpe utitur, post resurrectionem Salvatoris refert: Dominus autem cùm dedisset sindonem servo sacerdotis, ivit ad Iacobum, & apparuit ei. Iuraverat enim Jacobus, se non comesturum panem ab illa hora qua biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem à mortuis. Rursusque post paululum: Aferte, ait Dominus, mensam & panem, & benedixit ac fregit, & dedit Jacobo Justo, & dixit ei: Frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit filius hominis à dormientibus.*

(e) D. Hieron. loco ubi sup.
(f) Euf. l. 2. Hist. c. 22. Epiph. ubi supra.

5 Ad hæc, quod attinet ad martyrii instrumentum, quod præcipuum Apostolorum atque Martyrum gloriæ plenum stemma est, pingi debet cum rudiore illo fuste, aut ligneo vecte, quo fullones olim utebantur ad exprimendum ex madidis vestimentis aquam: hoc enim modo finisse vitam inclytam tradunt Authores quique præclarissimi iam supra allegati: sed pro omnibus audiatur Eusebius, (g) sive potius Hegesippus apud eumdem; ita enim post plura alia disserte habet: *Tandem ergo ascendentes, Justum præcipitem dederunt, dixeruntque ipsi inter se: Jacobum Justum obruere oportere lapidibus. Et quoniam dejectus in præceps, non statim mortem obiit: sed vultu sursum sublato, genibusque flexis dixit: Obsecro Domine Deus pater; da illis veniam, nesciunt enim quid faciunt; cæperunt saxa in eum conjicere. Cumque lapidibus illum obterere pergerent, unus de sacerdotibus & filiis Rechab filii Rechabim.... voce emissa contentius dixit: Quid agitis? Justus pro vobis Deum precatur. Attamen unus ab illis, qui fullo erat, arrepto vecte, quo vestes sca-*

(g) Eufeb. Hist. Eccl l. 2. c. 22.

lebant premere, in caput Justi impegit. Ita vitam beato & felici martyrii cruciatu affectus afflictusque amisit. Hucusque Hegesippus.

6 An autem depingi debeat idem Apostolus forma & specie vultus Christo Domino perquam simili, disputari hic poterat. Fuerunt enim non pauci, qui huiusmodi forma atque figura fuisse virum sanctissimum apertissime docerent, nixi testimonio, ut sibi videbatur, Ignatii Martyris longe præclarissimi: qui certè non fallerenrur, si Epistola quædam eiusdem Martyris Ignatii, quæ est ad S. Joannem seniorem, & numero secunda in iis quæ extant Latinè tantùm, præceduntque Græco-Latinas & habentur omnes tom. 1. Græco Latino Bibliothecæ Veterum Patrum; germanus esset fœus Ignatii. Sed hoc reiiciunt omnes doctores, qui de Epistolis tractant præclari huius Martyris: cuius septem tantum meminere Eusebius & Hieronymus, quas quidem nullus est Catholicorum qui rejiciat: quemadmodum etiam communiter admittuntur aliæ numero quinque, quæ illis septem adjunctæ, duodecim efficiunt: At non item quatuor illas, quarum hic proximè meminimus: idque meritò, cùm de earum fide constet saltem plurimum dubitasse, ac penè omnino easdem reiecisse duos magni nominis viros, tam purpura, quàm eruditione conspicuos Baronium ac Bellarminum. (h) Usque adeo vero certum putabant (nam hoc modo rem confirmare pergebant) Christum Dominum eiusque cognatum Jacobum cognominatum Justum, fuisse formâ sibi invicem similes: ut propterea proditor Christi Judas signum obtulerit iis quod Christum comprehensuri erant, ne unum pro altero manu caperent: quanvis alia prorsus sit illius loci magis genuina ratio, quam solito judicio probat Joannes Maldonatus: quòd nempe qui ad hoc facinus deputandi milites erant Romani, qui Christum neque audiebant, neque illis de facie erat notus. Sed hoc non magni momenti est; neque quod Christo Domino depingatur aliquantulum similis, non multum pietatis & veritatis intererit.

(h) Baron. Annal. Eccl. t. 2. ad ann. Christi 109. c. 34. Bellarmin. de Scriptor. Ecc. sect. 1. p. 56.

7 Tertia die mensis huius festiva exultatione concelebrat Occidentalis præsertim Ecclesia præclarissimæ Crucis Domini Inventionem. Qua quidem in re, si Eusebius ille Cæsariensis Historiæ Ecclesiasticæ extra omnem dubitationis aleam primus ductor & Coriphæus, eiusdem Inventionis texuisset historiam; non, ut arbitror, ausi essent Ecclesiæ hostes nonnulli (qui in id solum incumbunt, ut Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ narrationes unanimi consensu receptas, quantum in ipsis est, falsitatis, aut dubiæ fidei nomine convellant semper & labefactent) hanc ipsam de salutiferæ Crucis Inventione præclaram historiam iisdem titulis & nominibus infamare. Sed ille, Eusebius inquam, quod ultro fatendum est, de re hac altum tenuit silentium, non solum in Historia Ecclesiastica, sed etiam in libello illo de Vita Constantini, si tamen is germánus fœtus Eusebii est quod tamen dubitant, aut apertè negant etiam hoc perspicaci seculo Authores Orthodoxi.

8 Ceterum de veritate, antiquitateque Historiæ illius dubitare poterit nemo sani & non læsi capitis & judicii. Eamdem enim disserte narrant, scribuntque ad longum Authores gravissimi, inter quos certè sunt illi ipsi, qui eodem penè tempore scripserunt, quo eiusdem meminisse potuisset Eusebius: huiusmodi sunt Divus Ambrosius, (i) Sulpicius Severus, D. Paulinus Ruffinus, Socrates, Sozomenus, & Theodoretus. Sed quod Paulinus, elegantius nonnihil & fusius eam enarret vir semper mihi eruditionis & pietatis nomine commendabilis, temperare mihi non potui quin eius verba, quamquam paulo longiora, transcriberem. Is enim loco allegato, postquam non pauca præmisisset de S. Elena Constantini Augusti Matre, ita subiungit. „Regina illa venerabilis ut venit Jerosolymam, diligenter & pie locis illis & circa omnibus, divinorum curiosa insignium, & oculis haurire gestiens fidem, quam piis auribus literisque perceperat, Crucem Domini studiosissime inquirere adorsa est. Sed quæ via vel ratio inveniendi subesset, cùm index idoneus nemo inveniri posset, ubi memoriam & curam religiosæ conscientiæ, vel observantiæ, & „an-

(i) D. Ambr. Or. de Obitu Theodos. prop. fin. Severus Hist. l. 2. D. Paulin. Ep. 11. ad Severum Rufin. l. 2. c. 8. Socr. l. 1. c. 13. Sozomen. lib. 1. c. 1. Theodor. l. 1. c. 18.

„ antiquitas ævi, & superstitionis „ impiæ diuturnitas abolevisset? „ Verum ipso omnium & terris & „ animis opertorum conscio & teste „ Deo, fidelis mulier Sanctum Spi- „ ritum per affectum pium meruit: „ quo aspirante, cùm rem ab huma- „ na conscientia divinitus remotam „ frustra deligens requisisset, de lo- „ co tantum passionis certior fieri „ studuit. Itaque non solum de Chri- „ stianis doctrina & sanctitate plenos „ viros, sed & de Judęis peritissi- „ mos, ut propriæ (qua miseri & „ gloriantur) impietatis indices ex- „ quisivit, & accitos in Jerosoly- „ mam congregavit. Tum omnium „ una de loco testificationis confir- „ mata, iussit ilico, urgente sine „ dubio conceptæ revelationis in- „ stinctu, in ipsum locum operam „ fossionis accingi; parataque mox „ civium pariter & militari manu, „ brevi laborem istius molitionis „ hausit; & contra spem omnium, „ sed secundum ipsius tantum reginę „ fidem, alta egestione reseratis ter- „ rę finibus, abditæ Crucis arcana „ patuerunt. Sed cum tres pariter „ cruces, ut quondam fixę Domino „ & Latronibus steterant, repertæ „ fuissent; gratulatio repertarum cæ- „ pit anxia dubitatione confundi ju- „ sto piorum metu, ne forsitan aut „ pro Cruce Domini patibulum la- „ tronis eligerent, aut salutare lig- „ num pro stipite latronis abjicien- „ do violarent. Respexit pias fideli- „ ter æstuantium curas Dominus, & „ ipsi potissimum, quæ tam piæ so- „ licitudinis princeps erat, huius „ consilii lumen infudit, ut aliquem „ recens mortuum inquiri & inferri „ iuberet. Nec mora, verbum fa- „ ctum, cadaver illatum est: depo- „ nitur, jacenti una de crucibus ad- „ movetur, & altera: sed reorum „ ligna mors sprevit. Postremo Do- „ minicam Crucem prodit resurre- „ ctio, & ad salutaris ligni tactum „ morte profuga funus excussum, & „ corpus erectum est; tremefactisque „ viventibus stetit mortuus; & fune- „ bribus, ut Lazarus quondam, vin- „ culis expeditus, ilico inter specta- „ tores suos redivivus incessit. (j) „ Ergo Crux Domini tot operta „ ætatibus, & Judæis in tempore „ Passionis abscondita, neque gen- „ tibus in ædificatione fani terram „ sine dubio ad ipsam fabricam ege- „ rentibus revelata, nonne Divina „ manu latuit, ut nunc inveniretur, „ cum religiosè quæreretur? Ita, ut „ Crucem Christi decuit, experi- „ mento resurrectionis inventa & „ próbata Crux Christi est; dignoque „ mox ambitu consecratur, condita „ in passionis loco basilica, quę aura- „ tis corusca laquearibus, & aureis „ dives altaribus, arcano positam „ sacrario Crucem servat, &c. Hu- cusque vir Sanctus juxta pius atque elegans.

(j) Ioann. 11. v. 24.

9 Ex quibus satis annotata videre licet quæ in Pictura Historiæ hujus, si fortè eam depingi necesse sit, observari convenit. Nam quod ad ornamenta eiusdem spectat, depingi par erit Sanctam Elenam Augustali habitu, regiis insignibus ornatam, stipatam regio satellitio & comitatu. Deinde etiam Pontificali habitu Sanctum Macarium Antistitem Jerosolymitanum, adstantibus sibi Clericis. Quod reliquum est, tres Cruces prorsus sibi similes; quod vel ex hoc loco manifestè convincitur, (ut supra annotatum reliquimus, *) depingantur: duę in ipsa terra depositę, postrema verò erecta, & iuxta illam cadaver hominis reviviscens: quod pictori erudito sat erit facile. Hoc enim stupendo miraculo, ut annotant verba supra transcripta, ostensum & patefactum est, quænam ex erutis à terra esset vera Crux in qua Christus Dominus passus mortem, humanum genus à morte ęterna vindicavit. Nam quod Ecclesia, circunspectè ut semper, tantum asserat, feminam gravi morbo ægrotantem sanitati statim restitutam, illis verbis, (K) *Qui* (nempe titulus Crucis) *cùm ex tribus cui affixus fuisset non appareret, eam dubitationem sustulit miraculum. Nam Macarius Ierosolymorum Episcopus, factis Deo precibus, singulas cruces cuidam feminæ gravi morbo laboranti admovit: cui cùm reliquę nihil profuissent, adhibita tertia crux, statim eam sanavit*: Hoc nihilominus & verum est, & adductis verbis nihil officit. Potuit enim, ut opportunè annotavit Card. Baronius, utrumque contingere: imo & contigisse non obscure tradit, præter Paulinum & Sulpicium supra relatos, antiquioresque testes, qui tantùm de mortuo loquuntur; author Ecclesiasticę Histo-

* Lib. 3. cap. 16.

(B) Officium Eccl in festo Invent. S. Crucis lect. 5.

(l) Nicephor. Cal. l. 8. c. 29.

storiæ, quanquam non ita vetus, (l) illis verbis: *Dicunt quoque* postea (hoc est post sanitatem restitutam feminæ) *mortuo prorsus Crucem impositam, in vitam illum de repente revocasse.* Sed neque ipsa Ecclesia (ut mea fert opinio) dissentit, quæ in prælegato Ecclesiastico Officio mortuos contactu inventæ Crucis ad vitam rediisse concelebrat, dum ita habet: *Dum sacrum pignus cælitus revelatur, Christi fides roboratur.... Ad Crucis contactum resurgunt mortui, & Dei magnalia referantur.* Quare ut depingatur cadaver reviviscens satius atque opportunius esse existimo. In qua quidem re viros adstantes atque feminas admiratione commotos proponere propriissimum esset, imo & lepidum; puerulos metu correptos, matres suas prehendentes, quòd viderent moveri mortuum, &, quod vix aliquando fando audierant, reviviscere.

10 Monicam feminam ac viduam sanctitate clarissimam, Augustini Parentis, quam summi honoris semper, eximiæque reverentiæ causa nomino, dupliciter Matrem vocat Ecclesia jure merito: namque eum & Mundo & Cœlo peperit; mundo quidem: quia juncta coniugio in lucem ediditEcclesiæ futurum ingens lumen & columen: & cœlo denique; quia cum ipse juvenis, ut erat ingenio acri atque vehementi, quanvis in alvo Catechumenorum adscriptus esset, non satis, ut par erat, fidens Christianæ humilitati ac simplicitati, ex consuetudine eorum qui sibi nimium sapere videbantur, quales erant per id temporis Manichæi, in eorumdem prolapsus est absurdissimam sectam. Hoc (libet enim id de re hac velut in transcursu perstringere) omnes profecto sciunt, sed illud ignorare mihi videntur illi, inter quos nonnulli præcipuæ authoritatis & doctrinæ nomine numerantur, qui ob hujusmodi lapsum minus cautè quàm par erat asserunt Augustinum extitisse aliquando hæreticum: cùm promptum & facilè esset inspicere errorem illum Manichæorum, qui baptizatos homines proculdubio reddebat hæreticos, non baptizatos nec constituere nec dominare poterat: cum vel ipsis pueris notum sit hæreticum solùm esse illum qui baptizatus & fidem Christianam professus, admittit pertinaciter errorem contra Fidem, quod alias sæpè aliud agentes observavimus. Nunc ad rem. Igitur piissima Mater cum tulisset ægerrimè chari filii miseram sortem, lapsum illius iugibus lacrymis deplorare nunquam destitit, usque dum Medionalum, quò se Augustinus contulerat piissimo affectu prosequuta, illum saniorem mentem induisse, baptizatumque esse à Beato Ambrosio gratissimo gestienteque præ lætitia animo conspexit. Quo sanè factum est, utCælo gigneret quem antea mundo dederat. Quam rem Ecclesia pie decantans in eius Ecclesiastico Officio, hæc habet: *Augustini mater devotissima, quem carne prius pepererat mundo, charitatis visceribus postmodum multo semine lacrymarum genuit Christo.* Quæ breviter in honorem Magni Parentis, eiusdemque Matris piissimæ subnotavisse condonandum est ad proprium munus & institutum jamjam properantibus.

11 Monica igitur si depingenda occurrat (& occurret, ut ego existimo, non raro) pingi poterit, aut ea ætate, in qua Augustini casum sortemque deflebat, quæ fermè esse poterat annorum sex supra quadraginta: vel in ea ætate, qua jam diu destituta viro, Augustinoque filio recepto incolumi, Mediolano profecta, patriam atque Africam cogitabat: habebat autem ætatis tunc annos quinquaginta sex, ubi dissertè & citra omnem ambiguitatem asserit bonæ matris optimus filius. (m) Utrolibet autem pingatur modo, vestibus ornetur honestissimis, opertoque velo capite, quales nempe decebant feminam semper sanctis operibus intentam, & vel ante conversionem Augustini fletibus immersam, vel post conversionem: cùm jam rediret in Africam tantum cælestia cogitantem.

(m) Div. Aug. Confess. l. 9. c. 11. ad fin.

CAPUT V.

DE PICTURIS ATQUE IMAGINIBUS MARTYRII Beati Joannis Evangelistæ: Sancti Stanislai Martyris: & Sanctorum Domitillæ Nerei atque Achillæi.



UT fere est hominum ingenium rerum, mirabiliorum, immò & novitatum studiosissimum, non defuere sat bene multi etiam ex primi subsellii Authoribus sanctisque ipsis Patribus, qui tenuerint electum & dilectum Christi Discipulum Beat. Joannem Evangelistam, aut mortem nunquam obivisse, aut post obitam, statim excitatum à mortuis, aut denique reservatum à Deo, ut mortem quidem obiret, statim resurrecturus sub ipso mundi fine: quorum nomina & opinamenta longum esset persequi, neque omnino attinens ad præsens institutum. Videat qui volet, aut cui vacet, aliquos notatos in margine.* Nos enim ad alia properamus.

*D. Aug. in Ioann. hom. 124. Hilar. de Trinit. lib 6. Ephr. Antioch. ap. Phocium cap. 229. Andræas Cæsariens. c. 29. præter alios minoris authoritatis & ponderis.

2 Cum enim Dominus ipsi, fratrique Jacobo filiis Zebedæi primas in ejus temporali, ut cogitabant, regno sedes petentibus disserte dixerit, aut interrogaverit, (a) *Potestisne bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Illisque strenue affirmantibus; *Possumus*, subjunxerit: *Calicem quidem meum bibetis &c.* Quæstio suboritur, quam nemo fere est Sanctorum Patrum qui non attigerit; qua ratione fuerit completum Christi vaticinium: aut quo pacto uterque fratrum subierit martyrium? Illud enim, & nil aliud, calix ille erat, quem innuerat Christus. Quippe de Jacobo disserte narrant Apostolorum gesta, gladio interfectum ab Herode Agrippa verbis illis: (b) *Misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio*: de Joanne verò Evangelista nihil hujusmodi referunt Sacræ literæ: immo receptum esse constat ex Ecclesiæ traditione, testimoniisque magni ponderis, ipsum Ephesi jam nonagenario majorem mortem placidam pacatamque obiisse.* Dubitationem præ aliis disserte magis proposuit Hieronymus, cui quidem solito judicio atque eruditione respondet, allegans Joannis martyrium ex monumentis atque Ecclesiasticis historiis. Sed prætereunda non sunt verba Doctoris Maximi, (c) quæ sic habent: „Quæritur, quomodo calicem martyrii filii Zebedæi, Jacobus videlicet & Joannes biberint? cùm Scriptura narret Jacobum tantum Apostolum ab Herode capite truncatum, Joannes autem propria morte vitam finierit. Sed si legamus Ecclesiasticas Historias, in quibus fertur, quod & ipse propter Martyrium sit missus in ferventis olei dolium, & inde ad suscipiendam coronam Christi athleta processerit, statimque relegatus in Patmos insulam sit; videbimus martyrio animum non defuisse, & bibisse Joannem calicem confessionis, quam & tres pueri in camino ignis biberunt, licet persecutor non fuderit sanguinem.

(a) Matt. 20.22.

(b) Actor. 12.1.

*Ireneus lib. 2. cap. 39. & lib. 3. cap. 3. Eus. lib. 3. Histor. c. 23. Aug. serm. 253 c. 4. Hieron. de viris illustr. c. 9. Epiphan. lib. 51. c. 12.

(c) Div. Hieron. comm in Mat. c. 20.

3 Historias autem Ecclesiasticas, & monumenta, quæ hic Hieronymus commemorat, ea omnino censemus, quæ desumpta sunt ex magno vetustoque Authore Tertulliano, (d) qui, ut bene vidit illius Commentator Christianus Lupus, primus omnino fuit, qui Martyrium Joannis Evangelistæ literarum monumentis consignavit: hæc enim ejus sun verba: *Ubi Apostolus Joannes posteaquam in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam relegatur.* Quibus subscribit Ambrosius, & Hieronymus, (e) non solum allegato loco, sed etiam contra Jovinianum, ubi id habet post alia in eamdem rem, *Refert*, inquiens, *Tertullia-*

(d) Tert. de Præscription. cap. 36. Christianus Lup. ad hunc Tert. locum.

(e) Div. Ambr. in Psal. 36. D. Hier. contr. Jovinian. l. 1 c. 14.

tullianus, quod Romę missus in ferventis olei dolium, purior & vegetior exiverit quam intraverat. Quocirca ob eamdem rem Eusebius Cæsariensis (f) nihil ambigit illum appellare Martyrem.

(f) Euseb. lib. 3. hist. c. 32.

4 Hæc de re ipsa. Sed quod ad Picturam attinet, duo in illis, quæ frequentius circumferuntur, mihi majorem in modum displicent. Primum illud est: quod ut est Pictorum ingenium tenax eorum queis est imbutum, Sanctissimus Evangelista & Martyr Joannes in hoc præclaro Fidei costantięque suę testimonio admodum juvenis depingitur, atque ea propemodum ætate qua erat, cùm à Christo Domino vocatus est, ut esset sui Discipulus intimior, atque arcta consuetudine devinctus, quæ sanè juvenis erat, ut omnes norunt. Cùm verò martyrium est perpessus, excedebat ut minimùm ætatis suæ annum nonagesimum: quod bellè, si Deo placet, congrueret cum eo quod depingatur admodum juvenis in ipsa passione martyrii! Verum hoc, ut alia pleraque, quæ toto hoc opere annotavimus, aut certe omnia, non id efficient, ut Pictores aliud in tabulis ostendant: ea tamen annotavisse fuerit operæpretium, ut saltem id animadvertant, qui fuerint paulò eruditiores.

5 Alterum quod in Pictura hac nimium mihi displicet, illud est: quod Sanctissimus Apostolus in ingentem lebetem oleo, ut datur intelligi, non immissus pingitur, aut immersus; sed veluti genuflexus, & cui fervens oleum vix aut ne vix quidem genua contingeret: cum tamen missus aut immersus ex antiquis literarum monumentis satis ex supradictis constat. Neque id eò dico, quòd non existimem tam diro balneo non potuisse immani tormento cruciari, immò & omnino confici: sed quòd factum atque gestum in re hac non satis pictura exprimat: neque evasionis & indemnitatis præclari Athletæ miraculum commendetur oculis, quo factum est, referente jam allegato Hieronymo, ut in ferventis olei dolium immissus, purior inde exiverit quàm intraverit. Videat hoc cordatus atque eruditus Pictor, consideretque, an satius esset depingi senem collo tenus aut humeris immersum ingenti atque æneo lebeti, subjecto igne, quò magis res hæc spectantium oculis objiceretur. Sed surdis, ut opinor, canimus fabulam.

6 Septimâ ejusdem mensis die memoria colitur Stanislai Cracoviensis Episcopi: Cujus quanvis natalis dies incidat in sequentem, quòd hic assignatus sit Michaelis Archangeli solemniis: ejus festivitas huic, destinatur. De hoc verò Præsule, integerrimo viro undequaque meritis conspicuo, quodque caput est, præclarissimo Christi Martyre, nihil fere erat, quod hic ob instituti nostri rationem memoriæ mandaretur, nisi quòd in aliquibus Divi hujus imagunculis, quas videre mihi licuit, ejusdem præclara confessio non admodum exacta sit ad leges Historiæ. Pingitur enim confosus per latera à vulgari carnifice, Pontificali indutus habitu. Quod, nisi fallor, tria quæ commode annotentur atque emendentur à Pictoribus continet. Primum enim egregius Antistes, legis honorisque Dei zelator acerrimus occisus est intra sacri templi parietes, rem Divinam faciens. Ob quam rationem pingendus potius esset ornamento illo, quod Casullam vocamus indutus, & non cappa illa satis nota pontificali. Deinde non latera transfossus, sed in capite lethali & horrendo vulnere percussus. Tandem non à lictore carnificevè, quamquam supremæ dignitatis vir (horrendum dictu!) Boleslaus Rex Polonię nequissimus atque impurissimus lictoris & carnificis vicem egerit, depingi vulneratus debet: aut potius pingi rex ipse aliquo majestatis & dignitatis regiæ perornatus insigni, Præsulem sanctissimum convulnerans. Res tota satis continetur in eius Officio Ecclesiastico verbis illis: *Postremo impius rex Sacerdotem Dei, hostiam immaculatam ad altare offerentem, sua manu obtruncat.* At cùm elegantet, styloque magis Latino quàm decere Sarmatam posset quis putare, rem totam ob oculos proponat Polonicarum rerum Scriptor; (g) è re esse duxi narrationem hominis hìc subjungere: *Ipse*, inquit, *Stanislaus ad D. Michaelis ædem in rupe prærupta supra Vistulam, è conspectu arcis sitam, ad faciendam rem Divinam clam cum paucis sacerdotibus commeabat. Quod ubi Boleslaus*

(g) Martin. Cromerus de reb. Polonor. lib. 4 pag. mihi 61.

à

à suis certior factus, cognovit, quadam die correptis armis amens cum compluribus affeclis & satellitibus eò contendit. Præmittit qui Stanislaum sacris operantem ad destinatam necem ab ipsis altaribus abstrahant. Qui introgressi erant, subito & insolito fulgore perculsi, supini cadunt: inde manibus pedibusque reptantes sese proripiunt. Submittit rex alios iterum atque iterum: idem & iis, quod primis, accidit. Ille moræ impatiens, & furore percitus, increpita satellitum ignavia & formidine, ipse stricto ense in templum irrumpit, lethalique ictu sacrosancti Episcopi verticem ferit, ita ut cadens cerebro parietem proximum aspergeret. Hucusque laudatus Author. De Michaele vero Archangelo, cujus octava Mensis die Apparitio colitur, aliquid hic annotandum videretur: sed cum nihil, quod ad rem magis peculiariter accedat, subnotandum occurrat, satis erit si Lector ea recolat, quæ superius diximus agentes de Picturis & Imaginibus Angelorum.

7 Flaviam Domitillam illustri & Consulari plane sanguine progenitam cum Nereo & Achilleo servis famulisque ejus Martyribus, etiam Romana Ecclesia decima hujus mensis die concelebrat, quamquam præfatæ Domitillæ memoriam contineat Martyrologium Romanum ipsis Nonis, sive die septima Maii. Quantæ verò nobilitatis præter virtutum splendorem fuerit hæc præclarissima Virgo, operosius differere non est hujus loci: præterquamquod rem eamdem optime exequitur Cardinalis Baronius, insuperque & Hispanicarum rerum optimus illustrator idemque V. Cl. D. Nicolaus Antonius in Bibliotheca Veteri Hispana. (h) Sed neque in ejus Martyrio, quod, in censo cum Euphrosina atque Theodora Virginibus suis ipso quo morabatur cubiculo, consummavit: atque adeo de eius Imaginibus atque Picturis nihil, quod specialius annotetur, occurrit. Quare eam libenter præterirem, nisi me moveret annotare aliquid, quod hucusque annotavisse distulimus. Historiæ enim monumentis consignatur Divam hanc præclaramque feminam sacrum virginitatis velum à Beato Clemente Romano Pontifice suscepisse. Circa quod selectiora saltem observare poteramus: sed plura congerere non est cordi. Illud interim certum atque exploratum est, ab initio nascentis Ecclesię moris fuisse, ut dicatæ Deo Virgines solemni ritu ab ipsis Episcopis sacro velamine tegerentur: quod satis constat, apparetque non tantum ex vetustis Authoribus sanctisque Patribus, sed etiam ex ipsis Canonibus Ecclesiæ, Sacrisque Conciliis.*

(h) D. Nicol. Ant. Bibl. Vet. Hisp. t. 1. l. 1. c. 10. n. 249.

8 Sed neque id satis fuit Christianæ modestiæ atque pudori. Cum enim Paulus Apostolus tam serio commendet feminarum in Ecclesiis velamina, factum est, ut usu ipso ac S. Ecclesiæ consuetudine omnes omnino feminę tam virgines à pubertatis annis, quàm nuptæ, atque etiam viduæ, non quidem sacro sed communi velo tegerentur: & antiquus gravissimusque Author Clemens Alexandrinus (i) præceptum ab Apostolo Christianis mulieribus putat esse, non tantum velo caput obtegere, sed & vultum totum obvelare. Unde moris etiam fuit, ut aliquæ, prę[s]ertim Deo dicatę virgines, non jam velo, sed pallio, rudiorique panno totum caput vultumque obnuberent. *Solent quædam*, inquit Hieronymus, (j) *cum futuram virginem spoponderint, pulla tunica eam induere, & furvo operire pallio.* Itaque hoc modo institutæ Christianę mulieres, gravissimum dispendium pudoris se pati existimabant, si capitis velamine nudarentur: quod callide advertentes Christiani nominis hostes ac persecutores, feminarum quæ Christo nomen dederant loco ignominię suppliciique, jussere sæpius nudari capita. Ita quippe habetur in sinceris germanisque Actis Sanctę Areæ Martyris: (K) *Cum ille, hoc est persecutor, audisset, jam corde succensus, aspexit in eos qui aderant: & cum dixisset: Quam impudenter se gerit adversus nos hæc exsecranda mulier, jubet eius capitis auferri tegmentum, & eius filiarum: & sic eas nudo capite, & promissa coma in castra deduci per ignominiam.* Hucusque Sanctæ Martyris Acta.

* Vide Tert. toto lib. de velandis Virginib. Ambros. lib. ad Virgin lapsam. Hieron. ep. 8. ad Dem. aliosq. Gelas. in Côcil. Roman. cap. 14. q. 20. Innocêt. Pap. dist. 27. cap. Quę Christo, aliaque passim iura.

(i) Clem. Alexand. lib. 2. Pœdag. c. 10. & lib. 3. c. 11.

(j) D. Hieron. epist. 21. ad Gaudent. & epist. 8 ad Demetriadem.

(K) Apud Baron. in Notis ad Martyrolog. ad diem 7. Maii.

9 Verùm non id solùm piis ac Christianis mulieribus (lubet enim hoc, quo magis rei gravitas dignoscatur, adjicere) curę fuit, sed etiam Judæis, Gentilibusque etiam, ut putabantur, barbaris. De Judęis hæc Ter-

Tertullianus habet: (l) *Apud Iudæos tam solemne est feminis eorum velamen capitis, ut inde dignoscantur.* De Romanis verò, ut constet idem, sat illud esse potest quod refert Valerius Maximus: (m) *Horrendum*, inquit, *C. quoque Sulpicii Galli maritale supercilium: nam uxorem dimisit, quòd eam capite aperto foris versatam cognoverat.* In quam quoque sententiam Tacitus de Poppęa Sabina sic habet: (n) *Rari in publicum egressus, idque velata parte oris, ne satiaret aspectum, vel quia sic decebat.* Sane Plutarchus de Romanis loquens, testatur feminas velato capite incedere consuevisse: (o) *Solent*, inquit ille, *mulieres tectis, mares nudis capitibus in publicum progredi.* Quod ad Græcos attinet, Apulejus idem locuples testis confirmat, cum dicit, (p) *Mulieres candido splendentes amicimine solere progredi.* Tandem idem Plutarchus: (q) *Lacænæ*, inquit, *virgines aperta facie, uxores autem velatæ in publicum prodire consueverunt: illæ ut sic maritos invenirent: hæ verò, ut ostenderent, non jam alteri quam viro placituras.* Denique quod ad barbaras nationes spectat, eumdem morem observavisse nulli non est pervium. Quippe Tertullianus de Arabiæ Ethnicis mulieribus sermonem instituens, (r) *Iudicabunt nos*, inquit, *Arabiæ feminæ Ethnicæ, quę non caput solum, sed faciem quoque ita totam tegunt, ut uno oculo liberato contentæ sint dimidiam frui lucem, quam totam faciem prostituere.* Quibus alia plura satisque nota adjici possent, quæ lubens prætereo.

(l) Tert. de Coron. Militis.

(m) Valer. Max. lib. 6. cap. 13. de Severitat. n. 13

(n) Corn. Tac. hist. lib. 14.

(o) Plut. in Problematib.

(p) Apul. de Asino lib. 11.

(q) Plut. in Apophteg. Laconicis.

(r) Tert. de Velandis Virginib.

10 Sed quid opus multis? cùm apud Mahometanas feminas, sive in Asia, sive in Africa, sive in Europa, eodem quo Tertullianus describit modo contegi caput faciemque religiosit, quam penè superstitiosè custodiunt, ut abundè nobis referunt testes oculati. Immo non à recenti tempore, sed ipsis prisci ævi temporibus hunc viguisse morem multis, iisque selectis atque opportunis, annotaverit reconditæ lectionis vir atque eruditionis, in libro, (s) quem edidit ad illustrandam Regiam illam legem circa velatas mulierum facies; quem adeat quisquis ad satietatem de re hac nosse ac penitiora inspicere velit: nobis enim hæc carptim perstrinxisse suffecerit, qui nostro instituto obsequuti, illa eo fine notavimus; ut Pictores modesti atque eruditi ab ea consuetudine deterreantur, qua Virgines Christi, easque Martyres, ita depictas cernimus, ac si planè essent Helenæ atque Veneres, flava cęsarie, vivida & rubente facie, capiteque prorsus aperto, ne quid alia commemorem, minus fortasis honesta, & quæ cum virginali pudicitia, apud Christianos observari solita nullatenus cohærent.

(s) Antonius Leo Pinel. lib. quem ita inscripsit: Velos antiguos y modernos.

11 De Nereo denique & Achilleo fratribus, Domitillęque famulis, nihil fere est quod hìc observemus, nisi quod illi, sicut & Joannes & Paulus, aliique, qui non rarò occurrunt, depingi debent facie eunuchi formam præ se ferente. Hi etenim qui feminis illustribus servitio ac famulatui destinabantur, eunuchos ferme atque castratos homines esse consuevisse, nemo est qui nesciat: quod etiam ex sacris literis confirmari posse non dubitamus, ubi passim leguntur eunuchis regum impleta palatia: * immo hodie vix ab aliis aut ne vix quidem apud Turcas eorumque Imperatorem mulieribus in aula regia servatis serviri cautum est, eâ severitate, ut illi omnino ac penitus exsecti fieri cogantur, ut serviant, feminisque ministrent. Quod unanimi consensu affirmant Turcicarum rerum scriptores.

* Genes. 32. 36. 1. Reg. 8. 14. 3. Reg. 22. 9. &c.

Vid. Petrum de la Valle.



CA-

CAPUT VI.

DE PICTURIS ET IMAGINIBUS SANCTORUM Dominici Calceatensis, Petri Regalati, & Isidori Agricolæ, Hispanorum.



1 Quamquam non admodum multa, neque omnino recondita sint, quæ de Divis Dominico Calceatensi, Petro Regalato, atque Isidoro Agricola, quod ad hujus operis institutum attinet dicenda atque annotanda occurrant: tamen cum aliqua utcumque sint, preteriri non debuerunt in libro ab Hispano homine conscripto. Et quidem Dominicum Calceatensem, magnę sanctitatis atque opinionis virum, magnorum etiam, immò & ingentium operum structorem celeberrimum, & à quo Urbs, quę appellatur vulgo apud nos *Santo Domingo de la Calzada*, nomen omnino desumpsit; & illa quidem olim Episcopali dignitate fulsit, & Ecclesia Cathedrali etiam num ornatur; usque adeo ut Episcopus ipse Calagurritanus titulo insigniatur Episcopi Calagurritani & Calceatensis: Hunc, inquam, talem tantumque virum, non desunt, non dico ex Scriptoribus aut politioribus, sed saltem è rudioribus & popularibus, qui vulgari opinione aut præiudicio imbuti, ipsum existiment Benedictini Instituti Monachum. Quo fit, ut si ex illis aliquis pingeret (posset enim Pictor aliquis harum rerum non admodum esse peritus) aut iuberet depingi Divum hunc, Benedictino habitu, ipse contra rerum fidem appareret depictus. Sed hoc non sine errore, quamquam minime pernicioso, pugnante tamen cum historia, rerumque gestarum veritate. Verum etenim est, Divum hunc, qui floruit seculo XI. decessit verò ineunte XII. iuvenem adhunc ardenter petivisse Benedictinorum Monachorum consortium atque Habitum, quem tamen nunquam obtinuit. Sed audiatur Officium eius Ecclesiasticum, quo in Hispania memoria ejus percolitur, rem totam dilucide enarrans illis verbis. *Id verò* (nempe Deo adhærere, mandatisque eius firmius obedire) *sub regulari disciplina se facilius consequuturum existimans, primum ad Abbatem Vallis Veneriæ Ordinis Sancti Benedicti, deinde ad Monasterium Sancti Æmiliani eiusdem instituti supplex accessit, ut in Monachorum consortium admitteretur. Passus tamen utroque loco repulsam, Deo illum ad maiora disponente, in Oratione assidua, variisque corporis cruciatibus, per quinquennium vitam duxit eremiticam in deserto Burebæ, constructo humili tugurio, & Deiparæ virginis sacello.* Pingi igitur debet Dominicus Calceatensis, non Habitu Benedictino, sed simpliciore illo eremitico, qui constat tunica, pallioloque: quin ex hoc aliquis bono jure inferat fuisse Benedictinum Monachum; immò oppositum inferre quisque potest ac debet.

2 Neque id annotavisse curæ mihi fuisset, nisi me viri perillustris, immò & Excelentissimi, atque de Historia & antiquitate Ecclesiastica multum benemeriti permovisset authoritas. (a) Is enim rejiciens Benedictinum Monachatum Sancti Fructuosi civis ac Patroni Segoviensis (quem ex monstrosis historiis Juliani, Pseudo Luit-prandi, & Auberti Hispalensis non defuere qui propugnarent) eo argumento utitur, quod ex antiquis Picturis & imaginibus capitur; in quibus prædictus Sanctus Fructuosus non Monachali sed Eremitico Habitu proponitur: quod frustra conetur evitare, si recurrat ad nescio quod Institutum Benedictinum Eremiticum. Hoc enim effugium, qualecumque est, pręclusere jam viri doctissimi, atque de Actis gestisque sanctorum insigniter benemeriti. (b) Sum quidem ipse, fateor, & fatebor id libentissime, Instituti Benedictini atque Ordinis æstimator studiosissimus: sed verus honor & qui maximis innititur fundaminibus, profecto nō indiget falso atque adscititio.

(a) Marchio de Mondejar, antea Acropolitanus in dissertationib. Eccl. diss. 1. cap. 4. n. 2.

(b) Henschen. in Actis SS. Martii to. 3. p. 263.

3 Ut in voluptates, gulam, atque delicias prona est corrupta hominum natura, non desunt adhuc aliqui, neque iis tantùm de infimo vulgo, sed (quod dolendum est) de his etiam qui supra vulgus eminent; quorum aliquos ipsemet de re hac serio, ut sibi videbatur, audivi differentes, qui sentiant D. Petrum Regalatum, asperrimi severiorisque Instituti Magni Parentis Francisci observantissimum, immò & primum in nostra Hispania Reformatorem strictissimum, ita dictum fuisse, quòd cibo etiam lautiori paulo largius indulgeret; essetque proinde laxius, delicatiusque etiam innutritus. Quapropter si ab aliquo, errore hoc seducto, aut pingeretur, aut juberetur depingi; Divus ipse certe exhiberetur, qualem sese exhibuit qui olim dixerat;

Me pinguem & nitidum bene curata cute vises,
Cùm ridere voles, Epicuri de grege porcum.

Verum deliria hęc erroresque penitus crassi, longe absint, non solum à piorum sed etiam à cordatorum quorumcumque animis ac mentibus; ne contingat, ut Pictoris alicujus judicium (quod sanè semper in Pictore desiderabitur) transversum agant, tametsi fefellerint aliquando proletariæ plebis homunculos, quibus erroris ansam præbuit male intellectum cognomen hujus eximiæ sanctitatis & Christianæ pœnitentiæ viri, quem hac præcipuè laude honorat Ecclesia, illum vocans *Carne mortificatum.* Etenim cognomen illud *Regalado,* quod sanè familiæ, & quidem conspicuæ atque nobilis, in Urbe Pincia est, aut olim fuit; & quod Hispanica elocutione idem est atque deliciis cupediisque indulgens: id effecit ut quod merum nomen, undecumque illud à majoribus provenerit, nec quidquam aliud est, rerum ignoratione transferatur ad mores.

4 Isidori Agricolæ, civis (ut creditur) Patronique Inclyti Matritensis, celebrior fortasse fuisset memoria, si temporibus floruisset, quę rebus conscribendis consignandisque literarum monumentis fuissent intentiora. Illius tamen res præclarè gestas, vitamque sanctimonię atque innocentiæ testimoniis abundè refertam scripsit Joannes quidam Diaconus, ex quo alii mutuati sunt: cujus quidem Scriptum autographum servatur hodie in Ecclesia Parochiali Sancti Andrææ: insuper & ejusdem templi meritissimus Rector, immò amplissimis longe honoribus etiam dignissimus, amicusque cum primis noster Doct. D. Joannes de Ferreras, (c) illud penes se habere affirmat. Fuit autem Isidorus, ut ipsum cognomen vulgò prę se fert, Agricola; immò, quod minus Mundo videbitur, non propriorum agrorum cultor, sed heri sui mercede conductus. Herus autem, qui per id temporis, nempe seculo XI. sequentique, unus ex pręcipuè nobilibus Matritensibus habebatur, fertur esse *Ibanus de Vargas*, aut, quod ego verius existimo, *Ioannes*; inscitiâ enim seculi, cum Hispanicè *Ivàn* pro *Juan* scriberetur, neque melior esset lectio quàm scriptio; eum qui appellatione Hispanica *Juan* nominabatur, *Ivàn* passim, litera *v* consonā pro *b* ptolata, nuncupabant. Quod, quanvis cursim, & veluti aliud agentes, animadvertisse libuit ac licuit.

(c) Dom. Joan. Ferrer. hist. Hisp. ad ann. Chr. 1130. p. 270.

5 Ab hoc tali tantoque viro, hoc est tam insigniter sancto, Matritenses agri per illud temporis colebantur, qui proinde nil mirum quòd redderent, ut fama est, uberrimos fructus, magis fortasse grati piæ culturæ, quàm ubertate glebæ, quæ certè optima est, suapte natura divites. Succurrit enim illud, quod scitè atque eleganter Plinius admonuit agens de fertilitate Romani agri, cuius veterem fœcunditatem adscribit dignitati cultorum; (d) *Ipsorum*, inquiens, *manibus Imperatorum colebantur agri (ut fas est credere) gaudente terra vomere laureato & triumphali aratore.* Atque hęc pauca encomii quantumlibet exigui delibasse sufficiat honoris ergo ac reverētiæ erga tantum Patronum, cuius meritis acceptam fero longioris vitę usuram (utinam quàm largè data est, melius fuisset impensa!) cùm enim, ut accepi ab iis qui me de re hac potuerunt facere certiorem, nondum quadriennis in periculosum morbum incidissem, jamjamque computarer inter eos certè plurimos,

(d) Plin. Hist. Nat. lib. 18. c. 3. prope fin.

Quos dulcis vitæ exortes, & ab ubere raptos
Abstulit atra dies & funere mersit acerbo;

Æneid. lib. 6.

piissimo ac potentissimo Patrono ab ipsa parente oblatus, ferè repente, non

non sine admiratione convalui : in cuius rei monumentum voto concepto appensa est in Divo huic rusticanâ Aediculâ, quam Hispanicè appellamus *Ermita*, imago mea in tabella depicta, quæ fortasse extitit ad hæc usque tempora, in quibus viri Excellentissimi operâ, studio, atque impensis, vetus sacellum ampliatum, & decentiori digniorique structura renovatum est.

6 Iam quod ad Picturas & Imagines Isidori attinet, frequentior præ omnibus occurrit illa, in qua Agricola Sanctissimus depingitur arans iugo boum, coelum nonnihil suspectans; utpote qui, tametsi terram operosè coleret, cœlum potius, veram patriam, & viventium terram cogitaret & sidera: ut proinde non incongrue hic dicere quis posset, *Cœlum findetur aratro.* Sed doleo ego, cùm hanc imaginem specto, deesse illi duos, non quidem Agricolas, sed Incolas Cœlestis Curiæ Angelos, ab uno alioque latere locatos, illiusque vicem in agrorum cultura supplentes. Quod quidem longè fidelius atque felicius rem gestam ob oculos proponeret Pictor, quam ego narrare volo, non aliis verbis, quàm iis quibus utitur Ecclesia in eius Officio Ecclesiastico; ubi post enarratam viri Sanctissimi quotidianam solicitudinem, qua primo mane, non primo se labori dabat, quàm Ecclesias in Deiparæ, Sanctorumque honorem dicatas sedulo visitaret; illa subiungit: *Quare cum illius moram agri dominus graviter ferret, atque ex editiore loco quadam die, ut eum liberius increparet, Agricolam opperiretur; binos Angelos candida veste, duplici boum iugo arantes, mediumque inter illos Isidorum conspexit.* Quo nihil uberius atque expresius dici potuit.

7 Alia autem gesta viri Sancti, atque miracula, descipta sunt eleganti manu D. Francisci Riccii, Pictoris Regii, in magnifico ac regio prorsus sacello, quod eidem Isidoro dicavit Hispaniarum Rex Philippus Quartus, coniunctum sub eodem tecto ac contignatione eidem Templo Parochiali Sancti Andreæ Apostoli, in cuius olim cæmeterio jacuerat totos quadraginta annos, adeo integrum & incorruptum, ac si jam induisset immortalitatem. Inter has Picturas illa est, in qua cernitur ingens illud prælium commissum ab Alfonso Castellæ aliisque Hispaniæ regibus colligatis, cum Maurorum exercitu formidando in planicie quam vocant *las Nabas de Tolosa*: ac juxta præliantes Isidorus est vulgari sibique consueto & rusticano habitu amictus. Qui quidem ita hic pingitur, quòd creditum vulgatumque fuerit à plurimis, rusticum illum ignotum, qui nostris multum dubitantibus adire montis prærupta, viam semitasque commonstraverit, (de quo mentio est apud Scriptorem antiquum, & qui ipsi prælio interfuit, Rodericum Ximenium (e) Antistitem Toletanum) non alium fuisse, quam Isidorum nostrum Agricolam, qui gratus & benevolus erga Patriam, suppetias ferre voluerit Regi, pro illa atque Religione dimicanti. Quam rem licèt plures, iique graviores, silentio obvolvant; quod alii item plurimi pietate ac devotione ducti, & credant & asseverent, nihil prohibet.

(e) D. Roder. Xim. de reb. Hisp. l. 8. c. 7. ad fin



CAPUT VII.

DE PICTURIS SANCTI PETRI CÆLESTINI, Bernardini Senensis, Mariæ de Socos Virginis: item Mariæ Magdal. de Pazzis & Sancti Urbani Papæ & Martyris.



1 AB Agricola transitum facimus ad Eremitam: hujusmodi enim fuit Sanctus Petrus de Morono, à nomine quo Pontifex est appellatus, dictus Cælestinus. Is igitur Anachoreticæ vitę sectator, & postea Congregationis Monachorum, qui ab eo postmodum dicti sunt Cælestini, sub Regula S. Benedicti, fundator atque institutor, cum insigni prorsus virtutum laude floreret, novo atque inusitato exemplo inscius & invitus ad sublimem Pontificatus apicem est evectus anno Domini M.CC.XCIV. ętatisque suæ nono supra septuagesimum. Ipse tamen tam longè aliis curis perfunctus, occupationibusque suetus, novo & sibi, magis quàm alii, gravissimo onere pressus, insuper & candore miro animi ac simplicitate non minus quàm aliorum pessimis artibus inductus, Pontificatu sese abdicavit, quod ante eum fecit nemo, nec post fortassis alius est facturus. Itaque privatæ vitæ redditus, &, quod magis stupendum est, mancipatus immiti custodiæ, biennio post eius ad Pontificatus assumptionem, non sine miraculorum gloria, ad sublimiorem apicem, excellentioremque in Cælis sedem à Deo vocatus est anno Dom. M.CC.XCVI. relatus postea in Sanctorum catalogo in ipso Concilio Viennensi à Clemente V. an.M.CCCXIII.

2 Imaginem & Picturam huius viri, supra quam dici potest Sanctissimi, semel aut iterum inspeximus: in qua descriptus est veluti in ipsa abdicatione Pontificatus, per manus tradens Clericis ac Cardinalibus insigne illud honoris, rotundi & infulati pilei triplici corona circumdati, quod vulgo *Tiaram* appellant, atque in Italia voce vernacula nuncupant *Triregno*: quod longe ab erroris nota censeri debet. Nam etsi huiusmodi insigne antiquum in Ecclesia non sit, immo ab ipso Papa Bonifacio VIII. successore Cælestini adinventum fuisse, sint qui asserant, ex quibus constanter memini in illorum aliquo legisse observavisseque, quem tamen hucusque reperire non potui: tamen cum per quatuor ampliusque secula, quibus Pictura magis in dies floruit, acceptum sit insigne illud *Tiarę* pro proprio & peculiarissimo Romani Pontificis; factum est ut Pictores, rerum huiusmodi indagatores minus exacti, etiam Romanis Pontificibus veteribus ornamentum illud adscripserint, quo semper denotata est Summi ac Romani Pontificatus dignitas: adeo ut scientiarum ac virtutum Mater Academia Salmanticensis, quam honoris & reverentiæ causâ nomino, & cuius alumnum, unumque (licèt immeritum) è Doctoribus memet semper profiteor profiteborque; quæ quidem pro stemmatibus nil aliud gestat quàm Ecclesiæ Claves, Tiaramque ipsum Pontificium: suo id ipsum judicio videatur confirmavisse.

3 Quòd verò Tiaræ usus recentior sit in Ecclesia, ne cui mirum videatur, nonnihil hic attigisse placet de ornamento Episcopali vetusto magis atque usu recepto, quod *Mitram* vocant. Itaque de hoc disserens scriptor juxta pius ac diligens, dignitateque conspicua suspiciendus, ita habet. (a) *Quidam existimant recentem adinventionem esse, quę circa annum Christi millesimum inceperit. Quam opinionem probant primò ex tabulis & aliis veterum monumentis, in quibus tam summi Pontifices, quàm reliqui Episcopi omnibus quidem Pontificalibus ornamentis induti, sed nudo*

(a) Cardi Ioan. de Bona de Reb.Litur. l.1.c. 24.n.14.

nudo semper capite delineati apparent. Secundò ex libris ritualibus ante annos septingentos scriptis, & ex antiquis rerum Ecclesiasticarum scriptoribus, qui cùm satis accuratè omnia indumenta Episcoporum recenseant, de mitra tamen prorsus silent. Alii è diverso mitræ usum putant ab ipsis Apostolis fluxisse, idque variis rationibus & testimoniis suadere conantur: contrariam verò sententiam fluxis dumtaxat argutiis niti aiunt, atque omni solido fundamento destitui. Et nonnullis interiectis, *Ego autem*, inquit, *crediderim utramque opinionem posse facillime conciliari, si dixerimus mitram quidem, qualis est hodie, nuperum ornatum esse, qui ante millesimumChristi annum vix fuerit in Ecclesia.* Quæ omnia dicta sint non admodum, ut credimus, importunè; ut ex illis constet usum Mitræ, qua hodie in Pontificalibus utuntur Episcopi, ipseque sæpius Romanus Pontifex esse in Ecclesia non admodum antiquum, quamquam à Pictoribus Episcopis etiam primorum temporum adscribatur; multoque minus Tiaræ, quâ solum ornatur Romanus Pontifex, tametsi etiam tribuatur frequentissime Romanis priscis Pontificibus. Sed si quis erit, qui de Mitræ, tam sacræ quam profanæ usu plura velit noscere, is adeat multæ lectionis virum Lælium Bisciolam Soc. I. in Horis subsecivis lib. 17. c. 13. nobis enim cuncta persequi non est cordi.

4 Sancti Bernardini Senensis, Religionis Seraphicæ præclari supra quam verbis exprimi potest ornamenti, si res gestas quantunvis breviter & compendio instituti nostri ratio sineret aut ferret, plurima hic scribenda forent, quæ tamen relinquimus eiusdem Seraphicæ Religionis Scriptoribus, qui sicut alii etiam exteri, plurima de viro Sanctissimo & doctissimo literis tradiderunt. Quod ad Imagines eius spectat, illud in primis constat, fuisse Bernardinum, non solum decora & liberali, sed etiam venusta pulcherrimaque vultus & faciei forma: qua olim factum est, ut hac multum obsistente ac repugnante;

—Rara est adeo concordia formæ
Atque pudicitiæ,————

egregias reportaverit de diaboli insultibus, & petulantis lascivię fraudibus victorias. Et quanquam jam senex obierit, & durioris pænitentię atque Evangelicæ prędicationis laboribus fractus, expleto nimirum ætatis suæ anno tertio supra sexagesimum, qui fuit Nativitatis Christi M.CDXLIV. tamen credibile est oris speciem maiestatemque, quantum senem, & gravissimum deceret virum, servavisse, Deo sic ostendente animi puritatem atque candorem. De tabella illa, quæ illi semper appingitur, appingique debet, in qua radiis undique promicantibus emicat consuetis literis nomen illud sanctissimum Jesus, dicerem hic aliqua, nisi dixissem supra agens de eodem Sanctissimo Nomine. (b) Pingi etiam solet, & debet, jacentibus ad pedes insignibus Episcopalibus mitris nempe, de quibus nuper nonnulla diximus: tribus enim neque minus, iisque sat illustribus sponte oblatis, immò ad ipsum anxie convolantibus, nuncium constanter remisit vir humilitati deditissimus. Fuerunt autem Urbicum Senensis, Ferrariensis, & Urbinatis, à quibus gerendis supra caput sese continuit, abstinuitvè; ut proinde meritò reiectæ depingantur ad pedes. Denique par est, ut quamquam sine Doctoris laurea, insignibusque illis usitatis, depingatur tamen ut Doctor: pios enim ac doctos libros conscripsit; concionesque non vulgari eruditione refertas: quæ omnia Seraphicus Ordo in lucem referri curavit, extantque typis editę Lugduni quinque tomis ann. MDCL.

(b) Sup. l. 3. in Appendice capitis 2.

5 Celebris est Sanctimoniæ laude Sancta Virgo, primaque Regii Ordinis nostri Monialis *Maria*, à patrio cognomine de *Cervellò*, à favore verò sæpius præstito navigantibus, vocata *de Socòs*, sive *de Subsidio*: Cuius dies festus, cum hucusque esset XXV. Septembris; novissimè tamen ex decreto Ss. Domini nostri Benedicti XIII. felic. rec. mutatus est ad diem XXI. Aprilis sub ritu duplici secundæ classis cum octava, pro universo Ordine, assignato etiam eidem Divæ in Martyrologio Romano insigni ac magnifico elogio. Eiusdem Vitæ Synopsim sive Epitome nos olim conscripsimus, atque typis dedimus Salmanticæ 1695. ad quam huius Divæ studiosos libenter remittimus. Quod verò ad illius iconem attinet, illud tan-

tantummodò occurrit prænotandum, quod scilicet alterâ manu, nempe dexterâ, pingi debet navigium tenens velis ornatum, ac reliquo ad eumdem spectante apparatu: hocque jure merito; nam sæpissimè visa fuit auxilio suo succurrisse in mari periclitantibus; undè (quod nuper dixi) cognomen accepit. Alterâ, sive sinistrâ, tenens candidum lilium, insigne prorsus castitatis, atque omnino illibatæ pudicitiæ: quin aliud hic occurrat annotandum. Nam quod videatur in hujusmodi imagine navis illa (de qua nuperrimè) instructa armamentorum genere, quæ tormenta bellica passim appellamus, etsi nonnihil levioris errati contineat, cum inventum illud ferale pulveris pyrii nondum esset excogitatum temporibus huius Divæ; anachronismus est, in quem vix homines scrupulosiores impingant.

6 Virtutis lauros palmasque toto hoc capite ferat Hispania, Italiaque. Nam Hispanam Barchinonensemque Virginē sequetur Hetrusca Virgo, qua lis certe est Beata Maria Magdalena de Pazzi: de cuius immensa virtutum laude, cælestiumque charismatum cumulo satius ducimus multa, eaque admiratione dignissima, tacere, quàm pauca cursim ac properanter delibare. Nunc quod ad eius imagines spectat, frequenter illam depictam aspeximus eâ ferè ætatulâ, quæ vix decimum sextum ætatis annum excederet: cùm tamen iuxta regulam non incongruè superius præscriptam, Divi Divæque ea propemodum ætate depingendi sint, qua in humanis esse desierunt: ipsam autem exuisse mortalitatem, satis constat, ineunte anno ætatis suæ secundo supra quadragesimum; quippe quæ nata anno M.DLXVI. secunda Aprilis, Florentiæ diem supremum obiit M.DC.VII. vigesima quinta Maii. Quare satius esset & aptius ut supradictæ ætatis depingeretur. Neque vero me latent duo, quæ hic non incongrue ab iis qui secus faciunt reponi possent. Primum: quòd virgines oneribus levatæ coniugii florentem iuventam diutius & vigorem conservent: quod sæpè videre licet etiam in iis, quæ non ita eximia sanctitate pollent. Secundum: quòd assueta divinis charismatibus extaticisque visionibus Diva fuerit: eos autem quibus huiusmodi planè cælestibus deliciis uti contigit; præsertim dum illis perfruuntur, observatum sit sæpius, mirandum in modum juvenescere. Quod plurimis exemplis probare esset promptum, etiam ex vita, rebusque gestis huius præclaræ Virginis petitis.

7 At verò qui duo hæc objiceret, duorum etiam debebat meminisse: Quorum primum est: Divam hanc, sicuti & alias, non otio aut commodæ quieti unquam indulsisse, sed abstinentissimæ asperiorisque vitæ laboribus, exercitationibusque carnem ac vires corpusculi retudisse, atque ad extremam propemodum reduxisse maciem. Secundum: fulgorem illum, & juvenescentis vultus hilaritatem statim atque ab extaticis visionibus redibat, hanc (sicut & alias) deposuisse: ut facile per hæc agnosceretur, postremum hoc imbecillitatis fuisse naturæ; aliud verò gratiæ privilegium. Quare (quod supra dicebamus) aptius omninò est, ut adultior provectiorque nonnihil Virgo, ea qua dicimus ætate, depingatur. Dubium non est, huic Sacræ Virgini Christum Dominum, pro eximio amòre, quo se diligentes diligit, vulnerum suorum Sacra stigmata intus atque in anima impressisse, non sine aliquo (dum res gereretur) dolore signoque sensibili (c) ita referentibus illius gestorum Scriptoribus. Sed non ob id depingenda erit cum vulnerum stigmatibus visibilibus atque conspicuis, quod tantumdem concessum est Seraphico Patri Francisco: nempe ad eum penè modum quod legitur in vita Sanctæ Catharinæ Senensis. Videantur quæ supra annotavimus agentes de illius Picturis. * Denique Magdalenam de Pazzi oculis Pictores objiciunt (& est usitatior pingendi modus) aperto nonnihil pectore, patenteque corde, in quo aureis literis inscriptum est illud Christianorum omnium cordibus infigendum effatum *Verbum caro factum est.* Multis autem ipse argumentis adducor ut existimem Picturam hanc non historicam esse, sed symbolicam, qua nempe denotetur eximius, & qui nullis verbis exprimi potest, amor Virginis huius erga Incarnati Verbi mysterium. Quocirca Pictura alia, qua describitur ipsa, cor ipsum manu gerens, flammeum quidem, & in ipso notis aureis eadem impressa sententia,

(c) Vide Ioan. Baptist. Lezan. Francisc. Garc in Flore Ss. aliosque.

* Sup. c. 3. n. 9.

tia,

tia, nescio quo pacto mihi magis arridet, aptiorque probatur.

8 Eodem die quo Diva Maria de Pazzi, memoria colitur Urbani, Romani Pontificis & Martyris: quem omnino præterirem, vix aliquid circa eius Imagines dicturus nisi harum rerum Scriptor antesignanus (d) de eadem hac re multa congesisset. Supponit enim Urbanum cum vite depingi: huiusque rei causas operosius & laboriosius quàm par est investigat, insuper addens, Pontificem hunc, qui cum vite depingitur, non esse revera Romanum Pontificem & Martyrem, sed Urbanum alium Episcopum Lingonensem: nobis verò cùm huiuscemodi imago Pontificis cum vite depicti nunquam aut nusquam occurrerit, necesse non est ut in re ambigua prorsus immoremur, hoc tantùm dixisse contenti, nostrates Agricolas usu ipso habere compertum, vites fore tutas à gelu pruinaque, eo anno quo sine malo hoc Sancti Urbani diem, hoc est Maii vigesimum quintum, excesserint.

(d) Mol. Hist. Sac. Imag. l. 3. c. 19.

CAPUT VIII.

DE PICTURIS SANCTI PHILIPPI NERII, FERdinandi Regis Hispaniæ, & Pretronillæ Virginis.



Italam & Florentinam Virginem Italus item & Florentinus civis subsequitur: is nempe est Sanctus Philippus Nerius, Congregationis Oratorii celeberrimus Fundator atque institutor, insigniumque meritorum in Ecclesia Dei gloria coruscus: cuius etiam si res præclare gestas etiam compendio describere esset animus, vix satis essent integra volumina. Nos, (quod sępè professi sumus) ab instituto nostro nil aut quam minimum possumus aberrantes, tantùm annotabimus, idque breviter, quod ad eius Imagines spectat. Principio igitur bene habet, quod ipse quantum spectare potui non nisi admodum ętate senili describitur. Reliquit enim terras senex cælo dignissimus octogenario maior anno MD.XCV. ipso die, inquem anno illo inciderat festum Corporis Christi, hoc est septimo Kal. Junii, seu quod idem est vigesima sexta Maii, cuius ipse tam sedulo cultum venerationemque promoverat. Pingitur etiam frequentissime sacerdotalibus indutus ornamentis, quanvis etiam aliter depingi consueverit, quod neutrum potest erroris argui. Et primum roborari videtur ex eo quod in ipso ferè temporis momento quo ad Cælos abiit, apparuisse feratur piissimæ feminæ sacerdotalibus vestibus perornatus.

2 Pingitur etiam, (quod sæpius observavimus) comitatus alato puero, nempe Angelo, (ut creditur) sui custode: cui ob insignem reverentiam amoremque, quo illum prosequebatur, aliquando sub specie pauperis stipem erogauit, & à quo etiam in foveam noctu delapsus, mirabiliter est ereptus. Hoc autem, etsi erroris sit omnino expers, mallem tamen ego ut pingeretur, non cum puero, sed cum juvene: quod certe nuperrimè dictis magis congruit. Præterquamquod etiam si in puero congruentius exprimatur Angelica innocentia atque puritas: tamen in juvene Angelico maior videtur exprimi robur & actiuitas. Illud deinde prętereundum non est, quod pingitur, aut certè deberet frequentius depingi circa sinistrum latus veste tantisper discisâ, atque utraque manu ipse Divus veluti aëris refrigerium quęrens ægro & anhelanti pectori: hoc enim pacto eximiè commendaretur miraculum illud quod Deus fidelissimum servum decoravit; quod in ipsius Ecclesiastico officio eleganter describitur his verbis: *Charitate Dei vulneratus languebat iugiter, tantoque cor eius æstuabat ardore, ut cum intra fines suos contineri non*

non posset, illius sinum confractis atque elatis duabus costulis, mirabiliter Dominus ampliaverit.

3 Pyrrhum regem Epirotarum, cuius in Romana historia non levis est mentio, gestasse proditur annulum, in quo, non tam artificis dexteritate, quàm ipsius naturæ ludentis miraculo, depictæ erant novem cum Apolline Musæ: *namque habuisse traditur* (a) (inquit maximus Historiæ Naturalis author) *achaten, in qua IX. Musæ & Apollo citharam tenens spectarentur, non arte, sed sponte naturę ita discurrentibus maculis, ut Musis quoque singulis sua redderentur insignia.* An autem possent in eadem, vel in earumdem omnino dimensionum gemma depingi magnorum regnorum reges optimi, & qui mererentur sanctorum inscribi catalogo, non omnino male neque inficetè quæsitum est à multis: adeo deteriora exempla, & (quod aulę præcipuum vitium est) adulatio, optimas etiam animas indolesque propemodum cęlestes obfuscant! Quidquid verò de hoc sit, certè unus ex Regibus, non utcumque bonis, sed optimis extitit Ferdinandus hujus nominis Tertius, Castellę & Legionis Rex & merito & cognomento Sanctus. Is enim Alfonso IX. Legionis Rege, Berengariaque Alfonsi itidem IX. Castellæ Regis maiore natu filia progenitus, non secus atque astrum maioris & insolitæ magnitudinis, Hispaniæ, immò Orbi totiChristiano maiorem in modum effulsit: quippe qui non solum regiis atque imperatoriis artibus, sed æquè Christiani & piisimi quidem hominis virtutibus clarus, quibusnam potissimum emicuerit, reliquit in dubio. Verum quoniam de tanti Herois Parentibus mentionem injecimus, facturum me operæpretium existimo, si nonnulla præter morem hic subnotavero, quæ condonanda sint, aut materiæ dignitati, aut scriptoris etiam gratitudini.

(a) Plin. Hist. nat. lib. 37. c. 1.

4 Alfonsus itaque IX. Legionis Rex, Pater Divi Ferdinandi, ille est qui præter insigniter & pręclarè res gestas Academiam Salmanticensem primus instituit, erexit, maximo certè, non Hispaniæ solius, sed Christiani orbis bono atque commodo; in quo libentius immoraremur, si res exposceret. Sed narramus

Rem nulli obscuram nec nostræ lucis egentem.

Sanè ut non solum scientiarum Mater est, sed virtutum Salmanticensis Academia, venerata semper est erectorem ac Fundatorem suum, memoriamque eius sacrare perenitati voluit, subscripto illius Imagini in pariete depictæ Epigrammate, quod qualecumque illud sit, tamen quia meum est, ignoscet eruditus Lector si hic totum transcripsero, quod ita habet.

Viderat heu quondam profugas Hispania Musas,
Et prope jam nullum tristibus esse locum.
Dira sed Augustus miracula non tulit Heros,
Atque modum celeri iussit inesse fugæ.
Nec mora: suscepit reduces, ac sedibus istis
Reddidit incolumes magnus Apollo Deas.

Bonum verò factum! Nam Sanctus Ferdinandus in Legionensi regno, quo Salmantica numeratur, Patri succedens, Academiam in eadem urbe à Patre fundatam impensè fovit, & Palentinam ab Avo Alfonso, Castellæ Rege, aliquot antè annis erectam, non adeò curavit, aperteve neglexit: quo factum est, ut eius & filii Alfonsi cognomento sapientis beneficio ad tantam amplitudinem pautatim sit provecta. Sed de his hactenus.

5 Iam Berengaria Castellæ Regina, Ferdinandi nostri optima Parens, femina fuit omni virtutum genere instructissima, quod probè sciunt quicumque res nostras à primo quod aiunt, limine salutaverint. Ipsa verò, ut supra innuimus, maior natu filia fuit Alfonsi Castellæ Regis; non contrà, ut perperam sunt opinati Scriptores aliqui, pręsertim exteri, maleque erga res Hispanas affecti; adeo ut veriti non sint appellare sanctumFerdinandum usurpatoremRegni Castellæ: quod bono jure (ut aiunt) pertinebat ad Sanctum Ludovicum Nonum, Francorum Regem etiam præclarissimum; eo quod esset filius Blanchæ, sororis maioris natu (ut ipsi autumant) Berengariæ: in quibus immorari amplius nobis non licet. Sed bene est quòd prope diem exspectamus Sancti Ferdinandi Vitam jam typis paratam scriptamque

à

à Viro doctissimo amicoque nostro R. A. P. Josepho Casani S. I. Theologo: in quo Opere adeo hæc spectantur opportuna clarissimaque luce perfusa, ut qui secus deinceps sentiat, planè videatur in luce ipsa meridiana instar noctuę cuiusdam cæcutire.

6 Illud etiam mihi omnino prętcrire non licet, quod idem Sanctus Rex, insignis si quis alius, Ordinis mei Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Benefactor extitit & Patronus. Ipse enim cùm præclaras Bæticæ provinciæ urbes subtraxisset Mahometanorum iugo atque imperio, in his omnibus, & pręcipuè in primariis, Conventus domosque prædicti Ordinis, regia qua pollebat pietate munificentiaque, erexit atque instituit. Fuerunt autem illæ, ut minores (quantumlibet alioqui fortissimas & munitissimas prætermittamus) Beatia, quam cepit XXX. Nov. M.CCXXVII. Ubeta, quam in deditionem accepit XXIX. Septembris M.CCXXXIV: Corduba præclara si quæ alia Bæticæ urbs, & magnorum ingeniorum fecunda parens, quam vi expugnatam intravit XXIX. Junii MCCXXXVI. Giennium, magni etiam nominis urbem, quam consilio atque vi cepit Aprili ferè medio MCCXLVI.ac denique Hispalim, totius existimatam Hispaniæ Metropolim, quam impugnatam validissimè, tandemque expugnatam victor ingressus est XXIII. Novembris MCCXLVIII. Atque in his omnibus urbibus memorati Ordinis domicilia Conventusque extruxit: neque id solùm, sed redditibus ditavit, decoravitque privilegiis. Quę autem ista sint qui scire velit, alios consulat: meminisse enim debet,me non suscepisse Historiographi munus, sed longè aliud: cui hæc quę carptim perstringimus subservit, immò quæ, ut jam innuimus, condonanda sint studio Hispanicæ gloriæ, atque insuper gratitudini Salmantini Professoris quamquam immeriti, & alumni Ordinis Redemptorii.

7 Iam igitur provinciam nostram obeuntes, Sanctus hic nullo modo pingendus est senex, ut faceret quicumque imbutus esset opinamentis aliquorum, qui ipsum putaverunt obiisse ut minimum sexagenario majorem, ut mittam interim alios, qui, teste Authore (b) gravi atque erudito, tam longè aberraverunt, ut asseruerint decessisse Sanctum Regem octogenarium, quod facit rerum nostrarum ignorantia. Igitur Sanctus Ferdinandus cum in lucem fuerit editus Anno ipso seculari M.CC. ante Mensem Augustum, quod bene probat sæpe laudatus Amicus noster Doct. D. Joannes de Ferreras, (c) obieritque XXX. Maii Anni MCCLII. temporale regnum cum æterno commutavisse ætatis suæ anno LII. nondum exacto: aperte constare videtur qua ferè ętate illum depingere cordati atque eruditi Pictoris opus erit. Is denique, si me audiet, iconem consulat, quam Actis rebusque gestis Magni ac Sancti Regis prefixit Vir eruditissimus Daniel Papebrochius S. I. libro quem de re hac in lucem edidit: * iconem, inquam, quam ante ipsam primam paginam inseruit, post aliquas non numeratas pagellas, quæ certè vera effigies est: namque alia, quæ in ipsa Operis fronte toto corpore descripta proponitur, displicet, eo præcipue nomine, quòd crura tibiæque Romano & militari more depinguntur, non secus ac si Cæsaris, aut Pompeii ante oculos exhiberetur imago.

(b) P. Fràc Garc. in Flore Sanct. Patris Ribad. d. 30. Maii.

(c) Histor. Hisp. ad A.C. 1200.

* Ant. 1674.

8 Error autem esset manifestus, sanctum Regem describere, non Regio & magnifico habitu, aut sine chlamyde, ceterisque Regiis insignibus, eo titulo quòd audiverit, aut legerit, Sanctum Regem Christianę modestiæ atque humilitati, immo austeritati & pœnitentiæ, fuisse deditissimum. Quippe hæ privatæ laudes aliud omnino tangunt quod pugnaret nihil cum Regia dignitate atque majestate; quæ certè externis adminiculis perstringit intuentium oculos. Neque aliter Ferdinandus Sanctus fuit, nisi modo illo quo decebat Regem, ut neque Rex nisi eo modo quo decebat Sanctum.

9 Petronilla Virgo floridi Mensis agmen claudit; quam filiam fuisse Sancti Petri Apostoli, non tantùm spiritali educatione institutioneque, sed etiam carne, etsi plures negent, iique gravissimi; immo de hoc silentium sit apud plurimos ex antiquis: satis authoritate sua confirmare videtur Martyrologium Romanum illis verbis: (d) *Sanctæ Petronillę Virginis, filiæ Sancti Petri Apostoli, &c.*

(d) Baron. ad Mart. Rom. d. 31. Maii.

Ad quæ purpuratus Notarum Scriptor versus illos affert authoris mihi non satis noti.

> *Tum pridie Petronilla de geamine Sancto*
> *Fulgida virgo micas Christi trabeata decore.*

Certè si verum hoc est, ut aliquibus probatur, quamquam Petronilla cum martyrii insignibus non depingatur, cum ipsa Ecclesia illam non laurea martyrii, sed virginitatis tantùm exornet: tamen ad illud rationes & momenta non deessent utcumque probabilia, non aliunde petita, quàm ex ipsis Martyrologii verbis, quę sic habent: *Quę* (Petronilla) *Flacci nobilis viri coniugium spernens, acceptis triduanis ad deliberandum induciis, interim iejuniis & orationibus vacans, tertia die mox ut Christi Sacramentum accepit, emisit spiritum.* Sed quidquid de hoc sit, & tametsi illa, ut dicebam, cum martyrii non depingatur insignibus; negari tamen non potest Martyrum præclarissimorum fuisse filiam. Nam de Petro parente (si tamen ille fuit) verti nullo modo potest in dubium: de matre vero, quam aliqui Perpetuam vocant, satis idoneo vetustissimi Theologi testimonio constat, illam subiisse martyrium: ait enim Clemens Alexandrinus (e) dici hoc tanquam receptam traditionem. *Aiunt certè*, inquit ille, *beatum Petrum cùm vidisset uxorem suam duci ad mortem, lętatum quidem esse propter vocationem, & quod domum reverteretur. Valde autem exortando & consolando proprio nomine eam compellantem, dixisse: Heus tu, memento Domini.* Hucusque Clemens. Ex quo si semel Petronilla Petri Apostoli filiam fuisse constet, manifeste evincitur fuisse saltem præclarissimorum Martyrum filiam.

(e) Clem. Alex. Strom. lib. 7.

CAPUT IX.

IMAGINES SANCTORUM NORBERTI FUNDAdatoris, Barnabæ Apostoli, & Ioannes de Sancto Facundo, Doctoris atque Antecessoris Salmanticensis.



Quam præclari nominis ac meriti fuerit in Ecclesia Sanctus Norbertus, Fundator atque Institutor Canonicorum Præmonstratensium, vel ex iis saltem Epistolis, quas amore & benevolentia plenas ad ipsum dedit Sanctus Bernardus, satis superque agnosci potest. Genere enim cum primis nobilis, opibusque abundans, in aula Henrici Imperatoris Germaniæ Belgiique clarissimus, innotuit, sed clarior adhuc extitit, cùm contemptis honoribus, abdicatisque Ecclesiasticis redditibus, prædicationi verbi Dei, zeloque eiusdem imbutus, non secus atque alter Elias ferventissimus institit, & aspera melote, nudisque pedibus, etiam per densiores geluque duratas nives incedens, Ecclesiæ præluxit, æquè clarus opere ac verbo. Fundator ipse fuit Canonicorum, quos ab ipso initio nominare populis placuit Præmonstratenses: qui Ordo propagatus mirificè, maiorem in modum est auctus in variis Europæ partibus, præsertim in utraque Germania, sed & in nostra Hispania inclaruit, claruissetque magis, nisi quorumdam male cogitata consilia potentes quosdam impulissent, ut aliquot præfati & cum laude semper suspiciendi Ordinis Cęnobia ac domicilia alii, præclaro quidem, sed non his indigo, Religiosorum Ordini addicerent, quod silentio magis obvolvere, quam narrare fusius hic convenit. Ipse verò Norbertus cum pro Ecclesia strenue dimicasset, Innocentiumque Secundum adversus Petri Leonis nefarium Schisma sedulus adjuvisset, Episcopus Magdeburgensis, eius nimirum sedis quintus-

de-

decimus, creatus est, quanquam omnino invitus ac reluctans: tandemque meritis plenus ac virtutibus, cum fundato à se Canonicorum Ordini Hugonem sibi socium præficiendum curasset, ad superos abiit, sexta die Junii Anni M.C.XXXIV.

2 Circa præclari huius viri Picturas atque Imagines illud tantum quod hic annotetur occurrit: pingi videlicet virum sanctissimum solere, debereque cum Sanctissimæ illo Eucharistię gemmato vase, quod vulgo *Custodiam* appellamus. Hoc autem ideo fit, quòd cùm eius tempore Antuerpiæ sceletissimus hæreticus, Fanchelinus nomine, multa contra eiusdem Sanctissimæ Eucharistiæ mysterium evomeret, palamque spargeret, fidelium votis eò vocatus Norbertus, eamdem hęresim tam constanti animo repressit, ut postea vix aut ne vix quidem emerserit, usque ad ea tempora, in quibus erumpentes rursus ab orco furię, contemnere ac pessumdare divinum idem mysterium sunt aggressi per summum scelus atque nefas.

3 Tametsi cum Apostoli depinguntur frequenter, inter eos Barnabas locum non habeat, cum tamen eadem fuerit dignitate auctus, ut constat ex illis verbis: (a) *Dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos*: & ex communi Ecclesiæ consensu non raro seorsim, opus erit eum depingere. Quocirca illud annotare erit operæpretium, quod ut aliqui huius Sancti Apostoli vitæ scriptores habent, desumpseruntque forsan à quodam Alexandro Monacho Cyprio, de cuius fide atque authoritate non est hic disserendi locus: fuit Barnabas decora & venerabili statura corporis, maiestateque vultus præditus, ut etiam apertè notat maioris dignitatis Author, nempe Chrysostomus: (b) quod aliunde mihi non debili argumento videtur confirmari ex eo, quòd Gentiles Iconii, (quæ Licaoniæ urbs est) cum Paulum & Barnabam apud se haberent, vidissentque evidens miraculum, quod fecerat Paulus; utrumque pro diis colere venerarique, immo eis sacrificare studuerunt: *Et vocabant*, inquit sacer Historicus, (c) *Barnabam Iovem, Paulum vero Mercurium.* Appositè hæc: nam Barnabam augustiori quadam oris dignitate præditum, Jovem existimabant; majorem videlicet Deum: Paulum (d) verò, cujus erat (ut ipse ait) *præsentia corporis infirma*, quoniam interpres & dux verbi videbatur; existimarunt eum esse Mercurium. Oportebit igitur ut eruditus Pictor in depingendo Barnaba, illius vultus venerandæ authoritatis atque dignitatis meminerit.

(a) Act. 13. 2.

(b) Chris. hom. 30. in Acta.

(c) Actor. 14. 11.

(d) 2. Cor 10. 10.

4 Quare duo restant, de quibus idem sit admonendus. Primum est de martyrii genere. Quod notanter ita dico: namque occubuisse Martyrem nullus est qui bono iure revocare possit in dubium. Tametsi rara sit apud veteres, qui de Barnaba agunt, martyrii notitia. Sed iam Ecclesia illud constanter usu suo atque doctrina asseruit: insuperque, ut observavit gravis atque eruditus Author, (e) apud Syros veneranda multum antiquitate receptum est, ut in sacris ordinationibus, cùm aliorum, tùm etiam Sancti Barnabę mentio fiat, non solùm tamquam Apostoli, sed etiam tamquam Martyris. At quid opus multis? Martyrologium Romanum Officiumque Ecclesiasticum idem habent: & quod magis est, in Canone ipso Missæ, quo nihil sacrosanctius est, cum titulis Apostoli atque Martyris Barnabas effertur, ut quivis observare potest, quin hic verba adscribere necesse sit, quæ non nisi summa reverentia religioneque sunt pertractanda. Sententia quæ iam animis insedit, atque invaluit, est fuisse Sanctum Apostolum à Judæis in Cypro commorantibus lapidibus obrutum. Quare non male depingetur cum lapidibus aliquot, aut infra se positis, aut sinu exceptis, non secus atque ipse Sanctus Stephanus, qui eodem mortis genere est absumptus, hoc eodem prorsus modo depictum observavimus.

(e) Ioann. Mar. de Sacris Ordinat. p. 104. & 115.

5 Alterum de quo monendus est Pictor, illud est, depingi debere Barnabam gerentem librum. Quod non ideo dicimus, quòd illum indubitatũ faciamus Authorem illius Epistolæ, quæ non sine magna veneratione etiam ab antiquis, eius nomine circumfertur: Sed quia liber est, ut in superioribus diximus, character Apostolici ministerii, vel aliam ob caussam magis peculiarem, (de qua statim dicemus:) Sanè præfatæ Epistolæ honorifica mentio est apud Authores

res Ecclesiasticos etiam admodum veteres. Illam enim allegat Clemens Alexandrinus, (f) Origenes, Eusebius, & quod non postremum est, Hieronymus illam recenset, tribuitque constanter Barnabæ, quamquam eadē hucusque admissa non sit neque ab Ecclesia, neque à Cōciliis inter Scripturas Canonicas. Quid verò si dicamus depingi Barnabam debere cum libro, quòd annis nō paucis ab eius obitu repertum sit reseratumque eius sepulcrum, in cuius pectore inventū est Matthæi Evangelium Barnabæ ipsius manu conscriptum? quod prҽter nominatum Alexandrum Monachum alii referunt, ut sunt Theodorus Lector, (g) aliique post ipsum. Et hoc etiam refert eius officium Ecclesiasticum illis verbis: *Eius corpus Zenone Imperatore repertum est in insula Cypro, ad cuius pectus erat Evangelium Matthæi Barnabæ manu conscriptum.* Quæ omnia diximus occasione illius, cuiuscumque sit, venerandæ Epistolæ. Nam de aliis scriptis, quæ vel ab hæreticis, vel ab imperitioribus tributa sunt Sancto Barnabæ; nil attinet dicere, cùm ipse Cardinalis Baronius falsa, supposititia, indignaque tanto Apostolo, doctrina solita esse convincat. (h)

(f) Clem. Al. Strom lib. 2. & aliis in loc. Orig. Periarch. c. 2. & l. 2. Contra Cels. Eus. Hist. l. 6. c. 14. Hie. de Script. Eccl. c. 6. & in Ezec. c. 43.

(g) Theod Lect. l. 2. p. 552. Cedren. t. 1. p. 353.

(h) Ab A. C. 51. t. 1. Annal.

6 Die ipsa Apostolo Barnabҽ sacra terras reliquit beata anima viri planè magni Sancti Joannis de Sancti Facundo, quem omnino prҽterirem, nisi Salmantinæ decus Academiæ, cui quantum possum subseruire satago, memet impelleret, ut talem tantamque memoriam silentio non obvolverem; immò præter, aut etiam contra morem nostrum, in gratiam Herois inclyti, Vitҽ hic illius saltem summa, quod dicunt, capita perstringerem. Ioannes itaque de Sancto Facundo, (ab oppido in quo natus est appellatione tracta, pro more illius temporis, cui solemne fuit, ut viri, præsertim religioni dediti, à patria cognomen acciperent) natus est parentibus nobilibus Joanne Castrillo & Sanctia Martinez, anno Domini M.CDXXX. statimque primos infantiæ annos vix egressus, omnibus patuit optimæ indolis excellentisque pueri ingenium. Dein à V. Cl. Prҽsule Burgensi Alfonso Cartagena in familiarium suorum numero cooptatus, Canonicatu eiusdem Metropolitanæ Ecclesiæ decoratus, doctrinæ atque virtutis exemplis mirandum in modum enituit. Verum is, qui ad maiora vocabatur, dignitate hac aliisque Ecclesiasticis redditibus dimissis, Salmanticam ire perrexit, Deo illum vocante, ut cruentis factionibus, quæ in ea urbe grassabantur, suis concionibus atque exemplis tandem finem imponeret, remediumque præsentissimum afferret.

7 Ibi sodalem & Collegam fuisse Collegii D. Bartholomҽo sacri (quod vel summis labris nominasse, abundè encomiis extulisse laudavisseque est) scriptis etiam luculentissimis literarum monumentis proditur. Sed tandem Eremitarum Ordini Sancti Augustini, magni (ut ego semper nomino) Parentis adiunctus in Cænobio longè præclarissimo, quod est in eadem urbe Salmantica, emissaque ibidem solemni Professione, maioris Sanctitatis & doctrinæ radios circumquaque diffudit: adeò ut in omnium ore & admiratione esset, nec sine patente miraculorum gloria prҽfulgeret. Neque defuit doctrinæ muneri: quippe qui in maxima ibi jam per illud temporis à duobus & amplius seculis florente Academia Scripturam Sacram docendi atque interpretandi locum obtinuit, quibus luminibus ornatus, illas, quas supra memoravimus factiones, quæ jam ad internecionem usque cuncta vastabant, concionibus ad populum habitis, ingentibusque sanctimoniæ exemplis prolatis in publicum, penitus Deo adspirante iuvanteque sedavit atque extinxit, donec impudentis feminæ, cujus amasium ad meliorem frugem traduxerat, magicis cantionibus ac veneficiis impetitus, Deo ita permittente, in maius servi sui bonum, extinctus est in eadem Urbe anno Domini M.CDLXXIX. die, ut supra notavimus, ipsi Apostolo Barnabæ dicata. Atque hæc est insignium gestorum & prorsus Cælo dignissimҽ vitæ summa: cuius ampliorem narrationem laudati Ordinis scriptoribus, qui id jam præstitere, relinquimus.

8 Nunc quod ad eius Imagines attinet, certè non possumus non vehementer probare pietatem illorum, aut studium, qui illum depingunt chlamyde indutum, & toga Bartholomæani Collegii hominem tunc non omnino juvenem, sed neque admodum

dum in senium vergentem, ut ex chronologia constat, quam exactè prosequitur illius Vitæ scriptor; (i) & in qua hic prolixius immorari nec vacat nec lubet; præsertim cum illo jam tempore, & in eadem celeberrima domo pręcipua fulgeret sanctitate, quam Deus etiam voluit aliquando testatatam manere insignibus miraculis, quale fuit illud, quod cum die quodam ingentibus pressus curis atque occupationibus, naturali quadam oblivione devictus Ecclesiasticas Horas persolvere jam provecta nocte præteriisset, rem non sine animi cruciamento atque angore animadvertens, candelæ lumine destitutus, quod nullibi inveniret, à Deo iuvari ac recreari meruit. Rem miram! Nam multa de se timenti ac cogitanti Angelus cum face repente affuit, & cupresso cuidam, quæ adhuc ad hæc usque tempora cernitur, insistens, servo Dei clariorem sole lucem præferens, tandiu adstitit, quandiu opus fuit ut impleret Ecclesiasticum Officium horasque persolveret: quod nuper allegatus scriptor aliis allegatis enarrat. (j)

(i) R. P. F. Simon de Castel-blanco c. 14.

(j) Idem c. 15.

9 Verum cum Divus ipse totos sexdecim annos in Ordine Augustini Parentis sanctissimè vixerit, in eodemque supremum obierit diem, frequentius est (& merito) ut depingatur Habitu indutus, quo utuntur Eremitæ Augustiniani: sed non (ut plerumque fit, aut factum observavimus) admodum juvenis; sicut nec admodum senex, cùm, ut iam notavimus supra, obierit anno ætatis suæ quadragesimo nono nondum planè exacto. Pingitur etiam manu gerens reverenter auream, sive auratam illam capsam, qua Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum populo adorandum exponitur: non quòd Ioannes opus habuerit aliquando Salmanticæ, aut alibi cum hereticis de veritate tanti mysterii disputandi: avertat enim Deus ab Hispania, extra quam Ioannes noster pedem non extulit, tam lethale malum: sed picturę ratio alia omnino est, aliundeque petenda. Refertur enim constanter à pluribus & fidedignis testibus, quod Joannes hic noster tam mirifica erat affectus devotione ac reverentia erga Sacrosanctæ Eucharistię mysteria, ut ad illa quotidie tractanda & peragenda exquisita se animi puritate compararet: insuper & cum (ut sensu utamur Augustini eius Magni Parentis ac nostri) ad mensam illam Divinam verèque potentis accederet, tanto se ardore excitabat, diligenter talia se oportere præparare considerans, ut integras horas, ut minimum duas, insumeret in celebratione tremendi Sacrificii. Quo fiebat, ut Christus, qui verè diligentes se diligit, servo suo se miris modis conspiciendum daret. Sed audire præstat alius eiusdem Instituti Sodalis aurea plane verbo, utpote Sancti: is est Sanctus Thomas de Villanova (de quo suo loco) qui rem totam exequutus hæc habet: (K) *Quidam præterea nostræ Augustinianæ familiæ ac Religionis Frater Joannes de Sancto Facundo, qui hoc tempore miro populi Salmanticensis studio egregiaque pietate, ob innumera quę continenter ab eo eduntur miracula, colitur, licet nondum in Divorum canonem sit relatus. Is igitur cum Missæ quotidianum sacrificium paulo prolixius perficeret, moraretùrque in eo spatiosius, proinde circunstantes affecti id ægrè ferrent: factum est ut à Prælato suo in virtute obedientiæ Missam maturius absolvere pręciperetur. De quo sępius ab eodem, licet blandius, consilio pręmonitus fuerat. Cui Frater pręditus, quia obedientiam præterire non poterat, omne secretum patefecit, dicens: Ignosce obsecro, mi Pater; nam aliud facere utique non possum, ut qui quotidie Dominum nostrum Iesum Christum fulgentem in hostia istis oculis peccator inspicio. Quibus dictis perterritus Pręlatus, solo prostratus, de inflicta molestia veniam petiit: eique prout vellet immorandi facultatem amplissimam dedit. Hæc non à Pręlato eodem, sed à viro nostræ Religionis gravissimo, qui ab eius ore audierat, referente, cognovi.* Hucusque Sanctus Thomas Villanovanus idemque pręclarissimus Antistes. Cui consentiunt alii, quos allegat laudatus Vitę Ioannis Scriptor. Atque ratio est ut pingatur Sacratissimam Eucharistiam manu gerens Sanctus Ioannes, ut vulgo vocamus, de Sahagun, Salmantini gymnasii decus semper atque ornamentum.

(K) S. Th. de Villan. ser. Corp. Christ. conc. 2. ad fin.

10 Ceterùm cùm ejusdem Academiæ toto orbe Christiano celeberrimę non semel hic meminerimus, pretium erit operæ, si vel perstrictim di-

dicamus quibus illa honoribus prosequuta sit iam æthereis sedibus receptum Antecessorem suum longè dignissimum. Igitur increbescente sanctitatis fama, quam indies amplius atque amplius clariora reddebant miracula felic. recordat. Clemens Papa VIII. Divum hunc nostrum Beatorum scripsit catalogo XV. Junii Ann. M.DCI. quod ubi ad aures Academiæ pervenit, agentibus & instantibus Augustiniani Conventus Salmantinę urbis sapientibus ac gravissimis Patribus, urgenteque præcipuè Illustrissimo ac Reverendissimo Augustino Antolinez, per illud temporis Cathedræ Durandi Antecessore, ac postmodum Archiepiscopo Compostellano, re in consessu Doctorum die XXIV. Maii M.DCII. mature discussa, decrevit, ut duodecima mensis Junii dies, qua Sancti Joannis memoria percolitur festa & immunis à docendi munere haberetur in posterum, quod postmodum quoad res civiles atque politicas egregie est etiam imitata ipsa Civitas Salmanticensis, adjectis aliis summi honoris signis; quæ prolixius referre huius non est loci: quin etiam cum anno M. DCXCI. nuntius allatus esset Salmanticam, quo non sine ingenti lætitię cunctis innotuit, relatum esse nomen Divi Joannis de Sancto Facundo in solemnes sanctorum fastos à felic. record. Pontifice Alexandro itidem VIII. mei Ordinis quondam Cardinali Protectore; mirum est quibus lætitiæ signis nuntius fuerit exceptus, sive in ipso Civitatis senatu, sive in Academia Matre, sive etiam tum in Bartholomæano Collegio, sive denique in ipso Augustiniano Conventu. Hoc unum hic addidisse liceat, me, cum dicto anno Salmanticę degerem, invitatum honorificis Musarum præmiis ad Certamen, quod aperuit laudata iam pridem semperque laudanda Domus D. Bartholomæi, scripsisse Poemation, longius quidem quam Epigramma ferat: sed ea erat lex certaminis. Epigramma autem cum suo lemmate huiusmodi est.

Adscripsit Divorum fastis D. Ioannem à Sancto Facundo felic. record. Alexander Papa VIII. antea Petrus Ottobonus, brevi postea extinctus: cui rei ex lege certaminis huiusmodi conditum est.

Epigramma.

Orbis ad extremos victor pervaserat Indos
Rex Macedo, patriæ gloria rara suę:
Cum sibi divinos tumidus decrevit honores.
Mens hominum heu nullum docta tenere modum!
Vicit at hęc vani pietas conamina fastus,
Et datus est Divis quem meruere polus.
Nam sacer Antistes, cœli in quo summa potestas
Fulget, Alexandri nomen & omen habens,
Salmantina tuum veneranda Minerva Joannem
Divorum in fastos rettulit Ottobonus.
Macte animo hoc: sanctæ nam te Pater optime gentis,
Qui facis indigetes, quis neget esse Deum?
Hinc propere heu, stygiæ tua fata ursere sorores
Protinus Elisiæ te rapuere domus.
Scilicet egregium factum sic ambiget ætas,
Anne hominum quisquam fecerit, anne Deum? *

* Allusio est ad illud Plinii in Panegyric. Deberi immortali operi hác venerationem, ut novissime esset: auctoremque eius statim consecrandum, ut quandoque inter posteros quæreretur, Num iam Deus fecisset?

Atque hæc quidem sunt quæ circa Picturas & Imagines Divi Joannis de Sancto Facundo dicenda habuimus, pro materiæ dignitatę sat pauca, tametsi pro more nostro atque styli ratione nimis multa.

CAPUT

CAPUT X.

PICTURÆ ATQUE IMAGINES SANCTI ONUphrii Eremitæ, Antonii Patavini, Basilii Magni, & S. Paulini Episcopi Nolani.

1 Ie hujus mensis duodecima, qua Ioannis de Sancto Facundo memoria Salmanticæ colitur, celeberrimi Anachoretæ Sancti Onuphrii mentio etiam incidit: de quo quidem præter Græcorum Menologia, aliaque hujusmodi monumenta, quod majoris ponderis occurrit est Romani encomium Martyrologii, quod ita ad verbum habet: *In Ægypto Sancti Onuphrii Anacoretæ, qui in vasta eremo sexaginta annis vitam religiose peregit, & magnis virtutibus ac meritis clarus migravit in cœlum: cuius insignia gesta Paphnutius Abbas conscripsit.* Notationes autem Cardinalis Amplissimi ad hunc locum nihil prorsus habent, quod nos magis erudiat circa rem hanc, præter observationem vastissimarum Ægypti solitudinum, quarum præcipua est ea, quæ apud Ptolomeum, aliosque melioris notę Authores Oasis appellatur, quæ rursus im majorem, minoremque dividitur. Paphnutius autem ille qui vitam Onuphrii scripsisse dicitur, & de quo adhuc quęritur, quisnam fuerit, penes me non est: sed bene habet, quòd ea quę ipse Paphnutius scripsit, extant apud Laurentium Surium, ex quo transcripsit Floris Sanctorum (sic enim vocant) pius iuxta & eruditus Author: (a) quæ certè præter commorationem multorum annorum in eremo, Sanctique Onuphrii pretiosam mortem sepulturamque curatam ab ipso Paphnutio, vix aliud aut ne vix quidem habent.

(a) P. Petrus de Ribadeneira

2 Hæc tamen cùm ita sint, non defuerunt, qui ipsius Sancti Onuphrii Vitam, resque supra modum mirabiles longis, aut longissimis etiam narrationibus sint prosequuti: inter quos ducere agmen potest mei Instituti atque Ordinis Vir Pater Mag. Fr. Petrus de Arriola: is enim, ut erat ingenii vehementis & rara pręditus facundia, qua certè in pluribus Navarræ atque Aragoniæ Urbibus integros populos sæpè habuit suspensos ab ore loquentis, cùm vitam Sancti Onuphrii, nescio cuius rogatu instituisset scribere sub ea Epigraphe *Anachoreta Rex* * stylo prorsus panegyrico, ad multa diversaque deflectit; adeo ut sæpius historiam legens (si tamen ita dicenda, est, quæ multa admodum difficilia, ne quid gravius dicam, spargit in re Historica, Geographica & Chronologica) nihil minus quam Onuphrium ipsum repereris. Sed de his hactenus.

* Edit. Cęsaraug. 1675.

3 Nunc quod ad Imagines præclari huius Anachoretæ attinet (& sunt illæ frequentissimæ) bene est quod Sanctus senex toto fere corpore nudo depingitur, præter perizonium, quod velandas partes obtegeret, prominentibus undique setosis pilis, & prolixa adeò barba, ut ad genua ipsa producta pertingeret. Sed quod iuxta illum Regis insignia, hoc est sceptrum & corona, apponi consueverit, ego erroris aut fabulę non damno: desumptum enim fortasse est ab illorum monumentis qui ipsum Hunnorum fuisse regem, & regis filium sunt opinati; quorum fides penes ipsos sit. Quippe ego de rebus gestis Viri sancti, etsi illum multæ Italiæ urbes atque etiam Hispanię, Patronum sibi asciverint, nihil, præter pauca, quę supra retuli dicere habeo.

4 Lusitanum illum, patrię suæ Ulisiponis, immò totius Hispaniæ (cur enim id non dicamus?) decus longe clarissimum, nemo est qui nesciat, & qui non summis laudibus, iisque meritissimis, extollat: nemo item qui res gestas prorsus ignoret, aut etiam penicillo sæpius descriptas non contemplatus fuerit ac viderit. Proinde iis fusius enarrandis supersedere satius duximus, veriti ne quis nos illo tritissimo incessat, *Soli lumen*

men mutuas, quod veteri proverbio jactatum est in eum, qui rem per se evidentissimam sermone conabatur ostendere. Lusitanum illum consulto nominavimus, non Patavinum. Tametsi enim Patavium urbs Italiæ clarissima hac non postrema gloria præfulgeat, ut nomen indiderit Antonio; cur illius natale solum hac laude fraudemus? Bono (quod ultro fatemur) iure Patavium Antonium sibi vendicat, ut quæ gestorum eius mirabilium pręcipuum fuerit theatrum: ut quę etiam olim libertatem suam Antonio acceptam tulerit: ut quæ denique pretiosis eius honoretur exuviis. Verùm quis Lusitaniam Hispaniamque totam ob hęc tam expetendis honoribus expoliet? Atque de his hactenus. Illud de eius imaginibus tractaturi omnino reticere non possumus, quod in hac regia urbe in Sacello percelebri, vel potius templo adjuncto Regię Domui, quam Lusitanorum Sancti Antonii nuncupant, eiusdem Divi res pręclarissimè gestę insignium Pictorum manibus descriptæ cernuntur, quę & piorum quorumcumque, & studiosorum Artis mentes afficiunt, atque oculos pascunt. Videas enim illic Antonium irrationabile animal potenti imperio cogentem, famis oblitum, adorare sacram Eucharistiam: Eumdem avertentem, prohibentemque ab audientium multitudine imminentem cæli procellam: ipsum etiam ad maris litus mutis & intentis piscibus prædicantem: aliaque id genus. Illud certè constat, inter Divos omnes vix esse aliquem, cuius frequentiores & magis obviæ cernantur Imagines. Inter has autem ea est frequentior & usitatior, qua Sanctus describitur candidissimorum liliorum virgam manu gestans, aut prope se illam habens: rursus autem puellum Jesum, aut insidentem libro, aut viri purissimi manibus exceptum reverenter, aut super tabulam propter se locatam stantem. Namque his omnibus modis juxta varias Pictorum imaginationes depingi certum est.

5 Huic pingendi rationi ab omnibus passim receptę occasionem dedit res humili veneratione suspicienda, quam refert, præter veteres, Annalium Franciscanorum excultior cum primis atque Illustrissimus Scriptor, (b) qui rem ita exequitur, seu, ut verius dicamus, non ita, sed stylo & charactere dicendi longe elegantiore, quem tamen conati sumus utcumque reddidisse. *Prope Podium*, inquit, *Galliæ urbem cum (Antonius) apud sibi amicissimum & benevolentia junctissimum hospitio esset exceptus, & cubile ipsum in remotiore domus parte paratum ipsi fuisset; quò uberius liberiusque Orationi vacares ac prscibus; intempesta jam nocte pium hospitem incessit cupido videndi aut perlustraudi, quid illo noctis tempore Antonius ageret. Quare latenter admodum & caute appropinquavit portæ, perque rimas prospiciens, cælestibus fulgoribus collucere atque ardere cubiculum observavit; quo magis pium desiderium videndi quid intro gereretur exarsit. Vidit igitur insolita humanaque maioris pulcritudinis puellum, cum quo & colloquia miscebat &, purissima voluptate perfusus ipse deliciabatur Antonius. Quo factum est*, ut post non admodum plura subjungit laudatus, *ut deinceps Antonius Puellum Jesum purissimis ulnis gerens depingeretur.* Illud autem (neque enim hoc omnino reticeri aut dissimulari velim) hic non nimium placet; quod Pictores assueti Divinum Infantem omnino nudum jacentem in præsepio contra ipsam Evangelii fidem (ut supra notavimus) describere, idem hic faciunt: quod Christianę gravitati ac puritati non omnino convenire iam supra ex professo, atque aliis, ni fallimur, locis monuimus. Sed surdo (quod proverbio dicitur) fabulam canimus.

(b) Ill. D. F. Damianus Cornejo Chr. t. 2. l. 3. c. 26. p. 235.

6 Illud autem maioris momenti videtur, quòd Sanctum Antonium, tam in hoc, quàm in aliis passim eius Vitæ eventibus depingunt, non virum qualiter decebat, sed juvenem, vixque impuberem, rubrum, flavum, & succulentum: quæ omnia, rem ipse mecum perpendens, quid appellem nescio, nisi levitatis & ignorantiæ monstra. Certum quippe est, Antonium non excessisse annum vitę suæ sextum supra trigesimum: quippe natus anno Christi MCXCV. obiit M.CCXXXI. Sed hęc ætas non juvenem imberbem, sed virum planè monstrat: præterquamquod prædicationis indefesso munere, jejuniis, & asperioris pœnitentię laboribus penè consumptus, rationi consentaneum

neum non est, ut juvenis, qualem supra descripsimus, depingatur. Certe Vir Excelentissimus, idemque supra quam dici potest eruditus D. D. Joannes Emmanuel Fernandez Pacheco Villenæ Marchio, Scalonæque Dux, quem honoris & nunquam mihi morituræ reverentiæ causa nomino, mihi ipsi retulit testis oculatus, vidisse se dum in Italia ageret, Imaginem Sancti Antonii, quæ ferebatur esse veram effigiem, in qua non juvenis descriptus erat, sed planè vir, neque candido admodum vultu, sed subfusco, & quanvis macilento, gravi tamen, & viri Apostolici dignitate conspicuo.

7 Unum est quod inter Antonii Imagines exprimi mereretur, quod nemo hucusque spectavit, opinor: Certè ego ipse nunquam inspexi: hujus autem rei meminisse, cultus atque pietatis erga insignem Antonium intererit. Res ita se habuit. Cum Anno Christi MCDIII. post obitum viri Sanctissimi fere trigesimo ejusdem pretiosæ reliquiæ, aliò transferendæ, fuissent detectæ, inventum est venerandum Cadaver omnino, quod ad carnes attinet, resolutum in cineres. Sed ô sanctitatis mirandum testimonium! ô virtutis Dei & cæli stupor! Lingua, quę magis inter cetera membra corruptioni subjacet, reperta est, non integra solùm, sed planè vivida, ac virens, non secùs ac si paulo ante fuisset exsecta. Rem miram attoniti, ut par est, narrant & memorant Historici. Sed ego id libentius addiderim; linguam eamdem, adhuc post mortem eloquentissimam veriorem S. Antonii esse, non mutam, sed facundissimam Imaginem. Bene hoc & cognovit & professus est Doctor Seraphicus, per ea tempora Minister Generalis Ordinis, qui cùm præsens adfuisset, pretiosiorem auro linguam manibus excepit, illamque reverenter exosculatus, ferventia prorupit in verba, *O benedicta*, inquiens, *lingua, quæ semper Deum laudavisti, quęque tam multis extitisti causa, ut eumdem impensius laudarent! Nunc plane quanti apud Deum fueris meriti oculis innotescit.* Et cum dicto pretiosum thesaurum, ut in capsa crystallina conderetur, colereturque quo par erat honore, curavit. Multa paucis complexus est Seraphicus Doctor: sed si locus aut res plura permitteret aut exposceret, nil dubium est, potuisse adhuc plura contexere. Ea enim lingua fuit quę Hæreticos compescuit incredulos, quæ tyrannos potenter coarguit, objurgavitque: eadem quæ peccatores ad pietatem & pœnitentiam traduxit: eadem etiam quæ verba faciens coram ipso Summo Ecclesiæ Præsule, nomen ab eodem Arcæ testamenti motori suo comparavit: ea, quę prophetico spiritu afflata, ab ipsoque mota, ventura prędixit vaticinataque est. Denique, ne multis, ea fuit; aut potius est (namque adhuc superesse dicitur atque ostendi) quæ refert, & in memoriam revocat Sanctissimi Antonii elegantius atque peritius omni aliâ, non vultus tantum lineamenta sed mores: ut proinde nil mirum si illam ut vividiorem Antonii Imaginem ipse non elinguis sed sapiens & multum eloquens Seraphicus Doctor alloquatur.

8 Qua in re, tametsi videar nonnihil ab instituto proposito deflectere, temperare mihi non potui, quin huc adscriberem rem insolitæ prorsus novitatis, ignotam, ut credo, pluribus, etiam iis qui plurimis aliis observandis legendisque non desidiosam operam impenderint. Igitur Author fidedignissimus, neque solùm multæ doctrinę atque eruditionis nomine, sed spectatæ etiam probitatis laude cum primis conspicuus, illam narrat citra illius authoritatem judiciumque, omni prorsus fide ac persuasione carituram. Ita quippe habet, ejus Hispanis gravissimisque verbis sic utcumque Latinè sonantibus: (c) *Villacastini, quod Veteris Castellæ oppidum sat notum est, ubi ego natus sum, fuit non multis ab hinc annis, tempore Regis Henrici ægri, aut ægrotantis cognomine noti, vir quidam verè propheta, qui labores Regi vaticinatus est, qui postmodùm in Castellæ Regno sunt exorti. Atque idem sancta quadam libertate Regem increpabat, usque adeo, ut ob hoc lingua eidem fuerit abscissa in urbe Segovia. Loquebatur autem non secus ac si illa adhuc potiretur: suamque demum linguam contuitus, quæ clavo confixa erat infami palo (quem Hispani* la picota *dicimus:) Tu, inquit ille, fixa istic manebis, propterea quòd vera dicas.* Subjungit autem, rem prose-

(c) P. Frãcisc. de Riber. vida de Sãta Teresa lib. 4. c. 5. pag. 354.

quutus gravissimus & pius Author: *Et ego*, ait, *admodum puer novi in eodem oppido nobilem matronam, quæ multos annos vixerat; & si bene memini, asserebat illa virum eumdem cognovisse. Insuper & ibidem sat plures homines, qui erant de antiquitate cognoscenda studiosi, quibus sincera constabat fides, idem constanter enarrabant.* Hæc ille: quæ idcirco hic, occasione vigentis & incorruptæ linguæ Sancti Antonii, duxi commemoranda, ut saltem providentia Dei, ejusque bonitas ac benignitas erga eos qui bene & sapienter lingua sua utuntur, utriusque rei collatione & comparatione patefiat.

9 Quod scitè & ingeniosè dixit Poëta non ignobilis de Pictura Echûs, seu vocalis illius Nymphæ, quam poëtæ memorant: hoc *Basilio Magno* non injuria poterat aptari. Itaque Ausonius innuens illam vocis imaginem non esse prorsus coloribus imitabilem, ita argutum finiit Epigramma:

Auſ. Epigram. 11.

Auribus in vestris habito penetrabilis Echo:
Et si vis similem pingere, pinge sonum.

Itaque abstinentiam ipsam, & mentem terrenis omnibus atque humanis cupiditatibus defæcatam si quis velit nativis exprimere coloribus, is pingat Basilium Magnum necesse est. Quam ego rem si perficiendam suscepissem, quod longè supra vires esset, Orationem Monodicam ejus quondam Sodalis atque amicissimi Nazianceni hic integram adscriberem: insuper & ipsius Basilii Opera, atque Epistolas præsertim; ex quibus omnibus ejus gestarum rerum verior & luculentior contexitur historia. Sed hoc munus meum non est: neque rursus illam gestorum narrationem, quæ vulgò tribuitur Amphilochio Ecclesiæ Iconii Episcopo, sequi placet, ut pote quę displicuit magni nominis viris Baronio, Bellarmino, & Antonio Possevino. (d) Sanctus autem atque impense pius Ephræm Syrus, tametsi multa in encomium tanti Patris, eaque dignissima, congerat, quæ tamen ad institutum nostrum propius spectent, vix quidquam aut ne vix quidem habet. Quare rebus ejus præclarè gestis, aut famæ præconio relictis, aut humilis & reverentis silentii velo obtectis, quod ad ejus Picturas attinet atque Imagines, hæc dicenda habemus, pauca illa quidem, & in summam contracta.

(d) Baron. to. 4. Annal. ad an. Chr. 369. Bellar. de Scriptorib. Eccl. Ant. Possevin. in Apparat. Oper. D. Basilii.

10 Namque illum pingi debere senem, non quidem decrepitum & capularem quod, nisallimur, aliqui fecerunt; sed illum qui ad annum vitæ à septuagesimo non admodum distantem: argumento esse possunt res ab eo gestæ, peregrinationesque atque itinera, doctrinę ac pietatis causa suscepta. Etsi enim, quantum constare mihi potuit hæc inquirenti, de anno natalitio nihil habeatur compertum: illud palam est eum obiisse Ann. Christ. CCCLXXVIII. post octo cum dimidio Præsulatus annos exactos. Ante ordinationem autem ea quę brevius perstrinximus, ex historiæ colligitur monumentis, quæ si bene inspiciantur, id probant, ut ea ætate defunctus sit, qua nuper statuimus. Fuit autem forma & species corporis Basilii (si tamen corpus habere dicendus est, qui spiritu tantùm enutritus, pelle solùm atque ossibus constare videretur) ad illum modum, quem refert vetus Manuscriptum repertum in Bibliotheca Vaticana, & quod allegat Emin. Card. Baronius, (e) qui ita habet: *Ex anonymo Vaticano Codice constat Basilium fuisse procero habitu corporis, & recto; siccum, gracilem, colore fusco, vultu squalido, iusto naso, superciliis in orbem inflexis, & adductis: cogitabundo similem, paucas habens in vultu rugas, easque renidentes, genis oblongis: temporibus aliquantum cavis, promissa barba, & mediocri canicie. Quibus consentit* (subjungit laudatus Cardinalis) *in Oratione Monodica Gregorius Nazianzenus, dum ait ipsum fuisse pallidum, barbatum, & cogitabundum.*

(e) Baron. tom. 4. Annal. ad Ann. Chr. 378.

11 Laudare quemque sua, magnifacere, impensiusque colere, adeo certum est, & per se patens, ut nulla prorsus illustratione egeat. Cur autem hic hujusce rei meminerimus, paucis absolvam. Divum Paulinum Nolanum Antistitem, virum cui, seu doctrinæ atque eruditionis nomine, sive, quod caput est, sanctitatis laude suo seculo aliisque vix parem inveneris, Ecclesia colit sub ritu, ut dicimus, simplici: Ordo autem meus, ex Apostolica concessione eumdem

ritu

ritu longe solemniori, hoc est Duplici, celebrat. Hoc autem ideo factum est, quòd ipse Cælestis hujus Instituti, atque rei illius, quam in eo omnes jure mirantur atque suspiciunt, hoc est parata atque prompta voluntas, voti religione firmata manendi in pignus sub Infidelium potestate, quotiescumque id exigat proximi ab iisdem Infidelibus detenti, Captivique necessitas, aut imitator fuerit egregius, aut verius eidem præluxerit. Rem fusius quàm hic patiatur exscribi, narrat Pontifex ille summus tam re, quàm nomine Magnus Gregorius: (f) sed illam contractius & pressius cùm enarret eius Officium Ecclesiasticum, verba hìc adjicere non erit ita grave. *Postea verò* (inquit: hoc est post Gothorum memoratam irruptionem in ora Campaniæ) *Uvandalis easdem regiones infestantibus, cùm ab eo posceret vidua, ut filium sibi redimeret, consumptis rebus omnibus in officio pietatis, se ipsum pro illo in servitutem tradidit. Igitur in Africam profectus, domini sui, qui regis erat gener, hortum colendum suscepit. Verùm cum prophetiæ dono regis mortem ipsi domino prædixisset; & rex in somnis Paulinum sedentem medium inter duos judices, sibique de manibus eripientem flagellum vidisset: tantus vir cognitus, honorificentissimè dimissus est, condonatis ei omnibus suis civibus qui captivi fuerant.*

(f) Div. Greg. 3. Dial. c. 1.

12 Neque verò me latet, esse hodie non admodum paucos, qui secum reputent, narrationem hanc non admodum esse veram. Tum quòd non satis cohæreat cum illorum temporum chronologia: tum etiam quòd illam tantùm referat Sanctus Gregorius, qui potuit (inquiunt) delusum esse, aut aliorum falso rumore, aut fortassis etiam memoriæ lapsu. Sed quod ad primum attinet, locus hic non est dispiciendi quæstiones & tricas Chronologicas: jam, ut opinor, præstiterunt alii. * Quod verò ad secundum spectat, satis superque est quod rem tantam talis ac tantus vir, qualis fuit Gregorius, ab iisdem non admodum remotus temporibus, enarret: ut proinde illius authoritate contentus esse debeat quisque sobrie sapiens ac pius. Verùm, quod impense notari oportet, non solum Gregorius est qui illius historiæ meminit, ejusque narrationem texuit, sed alii, & quidem non pauci. Sanè eruditus ille supra modum Monachus D. Lucas Dacheri (g) Scriptum habet Attonis Episcopi Vercellensis, ubi hæc habentur, de Paulino loquens: *Legimus de beato Paulino Episcopo, quia cùm se pro uno tantum viduæ filio captivitati, immo & servituti tradidisset, multos in hoc liberasse captivos. Quo etiam in facto tam à beato Gregorio quàm à multis aliis sanctissimis laudatus est Patribus.* Atque hæc quidem est causa, ob quam in Ordine meo memoria Sancti Paulini Nolani Episcopi celebrius atque impensius recolitur, utpote eius, qui tale tantumque opus, quale est manere sub barbarorum potestate detentum, ut Christi egregium imitatorem decet, multis etiam ante Nolascum seculis perfecerit. Nunc verò quas de tanto viro meritissimas laudes pronuntiarunt Ecclesiæ quique Patres præcipui, Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Sulpicius Severus, aliique passim, supervacanei laboris opus esset. Videsis Editionem hujus Patris, quæ Antuerpiæ prodiit procurantibus Patribus Frontone Duceo atque Heriberto Rosvveido Soc. Jesu viris doctissimis, uberioremque circa rem hanc segetem metet.

* Vid. Paulin. illustratum opera & studio P. Francisc. Chifletii, Divion. 1662. vi de postremã edit. hujus P. accuratissimam in 4. Paris. 1685.

(g) Dach. to 8. Spicileg. p. 136.

13 Quod demum ad institutum nostrum spectat, hoc est Imagines & Picturas Sancti Paulini: certum est, si ipse dum adhuc in vivis ageret, consuleretur, fore ut existerent nullæ. Sanè celebris est Epistola ipsius data ad amicissimum sibi Sulpitium Severum, in qua cum Severus ipse ab ipso petiisset; ut imaginem sui (quandoquidem copia ipsius præsentiæ non fieret) ad se transmittendam curaret; pius & prudens Pater respondet: (h) *Quid tibi de illa petitione respondeam, qua imagines nostras pingi tibi mittique iussisti? Obsecro itaque te per viscera charitatis, quæ amoris veri solatia de inanibus formis petis? qualem cupis ut mittamus imaginem tibi, terreni hominis, an cælestis? Scio quia tu illam incorruptibilem speciem concupiscis, quam in te Rex cælestis adamavit. Neque enim alia potest tibi à nobis necessaria esse, quàm illa forma ad quam ipse formatus es, qua proximum juxta te diligas; nulloque te nobis excellere velis,*

(h) Div. Paul. Nolan. epist. 8. ad Severum.

ne quid inter nos inæquale videatur. Sed pauper ego & dolens, quia adhuc terrenæ imaginis squalore concretus sum, & plus de primo, quàm de secundo Adam cerneis sensibus & terrenis actibus refero, quomodo tibi audebo me pingere, cùm cęlestis imaginem inficiari prober corruptione terrena? Utrimque me concludit pudor: erubesco pingere quod sum, non audeo pingere quod non sum: odi quod sum, & non sum quod amo. Hæc, aliaque pluscula, quæ eleganter subdit, ut Paulinus scriberet, studium humilitatis extorsit.

14 Sed non effugit Paulinus ipse studiosum amorem Sulpicii. Cùm enim is baptisterium in quadam basilica exornandum curavisset, duas ibidem imagines è regione positas curavit depingi; Martini Turonensis Antistitis unam, Paulini adhuc in terris degentis alteram. Verum hoc cùm accepisset ipse Paulinus, factum doluit: sed tamen utcumque tulit, rei significationem detorquens ad utriusque dissimilitudinem, sui ipsius scilicet, & Martini, ut in uno sanctus & innocens, in altero, nempe Paulino, improbus & peccator, magis conspicui cernerentur. Itaque cum à Paulino versiculos quibus baptisterium exornaretur, idem Severus postulasset, misit illos tandem, sed verecundia, humilitateque undique collucentes. Verùm audiri pręstat ipse Paulinus: (i) *Hac, inquit, gratia parui tibi in versiculis de hujusmodi tua pictura ad te mittendis, ut consilii tui ratio proderetur, qua salubriter novorum hominum* (quo nomine intelligit noviter renatos in fonte baptismatis) *informationi studens, diversas longè sibi imagines proposuisses; ut emergentes à sacro fonte, & vitandum & sequendum pariter conspicarentur.* Quod idem quia uberius & elegantius utraque oratione potens describit in versibus, haud incongruum erit eosdem hîc adscribere; qui tales sunt:

(i) Idem Epist. 12. da Severum.

Abluitis quicumque animas & membra lavacris,
Cernite propositas ad bona facta vias.
Adstat perfectę Martinus regula vitæ:
Paulinus veniam quo mereare docet.
Hunc peccatores, illum spectate beati:
Exemplar sanctis ille sit, iste reis.

Quæ omnia summatim hîc commemoranda duximus, ea mente, ut pateat, quàm fuerit, dum in vivis ageret, modestiæ atque humilitatis studiosus, osor suarum Paulinus Imaginum. Nunc de his pauca perstringemus.

15 Senem planè venerandaque canicie commendabilem depingi debere Paulinum, inde constat, quòd eiusdem rebus gestis scriptisque probè perpensis, æqualem Paulinum Augustini Parentis fuisse, cui anno uno tantum supervixit, rectè viderunt laudati jam Editores Operum Vitæque scriptores Fronto atque Eribertus. Itaque decessit Paulinus anno Christi CCCCXXXI. decimo Kalend. Julias, natus, ut apparet, CCCLIV. annum agens vitæ septimum supra septuagesimum. Illum verò fuisse formâ atque facie decora & liberali, ut planè decebat virum cum primis nobilem atque spectabilem, iidem tradunt: quin (neque enim hoc omitti debet) ubi ad beata cæli gaudia Paulini felix animus evolavit, ita niveo candore vultûs, & omne corpus Sancti viri affectum est, *ut omnes inter singultus & lacrymas* (verba sunt Uranii pręclari viri, qui migrationi Sancti Paulini præsens interfuit *) *Dominum Deum nostrum, qui educit Sanctos suos in magnificentia, ut ostendat servis suis, quia hec est gloria omnibus Sanctis suis.* Postremo prætereundum non esse videtur, quod decore, & citra cujusvis erroris nota depingi potest quandoque Paulinus sub olitoris aut hortulani habitu. Etenim prætèrquam hoc exercuisse munus in Africa, cùm semet in servitutem pro Viduæ filio regis genero dedidit, ut constat ex supradicta narratione, & fusius ex verbis à Magno Gregorio, loco supra allegato, ipsum revera hanc omnium innocentissimam artem & probè calluisse, & privatum exercuisse, ipsius testimoniis constat. Quin etiam vir impensè pius amicos frequenter admonuit, ut si quan-

* Narratio de obitu S Paulini apud Sur. tom. 3. die Junii 22.

quando huic exercitamento operam darent, animorum coram Christo culturam assiduè atque identidem cogitarent. Hucque pertinet ad illorum unum amicissima atque opportunissima commonitio: *Igitur*, inquit, *cùm in agro es, & rus tuum spectas, te quoque ipsum Christi agrum esse cogita: & in te, sicut in agrum tuum respice. Qualem agri tui speciem fieri à villico tuo postulas, talem Deo Domino cordis tui redde culturam, & intellige quidquid in agro tuo tibi displiceat aut placeat, idem in anima tua placere Christo, aut displicere.* Atque hæc instituti nostri occasione de Paulino dicta sint, fortasse nimis multa.

D. Pauli. ep. 30. ad Aprum. 2

CAPUT XI.

PICTURÆ ATQUE IMAGINES ANNUNTIATIONIS ab Angelo factæ conceptionis Sancti Joannis Baptistæ, Christi Domini Præcursoris inclyti.



I quam multa sese offerunt, quæ præfixum à nobis scopum propius pertingũt circa Picturas & Imagines Pręcursoris Christi clarissimi dicenda & minutius persequnda essent, in immensum caput hoc laborem excurreret. Seligemus igitur quę magis videbuntur opportuna correctione præsertim atque emendatione dignissima. Et quidem cùm Joannis Baptistæ nativitas, ipso narrante Evangelio, cælitus fuerit annuntiata Zachariæ parenti: cùm sæpius hujusce rei licuerit spectare Picturam, videre mihi visus sum non rei gestæ narrationem veram, sed male sani capitis deliria. Certum enim est, atque extra omnem dubii aleam, Annuntiationem Joannis Baptistæ inter sacratiora templi limina factam fuisse Zachariæ Sacerdoti, tanti viri futuro parenti, ab Archangelo ipso Gabriele, adstante ad latus altaris thymiamatum sive incensi. Hæc nemo nescit, neque ignorare quisquam debet, etiam non admodum eruditus: Pictores tamen nostri ut factum hoc oculis exhibeant depingantque, commenti sunt, coloribusque expresserunt ingentem (si ita dici licet) inscitiarum atque errorum Iliadem. Principio enim consueverunt describere, Templum quidem, at non illud quod in tota fidelium Israelitarum gente unicum fuisse, multis supra ostendimus: nempe Jerosolymitanum à Salomone primùm constructum, * postea verò reparatum atque instauratum, prout conditio tulit temporum, ut ibidem docuimus. Non, inquam, hoc, sed longe aliud, cujus nimirum Pictores habuerunt ideas, hoc est nostris persimile, quale est (ut magnifico etiam utamur exemplo) Regium illud, quod Deo erectum est sub Rege potentissimo atque piissimo Philippo II. in æde Sancti Laurentii Monastica, haud procul ab Scoriali oppido. Deinde pingunt, aut potius appingunt, in intimi templi penetralibus semitectam velo veterem Testamenti Arcam, atque ex illius utraque parte duos Cherubin, & prope illam stantem, aut genuflexum Zachariam: atque hunc (quod notatu est dignissimum) habitu & insignibus perornatum, quæ soli competebant Summo Pontifici, manu præferentem thuribulum. Sed quale? non id certè, quo veteres, aut veteris potius Legis sacerdotes utebantur: sed illud quo nostrates in templis utuntur; cum illis prorsus catenulis, per quas operculum vasis, in quo prunę jaciuntur, excurrit. Altare etiam non procul depingunt, sed non eo modo quo vetus erat; propeque illud Angelum stantem. Cetera Templi aut prorsus negligunt, aut male conformant. Quæ omnia, ut pateat quàm imperitè confingantur, hæc, quam maximè contracta potuimus, habeto.

* Lib. 3. cap. 4.

Tem-

2 Templum illud Deo Opt. Max. terræ cælique conditori dicatum extructumque intra septem tantum annorum spatium, quod etiam summopere mirandum est, á Salomone Israelitarum Rege, ad quod si conferantur quæcumque artis & opificii miracula, seu narrant historiæ, seu etiam confinxerunt Græcorum fabulæ, vix pauperum domicilia, aut tuguria pastorum censeri debent, sive amplitudinem, sive materiam, sive artem spectes; fuisse nostratibus templis dissimile, iam quantum instituti nostri ratio patitur, supra ostendimus. Excurrebat enim per spatia longissima atque latissima à foribus ipsis, & protendebatur per atria, quorum prius Gentilium seu advenarum; posterius verò Israelitarum vocabatur. Quæ hinc & inde claudebant porticus supra modum magnificæ, & in quibus multis concamerationibus & aulis continebantur habitacula destinata Templi ministris ac ministeriis, tam adeo variis atque multis, ut vix hæc omnia non certe pro dignitate narrare, sed ne numerare quidem vix possit scriptor diligens, etiam integro, eoque non modico volumine. Sed quod ad rem nostram maximè spectat, supraque jam notavimus, atria hæc non tecto ullo cooperta erant (neque enim possent, aut fas esset) sed exposita patenti cœlo, ut necesse erat tot mactandis cremandisque in holocaustum animalium, etiam majorum hostiis. Interim tamen tanta reverentia tractabantur colebanturque hæc vel ipsis nota pueris atria Domini, ut in illo, quod erat Israelitarum proprium, & intra quod viri feminæque populi, modo essent ritè & ex præscripto Legis purificati, nemo posset nisi nudatis pedibus consistere. In medio huius secundi atrii miræ magnitudinis atque molis erat Altare æneum sacrificiis holocaustomatisque destinatum, in quo, ut præceptum in Lege erat, neque noctu neque interdiu deficiebat ignis. Addo hoc: ad latus collocatum extitisse vas illud quod *mare æneum* jure merito appelabatur: utpote quod capiebat aquæ vim maximam, quam vix nemo mente conciperet, nisi eadem Scriptura Divina narraret. Cuncta hæc aliaque permulta, quæ consultò prætérimus, sat nota sunt iis, qui vel mediocri diligentia pertractant sacros atque Divinos libros; ignota autem prorsus Pictoribus, quanvis alioqui magnis artificibus, qui sæpè res ad suam ipsorum imaginationem accommodant; & plures ex inerudito cerebro non tam penicillo referunt, quàm comminiscuntur.

3 Et quoniam huc devenimus, locus apparet opportunus ut nonnihil, quanquam obiter, dicamus de Imaginibus aut statuis non solum in palatiis Israelitarum Regum, ut in ipsa Regis David aula, & etiam in ipsa Jerosolyma à Pictoribus passim affictis, sed (quod deterius est) in ipso Jerosolymitano Templo figuratis, quo nihil potuit fieri absurdius. Igitur cum Lege Divina vetitum esset Hebræis imaginem aut simulacrum, sive hominis, sive animantis cujuslibet effingere, quod vel primum caput est Legis à Deo latæ, ut ex illis verbis constat: (a) *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra*: quod aliis repetitur locis fere innumeris: * Judæi qui Babylonicam Captivitatem, propter habita apud se simulacra atque idola, quibus cultum etiam, ut prona erat gens illa ad hujusmodi nefas, exhibebant, incurrerant: post reversionem in patriam adeò religiose, imò si dicilicet, superstitiosè abhorruerunt ab imaginibus, ut eas nullibi apud se extare aut conspici paterentur. Nil opus hic multis, cùm satis superque sit unus apud illos bene de paternis institutis edoctus, qualis Josephus est. Et quidem quod ad Templum attinet, quod idem exactè atque accuratissimè describit, non solum ut fuerat à Salomone constructum, * sed etiam ut suo tempore perdurabat, ab aliis instauratum, præsertim ab Herode cognomine Magno: * Quod ad Templum, inquam, attinet, conspicua sunt eiusdem Josephi verba loquentis de ingenti aquila aurea, quam Herodes adulatus, ut credere par est, Romanorum Imperio, quibus aquilæ erant insignia, quod vel pueris notum est ex illo Lucani:

— Infestique obvia signis
Signa, pares aquilas, ——

in fronte templi collocaverat: ita enim

(a) Exod. 20.4.

* Lev. 26. 1. Deut. 5.8. & 27. 15. &c.

* Antiq. l. 8. c. 2.

* Ibid l. 15. c. 14. & de bello Jud. l. 6. c. 6.

enim loquitur: (b) *Inter cetera supra majorem portam templi dedicaverat donum pretiosum, Aquilam auream magni ponderis, cùm lex nostros homines vetet imagines statuere, aut consecrare animantium effigies.* Atque alio in loco: (c) *Qui* (præcipui Judæorum) *cum regem audissent mœrore ac morbo tabescere, apud notos loquebantur.... ut fabricata adversus leges patrias opera destruerentur. Siquidem in templo nefas sit, imagines aut vultus, aut cujuslibet animalis cognomine simulacrū haberi.* Verum id quod magis rem hanc ob oculos ponit planeque demonstrat, est factum illud, quod idem Josephus enarrat contigisse adventante Pontio Pilato in Judæam, quam ob defectionem Archelai Tiberius in formam Provinciæ redegerat: illud autem etsi operosius sit descriptum, libet integrum hic adscribere, ut facessant quicumque non advertunt, quantum Imagines, non solum admissę in templo, sed etiam receptæ in urbe, Judeis horrorem incusserint; sic enim habet: (d) *Missus autem à Tiberio in Judæam Pilatus, cum curandam accepisset regionem, nocte intempesta opertas in Hierosolymam intulit imagines Cæsaris, quæ res post triduum ingentem inter Judæos suscitavit tumultum: nam qui aderant stupore permoti sunt, quasi iam profanatas leges suas viderent. Nullum enim fas esse collocari in urbe simulacrum. Ad querelam autem eorum qui in civitate erant, subito etiam ex agris multitudo confluxit. Euntes autem ilico Cæsaream ad Pilatum, intentissime deprecabantur, ut ab Hierosolymis auferrentur imagines, & eis iura patria servarentur. Pilato autem supplicantibus abnuente, circa domum eius proni corruerunt: & immobiles quinque diebus continuis noctibusque mansere. Post autem Pilatus tribunal ascendens, studio magno convocat multitudinem Judęorum, quasi qui eis vellet dare responsum: cùm subitò milites accepto signo (sic enim iam fuerat preparatum) armati circumsteterunt Judæos: circumdataque triplici acie, Judæi quidem stuporis erant pleni, videntes insperatam rerum faciem. Tum Pilatus denuntians trucidaturum se omnes, nisi imagines Cæsaris susciperent, annuit militibus ut educerent gladios. Judæi autem quasi uno consilio omnes subitò corruerunt, & cervices nudatas excipiendis ictibus pararunt, vociferantes, universos se interfici magis velle, quàm legem profanari. Tum Pilatus circa religionem studium populi demiratus, confestim de Hierosolymis statuas jussit auferri.*

(b) Antiq. l. 17. c. 8.

(c) De bello Iud. l. 1. c. 21.

(d) Ibid. l. 2. c. 8.

4. His adnectere adhuc alia possemus; præcipueque illud quod idem narrat contigisse sub Caio Caligula, ubi illud expresśius habetur: (e) *Illis verò* (hoc est Judæis) *hæc contra legem moresque patrios allegantibus: & quia ne Dei quidem simulacrum necdum hominis, nec solum in templo: sed nec in profano aliquo totius regionis loco fas sibi esset locare, &c.* Quæ omnia cum ita sint, ubi, quæso, mentem habent aut cerebrum, qui non solum in urbe Hierosolyma, cum à Judęis incoleretur, neque solum in regum domibus aut palatiis, sed etiam in ipso templo statuas depingunt? Verum hæc sunt ineruditis Pictoribus consueta deliria, quibus proinde erudiendis noster hic, quicumque est, susceptus est labor. Iam ad reliqua Hierosolymitani templi utcumque describenda, quantum instituti nostri ratio postulat, accedamus.

(e) Ibid. cap. 2.

5. In superiori atrii Israelitarum parte sita erat sacratior illa ædes, quam proprie *domum Dei* vocabant, quæ certè duabus tantum constabat cameris sive aulis; quarum priorem vocabant *Sancta*, posteriorem vero augustiore vocabulo, *Sancta sanctorum*. Atque in priorem quidem cuivis, non solum feminæ, sed etiam viro è populo ingredi nefas erat; solisque proinde patebat sacerdotibus, qui secundum vices suas munere suo per hebdomadas fungebantur. Atque erant in ea quidem potissimum tria: candelabrum illud aureum, mensa item aurea panum propositionis, atque Altare, non quidem victimarum aut sacrificiorum, sed incensi, sive thymiamatum. Erat autem hoc concavum, atque munitum crate quadam aurea, super quam prunæ aureis forcipibus acceptæ à magno Altari sacrificiorum, quod in magno erat atrio, collocabantur, ut concrematis super eas suffimentis atque odoramentis, cinerés ad infimam altaris partem prolaberentur: qui tandem ministerio sacerdotum inde amovebantur. Interjacebat autem inter hanc aulam atque postremam pe-

penitioremque, quam *Sancta sanctorum* appellabant, pretiosi operis velum: intra quod admittebatur mortalium nemo: soli enim patebat Sacerdoti Summo, idque semel dumtaxat in anno, in festo expiationis, quod *Purim* vocabant: & tunc quidem non amictu illo grandi circumamicto, sed tunica tantum linea, cinctorioque, & cidari supra caput, ex lino omnino albo atque mundissimo. Cuncta hæc illustrari demonstrarique satis poterant, tum apertis Sacræ Scripturæ locis, tum etiam Hebræorum Doctorum ubique patentibus testimoniis: verùm quia Scripturę locos partim supra dedimus, partim ubilibet inspicere poterit etiam mediocriter versatus; Rabbinorum verò observationes circa rem hanc ad minutiora quæque exquisitioraque descendunt, quæ instituto nostro propositoque non admodum sunt necessaria; hęc præfixisse sat duximus: ut pateat ex illis, quàm multi in descriptione facti hujus, hoc est Annuntiationis nativitatis Baptistæ, à Pictoribus ineruditis admittantur errores.

6. Nam quod Arca fęderis depingatur in templo, quod extabat tempore Christi Domini, immò post Captivitatem Babylonicam, error est crassus atque imperitissimus: quandoquidem Arca à multis temporibus abscondita iam fuerat ab hominum aspectu. Quam rem quia supra abunde ostendimus & demonstravimus, * adeo ut remanere possit nulla dubitationis etiam levis umbra, hic ne cogamur actum agere, libenter prætermittimus. Quod verò pingatur genustexus, & aperto capite orans, imperitia est, ne quid asperius dicam. Etenim etsi aliquando legatur etiam in Scriptura hic adorationis modus, certè is, neque frequens erat, neque usitatus à ministris & Sacerdotibus, qui sæpè, aut potius semper stantes ministrabant, ut aliquibus probatur Scripturæ locis, & docet disserte Maimonides illis verbis: (f) *Stabat sacerdos conversa ad arcam facie.* Et de Levitis ait sacer textus, electos esse, *ut starent coram eo in ministerio.* Sed quid opus pluribus? etiam aliis, qui non sacerdotali neque levitico fungebantur officio, atque adeo non intrabant Sancta sacra peracturi, moris erat, ut stantes orarent. Quocirca in Evangelio legitur, Pharisæum & Publicanum, non genuflexos, sed stantes, in templo oravisse: (g) *Pharisęus*, inquit Lucas, *stans, apud se hæc orabat.... & Publicanus à longe stans, non valebat oculos suos ad cœlum levare.* Quibus verbis consuetus simpliciter modus orandi in ipso templo tam aperte demonstratur, ut clarius dici nihil possit.

7. Neque enim ego assentio interpretationi, quam hujus loci tuetur Author alioqui gravis, & quem ego sæpius cum laude nomino. * Is enim sum, qui viros magnos libenter sequor & reverens suspicio: non tamen id facio cæco atque irrationabili obsequio: neque sola mihi sine ratione prævalet authoritas. Itaque stantes plerumque orabant Israelitæ. Quod quidem, omissis pluribus, quæ hic premi possent, satis probatur, vel uno Scripturæ loco, quæ sic habet: (h) *Sacerdotes autem stabant in officiis suis: & Levitę in organis carminum Domini..... porro sacerdotes canebant tubis ante eos, cunctusque Israel stabat.* Atque hoc quidem imitati postmodum primævi Christiani, in templis atque in re ipsa Divina facienda hoc habitu corporis orabant: quod satis innuit antiquissimus Author Tertullianus, qui postquam rem eleganter expressisset, & quomodo Christiani aperto capite (quod secus Gentiles faciebant, precati Deos suos, ut notat insignis Brisonius *) pansisque in altum manibus, illis verbis: (i) *Illuc suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubescimus.... precantes sumus semper pro omnibus Imperatoribus &c.* hęc elagantiora subjungit. *Sic itaque nos expansos ungulæ fodiant, cruces suspendant, ignes lambant, gladii guttura detruncent, bestię insiliant: paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani.* Ex quo etiam (ut id quoque delibemus) idem habitus standi in Orationibus & præcationibus ad alios quoscumque pios credendus est promanavisse, etiamque hodie durare, pręsertim in iis qui solemniter Divinis officiis intersunt, ut in Clero cernere est, vel sacram psalmodiam canente, vel rei Divinę, quod maximum est, operam dante. De sancto enim Abbate Pacomio sic habet doctus eiusdem Vitæ Scriptor: (j) *Consueverat autem*

* Lib. 3. c. 4. n. 5.

(f) Maimon. l. de vasis c. 10 Deut. 10.

(g) Luc. 18. 11. 13

* J. Maldonat. ad hunc loc.

(h) 2. Paralip. 7. 6

* Barnab. Brison. de formulis l. 1. pag. 35.

(i) Tertul. in Apologet. l. 1. c. 30.

(j) Dion. Exiguus apud Cordam in Notis ad l. 2. Apologet. Tert. c. 30. n. 510 Idem Corda ibid.

tem stare in Oratione, *manus expandere*, *quas per aliquot horarum spatia minime colligebat*, *sed extensione diutina veluti cruci confixum corpus retinebat immobile.* Et Cassianus loquens de sui temporis Monachis, *Ac rursus*, inquit, *erecti expansis manibus*, *eodem modo quo prius stantes oraverant.* Plura congeri possent: sed ab his abstineo; neque enim omnia persequi licet, aut decet.

8 Aperto autem capite orare, tametsi nobis ita assuetis videatur religiosum & reverens obsequium; nullo modo tamen moris erat apud Hebręos, quemadmodum neque apud Gentiles, pręsertim Romanos: quod multis probat nuper laudatus Brisonius. (K) Apud Hebręos, inquam; non hoc in more erat, ut nudo orarent aut precarentur capite: quippe apud illos id tantumdem in luctibus permissum erat etiam privatis sacerdotibus: summo autem semper prohibitum; ut constat ex illo: (l) *Caput suum non discooperiet*, *vestimenta sua non scindent*: Hoc autem licere diximus privatis sacerdotibus, in domibus videlicet suis, atque extra functiones ministerii: in ipsis autem eadem facere; minime cohærebat cum illa gravitate quam exigebat reverentia. In ornamentis enim, quibus intra templum admittebantur ad sua ministeria sacerdotes, etiam summus, semper Cidaris, aut mitra numeratur, * quam ita aptabant capiti, ut contingere non posset, quod inter sacrificandum à capite delaberetur: quod disserte monuit harum rerum observantissimus Josephus. (m) Neque contrarium, aut in vniversum, aut in casu dequo agimus, testimonio vel authoritate ulla potest ostendi.

(k) Bris. (k i sup.

(l) Levit. 21. 10. & 10. 6.

* Exod. 29. 30.

(m) Antiquit. l. 3. c. 8.

9 Sed demus atque mittamus hìc multa. Zacharias Sacerdos qua, rogo, ratione depingitur ante Arcam (quæ tum certè ibi non erat) & non potius ante altare thymiamatum seu incensi? cùm ex ipso Evangelio constet, ad hoc muneris ingressum esse locum illum, qui *Sancta* dicebatur, illis verbis: *Factum est autem cùm sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum, secundum consuetudinem sacerdotii, sorte exiit ut incensum poneret*: quibus illa iunguntur: *Apparuit autem illi Angelus Domini stans à dextris altaris incensi.* Nam quod depingatur cum thuribulo, ejusdem figuræ, iis quibus modo utimur, simili, quos supra descripsimus; ab inscitia prorsus & rerum ignoratione proficiscitur. Thuribula enim (si ita appellare licet) quibus utebantur sacerdotes Hebræi, acerræ erant sive pateræ, paulò latiores; quæ tantum in illum deserviebant usum, ut in illis prunæ acceptæ ex altari grandi, quod erat in atrio, deferrentur intus ad altare incensi; super quas in crate aurea huius altaris collocatas profundebatur ingens suffimentorum atque adoramentorum vis; ex qua fumus suavissimus promanabat; qui nebulæ instar totum fere complebat locum. Erant autem (ne id omittamus) hujusmodi acerræ ex puro auro, atque in tam grandi numero, ut vix apud harum rerum imperitos fidem inveniat. *Acerræ aureæ*, inquit Josephus, (n) *quibus deferebatur ignis à magno altari in parvum*, *intra templum situm* (hoc est; intra locum illum, qui *Sancta* appellabatur) *erant quinquaginta millia*: ut facile quivis hic videat, quanta majestate dignitateque tractaretur Dei cultus, etiam post opulenta illa tempora Salomonis.

(n) Joseph. Antiq. l. 8. cap. 2.

10 Ceterùm quod hoc loci animadversione majore dignum est, à solutione quęstionis illius dependet, An Zacharias Baptistæ genitor, sacerdos fuerit summus, nec ne? Hinc enim patebit, quàm rectè se gerant Pictores, dum eumdem intra intimius penetrale templi, seu (quod idem est) intra Sanctum sanctorum depingunt paratu illo magnifico atque ornatu, qui in Scriptura exquisita cura describitur. Et quidem fatemur ultrò, plures ex Sanctis Patribus, de his rebus diligentius pervestigandis minus fortasse solicitis, tenuisse, Zachariam fuisse suo tempore summum Hebræorum sacerdotem. (o) Verùm cū res hæc postmodum ab his qui veteres sunt sequuti interpretibus, maiori longè curâ, diligentiorique examine pertractata fuerit; operæ pretium erit illam dilucidius exponere, ne contingat, ut ex Picturis fallantur imperiti, aut ex rerum ignorantia ansam male pingendi arripiant Artifices, quanquam alioqui magni, ipsarum tamen rerum imperitiores. Quod ut præstemus,

(o) D. Ambros. Cōment. in Luc. c. 1. Aug. tract. 49. in Joanně, Chrysost. tom. 5. homil. de Incomprehensibili Dei natura, &c.

mus, negotium oportebit altius, & ab ipsis fontibus repetere.

11 Igitur narratio Evangelistæ, quæ primò præ oculis habenda est, ita ad verbum habet. (p) *Fuit in diebus Herodis regis Judeę sacerdos quidam, nomine Zacharias, de vice Abia, & uxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Elisabeth.* Atque post pauca, quæ instituto nostro in hac rerum præsentia non inserviunt, subjicit: *Factum est autem cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suę ante Deum, secundum consuetudinem sacerdotii, sorte exiit ut incensum poneret, ingressus in templum Domini: & omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi. Apparuit autem illi Angelus Domini, stans à dextris altaris incensi. Et Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum, &c.* Quæ si maturè perpendantur, & cum ea rerum notitia, quæ satis clarè constat ex ipsa lectione sacræ Scripturæ, rem totam clarius meridiana luce patefaciunt. (q) Igitur ex Scrrptura constat, Davidis tempore inventa fuisse Hebręorum Sacerdotum triginta & octo millia, ex quibus separata sunt viginti quatuor millia, distributaque in familias vigintiquatuor. Harum autem familiarum octava erat familia aut classis *Abię*, ut ex simplici lectione Scripturę constat. (r) Horum autem ministeria sacerdotum quanvis compendio tradat Scriptura illis verbis: (s) *Hæ vices eorum secundum ministeria sua, ut ingrediantur domum Domini, & juxta ritum suum sub manu Aaron patris eorum, sicut pręceperat Dominus Deus Israel*: exposita sunt diligentius alibi. * Quod verò nunc ad rem nostram attinet, in unaquaque Hebdomada, à Sabbato videlicet in sabbatum, intra templum ipsum habitabant illi, quibus sors obtigerat illa hebdomada ministrandi: ex quibus rursus sorte destinabatur ille, qui per dies singulos, prout ferebat sors, ex magno altari sacrificiorum desumptas prunas, in locum illum, qui *Sancta* appellabatur, acerris inferebat, superque aram thymiamatum imponens, aromata atque incensa adolebat: quod unaquaque die bis fiebat, hoc est, mane atque vesperi. Ex quo clare patent lectori mediocriter attento Evangelii verba illa: *Factum est cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ* (hoc est hebdomada illa, quà ministrare debebat eius familia) *secundum consuetudinem sacerdotii, forte exiit us incensum poneret &c.* Dicitur autem, *ingressus templum Domini*, non quòd templum Domini non censeretur atrium illud, in quo erat holocaustorum & sacrificiorum altare: sed nomine templi intelligitur hîc pręcipuè pars illa, camera, vel aula, quæ *Sancta* appellabatur, & in qua erat altare thymiamatum simul cum candelabro & mensa panum; & quæ præcedebat intimam illam & secretissimam aulam, quæ *Sancta sanctorum* vocabatur, à quâ velo tantum secernebatur, ut postea adhuc pressius dicturi sumus, immo jam supra diximus agentes de descriptione templi.

(p) Luc. 1. v. 5.

(q) 1. Paralip. 23. v. 3. & 4.

(r) Ibid. 24. 10.

(s) Ibid. v. 19.

* 2. Paralip. 23. v. 5.

12 Quibus probè cognitis, ac præ oculis habitis, sententia penitus explorata, mihique certissima est, Zachariam Joannis Baptistæ patrem, non fuisse summum Hebræorum sacerdotem, sed unum ex illis planè multis, qui sacerdotio fungebantur secundum ordines vicesque suas. Cuius quidem sententię priusquam assertores & propugnatores nominemus, placet fundamenta solida statuere. Primum est: Quod Evangelista sacerdotem illum quemdam appellavit: appellasset verò Pontificem aut sacerdotem summum, si fuisset Pontifex aut summus sacerdos. *Neque enim credibile est* (verba sunt clari, immo judicio meo summi Interpretis inter paucos *) *Evangelistam, si summus Sacerdos fuisset, id fuisse silentio præteriturum; cum tanto eum studio videamus quocumque potest genere laudis Joannis parentes cumulare. Ad quam laudem maxime pertinebat eius patrem non solum sacerdotem, sed summum etiam sacerdotem fuisse.* Adde, quanuis in idem recidat, quod Zacharias simpliciter vocatur ab Evangelista ἱερεὺς, *sacerdos*, non ἀρχιερεὺς, *pontifex*, seu *sacerdotum princeps*; quod, nisi ego fallor, vocabulum semper usurpatum est ab Evangelistis, quotiescumque pontifex aut princeps sacerdotum venit nominandus, quin locus ullus in contrarium objici possit. Ad hæc. Nam si summus sacerdos fuisset, & in sanctum sanctorum ingressus (quod qui contrarium statuerunt, fatentur libenter) Angelum conspexisset, pro-

* J. Maldon.

profectò non dixisset Evangelista, ingressum fuisse ut poneret incensum; sed ut peracto sacrificio, sanguinem inferret, quod proprium munus erat sacerdotis summi; idque semel tantum in anno, ut disserte nos docent Scripturæ verba, qualia illa sunt: (t) *Et deprecabitur Aaron super cornua eius semel per annum, in sanguine, quod oblatum est pro peccato, & placabit super eo in generationibus vestris. Sanctum sanctorum erit Domino.* Atque illa rursus. (u) *Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur sanctuarium, quod est intra velum coram propitiatorio, quo tegitur arca, ut non moriatur.* Quæ omnia palam descripsit Apostolus, adeo clarè, ut siquis fuerit qui hæc non videat, nihil videat necesse est: sic enim habet: (x) *In priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes: in secundo autem semel in anno solus Pontifex, non sine sanguine, quem offert pro sua & populi ignorantia.* Magni quidem ponderis argumentum! sed neque minoris neque levioris suppetunt alia.

(t) Exod. 30. v. 10.

(u) Levit. 16. 2.

(x) Hebr. 9. v. 6. 7.

13 Etenim cùm Evangelium disserte asserat quod Angelus apparuisset Zachariæ *stans à dextris altaris incensi*, convincitur manifestissimè, neque summum fuisse Sacerdotem, neque in locum illum, qui *Sancta sanctorum* vocabatur, ingressum esse. Nam thymiamatum & aromatum impositio munus erat, non quidem pontificis summi, sed aliorum communium sacerdotum; qui secundum vices ministrabant. Tum etiam & urgentius: Nam altare thymiamatum non erat intra, sed extra velum, videlicet in *Sancta.* Rursus: Zacharias dicitur ab Evangelista sacerdotem fuisse *de vice Abia*, quæ, ut vidimus, octava erat inter sacerdotales familias: Sacerdos autem summus, non de vice ulla, aut familia determinata eligebatur, sed ex quacumque, modo generis esset sacerdotalis. Preterea: De Zacharia dicitur in Evangelio, *sorte exiisse ut incensum poneret*: Atqui si summus fuisset Pontifex, non ita diceretur: quippe pontifex, sacerdosque summus non sorte eligebatur ut ministraret; sed vel toto vitæ tempore ministrabat (ut antiquitus observatum fuit), non solum extante Templo Salomonico, sed etiam post novam instaurationem Templi à Zorobabele factam, ut ex libro Machabæorum constat, ubi sermo fit de Onia sacerdote summo) aut saltem integro anno perdurabat munus: quod postmodum factum sic esse, ipsorum Judæorum ambitione, & Romanorum abusu atque tyrannide, nemo est qui nesciat. Quare appositè ad rem hanc infert gravis & purpuratus Author, (y) Zachariam, sacerdotem quidem fuisse, ut constat ex textu Evangelii; sed non summum, aut populi pontificem. En eius verba.,, Hæc sors probat Zachariam ,, non fuisse summum sacerdotem, ,, qui illo tum temporis unus cum es-,, set, non eligebatur sorte, de eo-,, que incenso & thymiamate sermo ,, est, quod singulis diebus adoleba-,, tur, ut in textu diximus, à sacerdotibus. Hæc Author doctissimus atque eminentissimus. Sed quoniam de sortitione hac sacerdotum in ministeriis sermo incidit, abs re non erit notare verba, observationemque Authoris & Interpretis conspicui, qui ita habet: (z) ,, Animad-,, verte cuiusque sortis, vicis, vel ,, hebdomadæ sacerdotes, qui in tem-,, plo ministrabant, solitos fuisse fun-,, ctiones sacras inter se sortibus di-,, stribuere. Huic sorte thymiama-,, tis oblatio, illi lucernarum compo-,, sitio atque inflammatio, alii hoc, ,, alii illud sacrificii genus offeren-,, dum obveniebat. Unde perspicua ,, sunt Lucę verba illa: Factum est cùm sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suę, secundum consuetudinem sacerdotii, sorte exiit ut incensum poneret, &c. ,, Sorte nam-,, que obvenit Zachariæ incensi, hoc ,, est thymiamatis oblatio. Idem de ,, reliquis sacerdotibus intellige. ,, Par enim in omnibus ratio reperi-,, tur. Lege Abulensem 1. Paralip. 24. q. 26. Hucusque exactus atque eruditus scriptor.

(y) Card. Franc. de Toleto. in Luc. c. 1. annot. 15.

(z) P. Sebast. de Barradas Com in Evang. t. 2. l. 3. cap. 53.

14 Ceterùm ulterius confirmatur & roboratur principale assertum. Nam de Zacharia dicitur, quod expleto hebdomadis ministerio, intra quam (ut iam supra innuimus) à templo exire sacerdotibus non licebat, domum suam repetiit. En Evangelii verba: (a) *Et factum est ut impleti sunt dies officii eius, abiit in domum suam.* At ubinam, rogo, domus erat sacerdotis huius Zachariæ? Non interpre-

(a) Luc. 1. 23.

te nobis opus erit, sed ipso Divino Evangelio, quod de sacratissima Deipara, post eidem factam ab Angelo Verbi Divini concipiendi annuntiationem sermonem instituens, hæc subdit: (b) *Exurgens autem Maria.... abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda: & intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth.* Igitur Zachariæ domus non erat in Jerosolymis, ut falso sibi persuasit minus ad hęc intentus Theophylactus; sed in alia urbe, quæ qualis ac quęnam fuerit, non est huius loci disquirere. Igitur sacerdos summus aut Pontifex non erat. Optima, ut putamus, illatio! Nam sacerdoti summo non licebat extra Jerosolymam habere domum, in qua commoraretur, ut unanimiter docent Doctores Hebræi: immo Authorem (c) habeo qui asserat, sacerdotem summum intra templi ipsius limina habitationem sæpius habuisse, quam vocabant, *Conclave Pontificis.* Quamquam negari non possit domos, & quidem satis amplas, in ipsis Jerosolymis habuisse Pontifices, ut facile constat ex Evangelistarum narrationibus, & historia Passionis Christi Domini. Denique, omissis pluseulis (namque non omnia minutius libet persequi) Pontificatus Judæorum non adeò ignobilis erat dignitas, ut eorum qui illam obtinuerunt non facti sint exactiores indices & catalogi, in quorum nullo Zachariæ nomen reperitur: immò Josephus, harum rerum diligens investigator, dissertè asserit, tempore nativitatis Christi, seu (quod in idem recidit) tempore illo quo facta est descriptio à Præside Syriæ Cyrino (quod idem fere est atque illud, in quo facta est ab Angelo annuntiatio nativitatis Joannis Baptistæ; cùm hic sex tantum mensibus Christi nativitatem antecesserit) Pontificem fuisse nomine Joazarum, ut illis eiusdem verbis constat: (d) *Illi vero,* (hoc est Judæi) *tametsi primum ægrè ferrent mentionem descriptionis, non sunt tamen reluctati pertinaciter, parendo authoritati pontificis Joazari, qui Boethi fuit filius.* Ergo, quod probandum erat, non fuit pontifex aut summus Sacerdos Zacharias.

(b) Ibid. v. 39.

(c) Petr. Cuneus de Repub Hebr. l. 2. cap. 3.

(d) Antiq l. 18. c. 1.

15 Neque verò morabor ego Authores quos videre mihi non licuit; illos tamen innominatos refert subacti judicii vir P. Joannes Maldonatus: (e) hi enim præfatis argumentis ex una parte convicti, ex alia verò sanctorum Patrum (de quibus paulo post) authoritate permoti, asseverare sunt ausi quod nullo fundamento dici potest: hoc est: post ordinem illum ministrandi inter sacerdotes à Davide olim constitutum, nullum summum sacerdotem fuisse perpetuum; sed eum cui sortitò contigisset in festo expiationis ministrare (quo solo die in Sanctam sanctorum summus sacerdos ingrediebatur) per totum eum annum functum fuisse officio summi sacerdotis. Vel dixerunt: Nullum omnino summum sacerdotem certum fuisse: sed illum qui sua hebdomada sacerdotis officio in templo fungeretur, summum ea hebdomada fuisse sacerdotem. Non ego facile adducerer ut crederem, fuisse aliquos, qui tam absurde opinati fuissent de re gravissima, nisi tam gravis circunspectusque scriptor, qualis certe est supra allegatus, me doceret extitisse aliquos, quanvis illos non nominet. Certè quod nullo fundamento asseritur, nullo negotio labefactatur, aut sua sponte corruit. Atque huiusmodi sunt hęc opinamenta, aut verò deliria, quæ modo retulimus, cùm dicantur, aut potius fingantur sine ullo Scripturę testimonio, sine historia ulla, immo contra fidem prorsus historiæ, & qnod caput est, sacræ ipsius Scripturæ. Quo fit ut fixum maneat, & fuisse in populo saltem annuam (quod Romanorum tyrannide factum esse diximus) dignitatem Pontificatus summi, & hac Zachariam Ioannis Baptistæ patrem nullo modo fuisse perfunctum.

(e) Mald. ad 1. Luc. n. 46. pag. mihi 850.

16 Quare sententiam hanc nostram longe verisimiliorem, immo simpliciter & absolute veram, his permoti tenuerunt atque amplexi sunt Authores non ita quidem antiqui sed tamet gravissimi, & qui res illas, quibus in casu nostro intentum esse Scriptorem oportet, diligentius sunt pervestigati. Magnus Abulensis, (f) Nicolaus de Lyra, Seraphici Ordinis haud vulgare decus, Cardinalis Franciscus Toletus, Ioannes Maldonatus, Sevastianus de Barradas, aliique nec pauci neque ignobiles. Sed claudat hoc agmen Commentator sat clarus, & cui in cognitio-

(f) Abul. in Exod. c. 30 q. 6. Lyra ad hunc Evang. locum.

tione rerum ad Sacram Scripturam pertinentium, & in doctrina eruditioneque non multos æquales reperieris: is est P. Cornelius Alapide.(g) Aliorum verba supra sparsim dedimus: huius vero postremi placet integra exscribere, quæ sic habent post alia lectu dignisſima. „ Quare Zacharias non fuit Pontifex (hoc „ enim non tacuisset hic Lucas) sed „ communis Sacerdos, uti docent „ Lyranus, Toletus, Maldonatus, „ Baronius, Salmeron, Abulensis, „ Jansenius, Carthusianus, Caieta„ nus, ac Suarez. Quoniam verò Cornelius hic allegat Franciscum Suarium, magni nominis Theologum, &, ut ipse frequenter audit, Doctorem Eximium, temperare non potui quin hic illius etiam verba transcriberem; quæ sic habent: (h) *Verius tamen est Zachariam non fuisse summum Sacerdotem. Lucas enim non vocat eum principem sacerdotum, vel sacerdotem summum, sed simpliciter sacerdotem, qui alios habebat equales, atque eiusdem ordinis.* Et paucis interjectis: *Unus ergo ex his sacerdotibus erat Zacharias. Unde non est ingressus in Sancta sanctorum*, in quæ solus summus sacerdos semel in anno ingrediebatur, sed in aliam templi partem; quę vocabatur primum tabernaculum seu sancta. *Ad Hebr.9.quod erat post primum velum: & in eo erat altare thymiamatis, & panes propositionis: atque illuc soli sacerdotes functionis suæ tempore ingrediebantur.* Videat proinde, serioque inspeciat doctus atque eruditus lector, an assertum nostrum destitutum sit, non tantùm rationum pondere, sed etiam authoritatis.

(g) Alap. in hunc Evang.locum.

(h) Suar. in 3. p. t. 2. q. 38. art.4.disp. 14.sect.3. pag. 218.

17 At quid dicemus de talibus tantisque Authoribus, qui secus quàm nos de re hac statuerunt, quales certè sunt Sancti Patres, Ambrosius præcipuè, &, quod magni ponderis esse debet, Augustinus Parens? Dicemus, quod revera est, sed tamen ut decet admodum reverenter, nihil omnino detrahi Sanctorum Patrum, etiam Augustini, dignitati atque authoritati, si in aliqua peculiari re, & quæ non dogmata, sed factum spectat, petendum ex Jerosolymitani Templi exquisitiore cognitione, Hebraicorumqne rituum, & cæremoniarum observatione, dicamus illos transversos nonnihil egisse imaginationem minus intentam atque exactam. Itaque censuerunt locum illum, ad quem ingressus est Zacharias Baptistæ Parens, & in quo erat altare thymiamatum, esse illum ipsum ab hoc velo dumtaxat distinctum, & in quo olim servabatur Arca, appellabaturque non utcumque *Sancta*, sed *Sancta sanctorum*, in quem soli summo Pontifici ingredi licebat, idque semel tantùm in anno. Atqui hoc non ita fuisse, sed diversa fuisse loca, quanvis inter se continuata, & solum velo grandi & magnifico discreta & separata; tam perspicuè, ut credo, exposuimus in supradictis, ut eadem repetere, opus videatur lectorum tempore & otiis abutentis. Atque ita quidem Sanctos Patres accipiunt atque explicant clarissimi, quos supra retulimus, Interpretes.

18 Levia denique sunt (ne hoc intactum relinquamus) quæ ex Burgensi, quamquam bono atque erudito Authore, peti possunt argumenta ad probandum Zachariam fuisse summum sacerdotem aut pontificem. Primum quidem ex illis verbis; (i) *Et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi.* Nam si Zacharias summus sacerdos non esset, neque ingressus in Sancta sanctorum in die expiationis, in quo tantum locum illum ingredi Sacerdoti summo licebat; non diceretur extitisse populi multitudinem foris orantem hora incensi: neque enim verosimile videtur bis quotidie, hoc est mane & vespere, consuevisse populi multitudinem templum adire, aut in illud confluere: Ergo dicendum est, & diem illum fuisse celeberrimum expiationis, & sacerdotem summum Zachariam fuisse, qui eodem ipso die, pro muneris sui ratione Sanctum sanctorum fuit ingressus. Leve argumentum: Potius enim videtur verosimile (mihi certe verosimilius) quotidie hora incensi, tam matutina, quàm vespertina, populum ad templum consuevisse confluere, etsi non totum, saltem ex illo plurimos, qui attentiores divinis rebus, religiosioresque essent & censerentur: quòd satis est ut dicatur, multitudinem populi orantem extitisse foris. Secundum est: Videri Zachariam sumum fuisse sacerdotem: utpote qui in Sanctum sanctorum ingressus fuisset: quandoquidem

(i) Luc. 1. 10.

dem solus erat, cùm eidem apparuit Angelus: Atqui sacerdos summus ille erat, qui cum in Sanctum Sanctorum ingrediebatur, solus & sine comite ullo aut ministro id præstabat officium: de aliis verò sacerdotibus aut de ipso summo, ut soli essent & sine comite, nihil in Lege aut moribus esse cautum. Summus ergo sacerdos erat. Profecto non maioris momenti est argumentatio. Constat enim, nulli prorsus ex populo, nisi sacerdotibus, licuisse ultra atrium & vestibulum progredi, ingredivè locum illum, etiam qui sancta appellabatur. Et quanvis quilibet ex sacerdotibus ingredi posset, non tamen ingressum fuisse, cum Angelus apparuit Zachariæ, ulla ratione aut testimonio constat, neque certe opus erat, ut semper, aut quandocumque ingrederentur: & quando thymiamata incendebantur & adolebantur super altare incensorum, supervacaneum videbatur; cum in tam facili ministerio nullo comite ministrovè sacerdos indigeret. Tertium denique proponere non libet: neque enim solidum fundamentum continet, sed potius olet Rabbinicas commentationes atque fabulas, &, quod caput est, etiam si totum quod assumitur concedatur, nullo modo efficitur, aut Zachariam fuisse summum Sacerdotem, aut ingressum eò, ubi solùm summo licebat sacerdoti, ut recte vidit sæpè laudatus Author. (k)

(K) Mald ad 1. Luc.

19 Ut verò Pictores nihil iam reluctentur, contendereque desinant, si qui sint ex illis, qui sibi plus sapere videantur: concedamus ultro illis quod hucusque tam operosè firmavimus ac disputavimus. Fingamus Zachariam summum fuisse sacerdotem, quod munus illi tam liberaliter Pictores tribuunt atque concedunt. Admittamus ingressum fuisse Sancta sanctorum: demus hoc illis, quanquam falsum sit, liberaliter. An propterea censebunt datum illis aut dandum esse, ut Zachariam pingant, eo quo solent modo, ornatum illis insignibus, quæ Scriptura sacra operose describit? Minime verò gentium: constat enim ex ipsa Scriptura (ut nihil dicam de Hebræis doctoribus) sacerdotem summum in die expiationis, quo solo Sanctasanctorum ingredi ipsi licebat, non paratu illo magnifico, qui tot constabat rebus, ingredi ipsi solitum ac licitum fuisse, sed alio multo simpliciore, qui in Scriptura describitur, cum sermo fit de ingressu summi sacerdotis in Sanctasanctorum in die expiationis, ut per se constabit lectori non admodum etiam intento, illis verbis: (l) *Tunica linea vestietur, feminalibus lineis verenda celabit: accingetur zona linea; cidarim lineam imponet capiti: hæc enim vestimenta sunt sancta: quibus cunctis, cùm lotus fuerit, induetur.* Dato igitur atque concesso Pictoribus liberaliter (quod summopere notandum est) fuisse Zachariam Baptistæ Patrem non unum ex ordinariis sacerdotibus, sed omnium summum: quàm rectè tamen illum pingant in casu apparitionis Angeli, ornatum omnibus suis indumentis, ipsi viderint. Certè nos rem totam diligentius intueri videreque, ne saltem ipsi errent, studiosius quantum potuimus inspeximus.

(l) Levit. 16.4.

20 Quamobrem ut toti rei imponamus coronidem, hoc tantum supererit, ut quoniam falsa reiecta sunt, adstruamus hic breviter vera, & quanam ratione in descriptione hac pingendus sit sanctus Zacharias, totaque rei gestæ historia proponenda. Enim verò si negotium hoc ut re ipsa contigit, exprimere quis velit, nullo modo posset penicillo describere: gestum enim est in illa ingentis prorsus magnitudinis aula, quam *Sancta* appellabant, &, quod ad rem attinet, inter duo aulæa aut velamenta: duo quippe omnino erant: unum, quod prædictam aulam subtrahebat ab oculis & aspectu populi: alterum, quod eamdem secernebat ab interiori illa secretiori sacratiorique, quam vocabant *Sanctasanctorum.* Horum duorum velamentorum disserta fit mentio ac descriptio apud Scriptores Hebræos, quorum perlecti sunt passim ab omnibus & habentur Philo Josephusque: sed nihil nobis opus est illis, cum id luculenter adstruat maior authoritas, qualis est Divi Pauli, verbis illis: (m) *Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra, & mensa, & propositio panum, quæ dicitur Sancta. Post velamentum autem secundum* (preme studiosius verba) *tabernaculum, quod dicitur Sanctasanctorum.* Sed quoniam factum hoc pingi supponimus, immo & debere etiam

(m) Hebr 9.2.

etiam depingi, oportebit ut describatur remoto prioris portæ velo, atque hoc modo cerni possit & Zacharias & Angelus. Quod ad Angelum attinet: nihil est dubium: pingendus enim est sub specie grandioris, alati, venustique juvenis, ut suo loco supra diximus. Pingi autem debet, hoc ipsum docente Evangelica Historia, non alio situ, quàm stans á parte dextera altaris thymiamatis; quod altum erat quinque pedes ampliusque geometricos, aut, quod in idem recidit, tres cubitos, ut constat etiam ex Scriptura. * Ex quo loco (ut id obiter, quamquam maxime ad rem, dicam) constat Zachariam non alio modo posse aut debere pingi quàm stantem: nec enim alio possent sacerdotes thymiamata super prunas altaris hujus, aut æqualis altitudinis ponere. Ornatus esse debet operimento albo capitis, & quantum repræsentari poterit, lineo, non mediocris circumquaque latitudinis, & ea planè forma qua capitis operimenta gerunt Turcæ, quæ communiter appellantur *Turbantes.* Super corpus verò, à collo usque ad pedes (qui pingendi nudi omnino sunt, nec enim aliter loca illa intrare licebat vel ipsis Sacerdotibus, etiam summo) tunica cum manicis, etiam linea, candidaque amictus describi debet: insuper & pręcinctus zona, etiam linea, quanvis nonnullis etiam variegata coloribus; cujus cinguli vel cinctorii extremitates ad pedes usque ferè pertingebant. Manu sinistra depingetur gerens auream illam pateram, de qua supra egimus, & in qua imponebantur prunæ ab altari sacrificiorum acceptę, & super quas imponebantur pretiosa illa thymiamata, ut supra etiam exactius descripsimus. Et hic erit congruentior modus depingendi Zachariam Sancti Præcursoris Patrem, quando illi Angelus annuntiavit, futurum ut Elisabeth eius uxor filium conciperet & pareret, tanti tamque præcellentis meriti, qualis fuit ipse Joannes. Denique opportunum erit ut eruditus Pictor meminerit in eadem aula describere ab uno & altero altaris latere candelabrum aureum, mensamque panum propositionis; quæ duo facile erit in quavis magis accurata editione Bibliorum reperire descripta.

* Ezech. 41.22.

CAPUT XII.

EIUSDEM PRÆCURSORIS IMAGINES, SIVE pueri, sive juvenis, sive adolescentis.

1 Ictura Apparitionis Archangeli Zachariæ Joannis Parenti, quamvis non admodum frequens, nos plus justo fortasse detinuit; sed non id irrito aut pœnitendo labore, ut existimo. Discutere enim rem hanc accuratius voluimus, ut Pictores, quos (absit enim viros doctos alios & eruditos) suscepimus instituendos, vel in hoc solo discant, quantum rationum pondere ad disentiendum à nonnullis admodum in vulgo receptis opinionibus moveamur. Quare hoc constabilito, aggrediamur, si placet, tractationem de Picturis & Imaginibus Baptistæ, quæ sanè permultis aliis sunt frequentissimæ. Et quidem non hic immorabimur in carpendis vitiis, quibus feminæ, ineptè prorsus, tametsi piè, non quidem pingunt, sed depictam, aut potius exculptam puelli Baptistæ imaginem exornant, ut scilicet proponatur omnino, aut fere omnino nudus, obtectum non melote illa (de qua infra) sed pellicula, quæ vix à tergo calet medias corpusculi partes; calceatum sandaliolis, flava etiam pręnitente in capite, crispataque, mirisque modis cincinnata cæsarie: quibus interdum mille hujusmodi adnectuntur ineptiæ. Non, inquam, in his placet immorari, qui non hæc, sed magis recondita, atque, ut credimus, notatu digniora consectamur.

2 Nihil frequentius videris, quàm depictum Joannem Baptistam puerulum cum Christo Domino etiam

in

in puerili ætate miris ac ridiculis modis colludentem aut collusitantem: nempe aut passerculum filo innexum manu prehendentem, aut agitantem ex levi materia compactam rotulam, quæ moveatur facilè vento, aut, quod plane ridiculum est, super agnum equitantem. Verùm hæc omnia, præterquamquod ludicra sunt, & aliena à sacrarum rerum gravitate, sunt etiam omnino falsa, aut falsa atque improbabilia oculis repræsentant. Supra enim probavimus apertissime, (a) contigisse nunquam ut Christus Dominus cum cognato & Præcursore suo in puerili ætate concurreret; neque ipsi unquam fuisse humanis oculis cognitum de facie, neque postmodum vidisse se mutuo, usque dum ad illum perrexit Christus ab eodem Præcursore baptizandus. Quare, quandoquidem rejici penitus non possint, vel propter pietatem cogitatę rei, vel propter Artificum eximiam excellentiam illæ picturæ, in quibus Sacra cum Jesu Deipara, Elisabetha parens cum Baptista, Josephus item & Zacharias cernuntur amica societate iuncti: debebunt aliquo pio sensu recipi, aut cogitari. Sed jam ad certa atque explorata par est venire.

(a) Vid. sup. lib. 3. c. 6. n. 2.

3 Certum & extra dubium est, Joannem Baptistam, cum adhuc etiam esset puer, educatum esse non molliter & delicatè, sed ut decebat præconem eximium pœnitentiæ, in ipsis rupibus locisque desertis. Hoc manifestissimè docent Evangelii verba illa: (b) *Puer autem crescebat & confortabatur spiritu: & erat in desertis usque ad diem ostensionis suæ ad Israel.* Negant hoc aliqui. Sed qui, qualesvè? nempe illi, quibus quęcumque sancta, pia, & quę rigorem, austeritatem, & pœnitentiam redoleant, supra modum displicent. Quibus insignibus nemo dubitat, hæreticos nostri temporis denotari. Itaque asserunt, educatum Joannem in domo paterna, non solùm infantem, nec tantum puerum, sed etiam juvenem, adolescentemque. Et quod asserit Evangelium, *eum fuisse in desertis*, eò traducunt, ut per id solùm intelligatur, habitasse in parentum domo, quæ erat in montanis locis, aut regione montana Judææ. Ita molli vitę dediti assuetique deliciis, de austeritatis & pœnitentiæ concionatore nugas prædicant, atque de virtute sic sentiunt osores virtutis: quibus de rebus infra suo loco redibit sermo. Interim piis saltem & cordatis sat esse debet vetus atque elegans Hymnus, qui iam ab annis plus mille ducentis canitur in Ecclesia, cuius illa sententia est:

(b) Luc. 1. 80.

Antra deserti teneris sub annis,
Civium turmas fugiens, petisti,
Ne levi posses maculare vitam
Crimine linguæ.

Pingendus ergo est Divus Pręcursor eremum vastam atque incultam habitans, sive vir pingatur, sive juvenis, sive etiam puer vix aut ne vix quidem exacta infantia. Quæ omnia eleganter carmine de pręceptis ad Virgines (ut mittamus aliorum veterum Patrum cerebra testimonia) complexus est Nazianzenus dum inquit.

Melle famem agresti repulit, vilique locusta
Zacharia genitore satus, texitque camelli
Membra pilis, habuitque domum, versatile cælum:
Atque in humo dura corpus dabat ipse sopori.

4 Sed quod ad vestimentum spectat, Pictores non satis rem assequuti, depingere consueverunt Joannem, puerum quidem, indutum pellibus hędinis, aut aliis hujusmodi; juvenē verò, atque etiam virum, rudioribus exuviis, quales sunt camelli, dependente plerumque ab illis parte cameli capitis, quod, ut bene vidit sæpè laudatus Molanus (c) non satis consonum videtur Evangelicæ historię. Nec enim Evangelia habent, vestitum fuisse Joannem cameli pellibus; sed de pilis camelorum rudem, asperam, & cilicio magis quam alii rei simillimam induisse vestem. Ita enim habet Matthæus: (d) *Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos.* Et Marcus: (e) *Erat Joannes vestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos ejus.* Quare in

(c) De Imag. l. 3. c. 20.

(d) Matt. 3. 4.

(e) Marc. 1. 6.

in hunc eumdem sensum loquuti sunt antiquiores Patres, quorum locos & verba congerunt recentiores Interpretes, quibus adde Paulinum, qui cum dixisset quodam in loco; (f) *Ioannem pili camelorum hirto tegmine vestiebant*, clarius & elegantius expressit his verbis:

(f) Epist. 10. ad Sever.

Vestis erat curvi setis contexta cameli,
Contra luxuriam molles duraret ut artus,
Arceretque graves compuncto corpore somnos.

Ut propterea ridendum sit, aut potius Christiana charitate commiserandum id quod quinti ac sexti (si Deo placet) Evangelii asseclæ, Lutheri scilicet & Calvini, de hac Divini Præcursoris veste interpretantur: hoc est fuisse illam, laneam quidem, sed optimè contextam, & undulatam, qualis ferè est illa quam Hispanicè vocamus *Chamelote de aguas*. Ita quippe sentiunt, atque ita scribunt: immò ita loqui, sentireque necesse videtur eos, qui semel à moribus Ecclesiæ disjuncti, & mollibus semper vestiri ament, & Christianæ austeritatis vestes oderint cane peius & angue. Quod demum ad zonam attinet pelliceam, sunt qui putaverint aliquod peculiaris pœnitentiæ genus hoc denotari cingulo: sed simplicius indicari mihi videtur: quod placuit Gregorio Magno, & Chrysostomo, (g) aut verius illi qui censetur Author Operis imperfecti: quod nempe cum moris esset Judæis laneis zonis prçcingi; Joannes tamen, ob majorem vitæ severitatem, usum fuisse supra rudem vestem zona pellicea. Atque hæc quidem summatim dicta sint circa Præcursoris vestimenta: nam quod ad victum attinet qui fuit mel silvestre & locustæ (sive hoc nomine significentur animalia, sive summitates herbarum ac fruticum) nihil hìc dicere attinet, cùm hæc nullo modo Picturam concernant. Utraque tamen eleganter complexus est memoratus Hymnus, qui censetur esse Pauli, Romanæ Ecclesiæ Diaconi, qui floruit seculo VI. verbis illis:

(g) Div. Greg. homil. 6. in Ev. Chrysost. hom. 3. in Mat.

Præbuit durum tegumen camelus
Artubus sacris, strophium bidentes,
Cui latex haustum, sociata pastum
Mella locustis.

5 Jam quòd in tenella ætate Sanctus Præcursor depingatur indutus pellicula ovina aut hædina, monuimus supra sic à plerisque factitari. Sed monendum duximus, hoc ineptè fieri. Neque enim probari potest vel ex Evangelio vel ex Scriptoribus aut Patribus. Certè tolerabile hoc utrumque, sicut & illud, quod etiam supra memoravimus, seminudum in tenella pueritia solere depingi. Minus vero ferendum est, quod, eodem modo proponatur oculis jam grandior juvenis; quod sæpius ipsemet spectavi, nec probare unquam potui. Sed Pictores nihili hæc pendentes, quæ tamen plurimi deberent facere, in id tantum incumbere videntur, ut aut peritiam artis in pingendis nudis corporibus ostentent, aut suæ ipsorum indulgeant phantasiæ. Quare non pelle indutus, aut semiindutus aliqua, pingi Sanctus Præcursor debet, sed rudiori amictus tunica, aut cilicio potius, quale est quod contexitur è camelorum pilis, & quæ ipsum obtegat à collo ferè usque ad pedes, cinctaque sit zona illa rudiori ac pellicea: præsertimque hoc observari oportet, cum pingitur adolescens, aut vir: mirum est enim quantum hoc congruat dignitati atque authoritati Baptistæ. An autem inclytus Christi Præcursor aliquo calceamentorum genere, etsi rudiori, fuerit usus, an verò nudis prorsus incesserit pedibus? nihil comperti habeo quod affirmem, sicuti neque de aliquo (quodcumque illud fuerit, potueritvè esse) capitis tegumento. Hoc tantum facile constat, neque calceamenta ulla, neque tegumentum capitis eidem adscriptum unquam, quod ego sciam, spectari.

6 Denique pingitur idem habens prope se interdum etiam complexus agnum. Quod licet Græcis non probetur, ut Molanus observat: (h) ta-

(h) De Imag. l. 3. c. 29.

tamen plusquam receptum est, ut hoc modo apud nos describatur: præsertim cùm usu etiam sit receptum, ut agnus, qui proculdubio ipsum Christum D. repræsentat, ut distinguatur ab agno bruto, insigniatur etiam diademate, aut splendido circulo supra caput stante, & Cruce etiam, quam quodammodo brachio complectitur, licet etiam idem Crucis signum ex duabus transversis virgis efformatum Joanni ipsi potius quàm agno tribui soleat: quod nescio an æquè rectè fiat. Sed satis est id quod per se patet, intendi veluti digito in hujusmodi agni figuratione ad illud excellens præconium quo Joannes videns Jesum ad se venientem, clara voce testatus est dicens: (i) *Ecce agnus Dei; ecce qui tollit peccatum mundi.* Profectò quo majori in honore sit hujusmodi agni figuratio, notare non erit otiosum, ab ipso Summo Pontifice talem agni imaginem immaculati haberi maximi, quandoquidem in benedictione solemni earum parvarum Imaginum, quæ in candida imprimuntur cera, sic loquitur: (j) *Te suppliciter deprecamur, ut nostræ vocis exoratus officio, has cereas formas immaculatissimi Agni imagine figuratas benedicere, & per invocationem tui sancti nominis sanctificare digneris &c.* Et hæc ferè sunt quę circa Picturas & Imagines inclyti Præcursoris magis notatione digna reperimus: alia autem, si quæ sunt, diximus supra agentes de Baptismo quem ab eo Christus ipse Dominus accepit.

(i) Ioann. 1.29.

(j) Cærimon. Roman. lib. 1. sect. 7.

CAPUT XIII.

PICTURÆ ET IMAGINES SANCTOR. MARTYR. Joannis & Pauli, Sanctique Pelagii Hispani pueri, eiusdemque inclyti Christi Mart.

1 At conspicui Christianæ Fidei Martyres extiterunt Paulus & Joannes Juliani Apostatę temporibus: quorũ res gestas alii persequuti sunt accuratius, quę satis indicata sũt in notationibus Baronii ad Martyrol. Rom. diem 26. Junii, qua die horum Martyrum memoria percolitur. Quod ad imagines attinet, duo mihi tantum visa sunt aliqua animadversione quoquomodo digna. Unum quidem est: non esse barbatos viros depingendos: cùm constet eunuchos fuisse, servosque Constantiæ, pręclaræ & Augustalis feminę, pro more Romanis consueto, ut Eunuchi clarioribus huiusmodi feminis, maioris honestatis gratia, etiam intra earumdem cubicula deservirẽt. Alterum: imperitè facturum Pictorem quemlibet, si horum Martyrum passionem spectante Pop. & coram ministrorum aut satellitum copia describeret. Ex iisdem enim monumentis constat, quibus illorum texitur historia, Terentianum judicem veritum, ne si publicè interficerentur, popularis fieret seditio, domi, ubi tunc erant, abscissis eorum capitibus secretò eos sepeliendos cu[...]

2 Eadem [...] Martyrum me[...] tur etiam nata[...] ac Martyris H[...] bis dici potest i[...] quem ego pro[...] culo, si silent[...] Hispanus qual[...] linquerem. Ut [...] sit, congruenti[...] Divi Imaginen[...] (quod in Hispa[...] in Bætica, ali[...] haud raro cont[...] martyrii histori[...] erit operæpreti[...] stis oculatus Pre[...] ne Raguel ex q[...] Ambrosius de M[...] ad literam ob oc[...] F. Prudentius Sa[...] tiquitatib. Tude[...] rem totam visus[...] tetigisse, sed præ[...] dio illustrasse no[...] illius verba non [...] cet altius narrati[...] habet ad Ann. Cl[...]

c.20.

Gar-

Garsia & Orionio. *Ad Vallem juncariam (Iunqueram hodie dicimus) Vasconum & Legionensium copiis cum Mauris dimicatum anno nongentesimo vigesimo primo. Non minor quam in Galæcia animorum contentio, non minor strages fuit, neque minus dubia victoria. Hoc superiores Mauri, quod Garsias Aznarius (mallem Fortunius Semenus eius filius) Aragoniæ Comes in eo conflictu periit: & secundum eam pugnam Cantabriæ pars illa, cui Alabę nomen est, Maurico imperio cessit. Capti in prælio Episcopi Dulcidius Salmanticensis, Tudensis Hermogius. Pacto pretio redempta libertas. Dum aurum appenditur obsides dati. Pro Hermogio sororis filius Pelagius in ipso ætatis flore, venustate eximia barbari regis animum, alioqui in libidinem proclivem, vehementer inflammavit. Augebatur impuri atque nefarii amoris flamma. Adolescens & suapte natura ad modestiam compositus, & in plena sapientiæ & sanctitatis domo educatus, de turpitudine identidem appellatus, repugnavit primum: deinde cùm precibus vinci non posset, & vis adhiberetur, procaci regi pugnos in faciem infregit.* Hæc postrema de pugnis impactis in faciem turpissimi regis silet Scriptor laudatus Presbyter Raguel: sed addit verba lectu digna: *Abscede, inquit, canis: putásne unum esse similem tuis impudicis atque effæminatis?* Utrumque certe fieri potuit, aut certè est factum. Utrumque verò egregiè, fortiter, atque ut decebat sanctum juvenem Christianum atque nobilem: Addo ego, & Hispanum: ob hocque nemo mihi succenseat, dictum enim volo absque cuiusquam nota aut præjudicio. Interim audiamus laudatum Scriptorem, rem totam consueta sibi elegantia absolventem. *Animi constantia, infit, & pudicitię cultus exitium attulit. Ferreis forcipibus laniatus, membratimque dissectus, Regis impii & immanis jussu in Bætim fluvium jactatus est die Dominica, qui dies Iunii mensis vigesimus sextus fuit, nimirum salutis anno nongentesimo vigesimo quinto. Defuncto honores tamquam Martyri habiti, cultusque decretus: corporis partes in D. Genesii, caput in S. Cypriani cæmeterio sepulta. Eò maiori gloria dignus, quod quatuordecim non amplius annos natus erat, minus mensibus sex, cùm id virtutis & constantiæ specimen edidit. Rhosuita virgo Saxonica Pelagii Martyris mortem Heroico carmine hac ipsa ætate, sed paulò aliter cecinit.* Hæc elegans ac doctus Scriptor.

3 Ex quibus, atque aliis non paucis, quæ hic & inde colligi possunt, constat, quàm inclyto gloriosóque Martyre glorietur Hispania. Interim tamē dolendum est, quod non sine magna expostulatione queritur Hispan. Scriptor, (a) judicii & ingenii laude commendādus, quod eadem Hispania tam prę clarum Athletam Christi, castitatisque ac pudicitię eximius assertor (quo in genere nescio ego, an alium parem habeat inter viros qui referuntur in Sanctorum fastis) nondum curaverit eumdem Offic. Ecclesiastico celebrari, saltem in Sanctorum Hispanorum catalogo, tametsi locum invenerit in Romano Martyrolog. Sed ita est, non Hispaniæ dico, sed humanæ conditionis ratio, ut recentiora sæpius consectetur, vetustiora negligat. Qui plura de Sancto & glorioso hoc Adolescente scire fortè aveat, adire potest Authores allegatos, aliosque passim. Nos enim instituti nostri ratio, quam semper præ oculis habemus, amplius in tam fertili laudum campo progredi atque exspatiari prohibet.

(a) Petr. Abar. Annal. Arag. t. 1. ad An. Chr. 920. p. 63.

4 Igitur quod ad huius imagines attinet ac picturas, paucas vidimus, quanquam non dubium sit, ut monuimus supra, plures existere. In his est quæ cernitur in exculto atque perornato sacello, quod est in Regio Collegio Spiritus Sancti urbis atque Academiæ Salmanticensis, quod Societ. Jesu construxere Reges piissimi Philippus III. & Margarita: de qua re etiam videri potest allegatus nuper & laudatus Scriptor: (b) ibi enim spectatur pulcherrima affa breque cōstructa imago juvenis sanctissimi Pelagii: sed, quod Pictores atque sculptores Imaginum sciunt, non alio quam Romano habitu, quo ostenditur loricatus, paludatus, calceatusque militari caliga; cum tamen effingi debuisset Arabico sive Maurico (sic enim vulgò loquimur) vestitus habitu: ut pro caligis soccos illos rubros haberet, pro thorace penullam illam, quam Mauri *Alquicel* vocāt: aliaque id genus, de quibus si quis erit qui diligentius cupiat erudiri, author illi essem, ut Picturam consuleret manu dispositam & ingenio amici nostri D. Antonii de Palomino, quæ in templo Cathedral. Ecclesię Cordubēsis in ipsa Ara maxima, nō sine authoris laude spectatur, & in qua tam exactè hæc omnia observata cernuntur, ut esse possit eruditis, aut non imperitis Pictoribus magis ad veritatē exactus archetypus.

(b) Petr. Abar. ubi supr.

CAPUT XIV.

SANCTORUM APOSTOLORUM ATQUE Ecclesiæ præcipuorum Principum Petri & Pauli Imagines & Picturæ.

1  Lurima certè circa Picturas & imagines Magistrorum Orbis atque Urbis, sanctorum inquam Apostolorum Petri & Pauli observata sunt iam pridem à pluribus, quę hic minutatim persequi non est cordi: contenti enim erimus delibare quę potiora dignioraque observatione videbuntur. Atque hoc in primis notandum est, Imagines Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli ferè uniformiter à Pictoribus quasi per manus traditas depingi. Neque id mirum, cum à primis Ecclesiæ seculis fuerint studiose observatæ, ut multis ostendere possemus: ex quibus tantum indigitabimus selectiora. In gestis Sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii, quæ authore quodam Philippo scripta sunt apud Sanctum Ambrosium, habetur clarè hujusce rei mentio: ibi enim ita scriptum extat: *Tertia verò nocte defecto ieiuniis corpore, non dormienti, sed stupenti* (Gervasius & Protasius) *cum quadam mihi tertia apparuere persona, quæ similis esset beato Paulo, cuius vultum me pictura docuerat.* Neque verò me latet huiusmodi, sive Epistolam, sive tractatum non eum esse qui indubitanter tribui debeat Ambrosio cùm illum non solum recentiores docti rejiciant, sed de eodem vehementer dubitet etiam Cardinalis Baronius. (a) Sed tamen de historiæ veritate, quisquis tandem illius sit Author, res videtur magis explorata: cùm illi apertissima Magni Parentis Augustini suffragetur authoritas. Hic enim tamquam rem satis celebrem atque notam commemorat (quam tamen ob modestiam aliis locis omisit Ambrosius) corpora Sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii, quæ diu jacuerant ignota, revelata esse per quietem beato Ambrosio, (b) verbis illis: *Tunc memorato Antistiti tuo per visum aperuisti, quo loco laterent martyrum corpora Gervasii & Protasii, quæ per tot annos incorrupta in thesauro secreti tui recondideras: unde opportune promeres ad coërcendam rabiem femineam sed regiam.* Hæc Augustinus Parens, quibus paria & similia habet aliis in locis.* Et sane quod attinet ad antiquitatem Imaginum Sanctorum Apostolorum, cuius rei gratia prædictum Ambrosii, sive cuiuscumque est, locum allegavimus, dubium vix aut ne vix quidem erit scienti, commemoratum idem esse ab Eusebio ipso Cæsariensi, (c) qui ita scribit: *Cum & nos Petri & Pauli Apostolorum imagines in picturis colorum varietate expressas conservatasque aspexerimus.* Certe frequentissimum fuisse usum pingendi beatorum Apostolorum Imagines, non solum in Orientis, sed etiam in Occidentibus partibus, in ipsaque adeo Roma, testatur Augustinus Parens, de nonnullis Gentilibus Sermonem instituens, illis verbis: *Occurrit eis* (nempe Ethnicis) *Petrus & Paulus, credo quod pluribus locis simul eos pictos viderunt: quia merita Petri & Pauli, etiam propter eumdem passionis diem celebrius & solemniter Roma commendat.* En iterum Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli imagines antiquitus depictas: ut propterea à diversis etiam artificibus, diversisque in locis Principum Apostolorum Imagines depictæ, majorem in modum videantur uniformes, de quibus rursus erit nonnulla mentio. Dicemus autem de harum unaquaque Imaginum, quæ in rem nostram videbuntur, dicturi postmodum de utraque, cùm junctæ atque simul in una tabula describuntur.

2 Quod ad D. Petri Imaginem spectat, iam aliqui viderunt, (d) errorem esse, cùm ipse Apostolorum Princeps depingitur admodum senex in Evangelii historia, & in ipsa Passione Dominica. Sed hunc, quem ultro fatemur, errorem, cum egomet, non quidem Pictura, cuius ignarum me pro-

(a) Bar. in Not. ad Martyrolog. 19. Junii.

(b) Conf. lib. 9. c. 7.

* De Civit. lib. 22 c. 8. serm. 39. de divers. c. 5.

(c) Lib. 7. Hist. c. 14 circ. fin.

(d) Vid. And. Gill. Dial. 2. f. 83. pl. 2.

profiteor, sed oratione, qualiscumque tandem mea est, commisissem in quadam Concione cùm eadem typis traderetur, * ad marginem conatus sum corrigere, hac apposita Latina notula: „ Non adeò senex erat tunc „ Petrus, qui iuxta veriorem supputationem vix excedebat ætatis annum 45. sed hæc exactioris critices „ momenta quis in Concionatore requirat? Ita ego scripseram: sed quem non pudet palam fateri se multa ignorare, velleque in dies nonnihil proficere discereque quandiu vixerit, si non ut multum sciat, saltem ut minus nesciat, non omnino probat ita scripsisse. Tametsi enim non adhuc constet, quoto ætatis suæ anno Apostolorum Princeps Petrus martyrium obierit (quod diligenter observat Cardinalis Baronius) (e) non desunt tamen rationes probabiles, quibus affirmari possit Petrum Apostolum tempore Passionis Christi Domini non solum non excessisse ætatis annum quadragesimum quintum; sed vix supergressum esse quadragesimum. Id quod aliis relinquimus examinandum.

* Vid. t. 1. Concionum nostrar. Hispanicar. pag. 16.

(e) In Annal. Eccl. ad A. C. 69. & in Not. ad Martyr. 29. Jun.

3 Neque iccirco existimandum est, non debere Petrum senem omnino depingi, cùm describitur amarè plorans, gallo prope se adstante, aut aperto rostro canente: vetusta enim veluti traditione constat, sanctissimum atque amantissimum Christi Apostolum, quandiu superstes fuit in vita mortali, sui facti tantopere pœnituisse, ut illud, quoties in aures eius canentis galli vox personabat, fusis ubertim lacrymis elueret. Ita scribit ex authoritate Clementis Romani gravis profectò Author Maldonatus (f) & qui levibus rumusculis moveri non solet: concludens enim quemdam Ambrosii locum verbis illis: *Flevit igitur amarè Petrus, ut lacrymis culpam ablueret*: hæc propria ipse subjungit: *Et ut Clemens Romanus scripsit, tam altè in eius animo eius delicti dolor sedit; ut toto vitę suę tempore quoties gallum canentem audiret, procidens in genua, lacrymas funderet, & peccati sui peteret veniam*. Hæc Maldonatus ex Clemente Romano, seu potius ex Authore libelli, qui inscribitur *De gestis Beati Petri*: quem tamen non esse Clementis, satis superque constat inter gravissimos quosque Scriptores Catholicos ac solidè eruditos. * Sed progrediamur ad alia.

(f) Ioan. Mald. in Math. c. 37.

* Vid. Bellar. de Scriptor. Eccl.

4 Petrum Apostolum semper solere debereque pingi cum Clavibus, nemo est qui nesciat: observatum autem est, alteram clavium describi auream, alteram verò argenteam: sic enim teste Molano spectatur in permultis Romanis Christianorum templis, prætereaque aliis etiam Italiæ. Neque hoc absurde: per auream enim clavem potestas illa benignior, & ideo clarior atque excellentior absolvendi denotatur: per argenteam verò inferioris materię, ligandi aut excommunicandi potestas quodammodo intelligitur. Sed quod in earumdem traditione clavium facta à Christo Domino annotatum est à viro doctrina atque dignitate præstante, (g) mihi, ut verum fatear, non admodum arridet. Dicit enim errare Pictores, qui factum hoc repræsentant gestum aut in ipsis Hierosolymis, aut in palatio aliquo, aut secus mare: cùm tamen, inquit ille, constet ex Evangelio factum fuisse Cæsareæ Philippi ex illis Matthęi verbis: (h) *Venit Iesus in partes Cæsareę Philippi, &c.* quibus illa adnectuntur: *Et tibi dabo claves regni cœlorum*. Non, inquam, hoc placet: quippe nunquam & nusquam Christus Dominus Petro Apostolorum Principi sub corporea clavium imagine primatum Ecclesiæ suæ Petro tradidit: sed solum id indubitanter se facturum Petro pollicetur loco allegato à Cardinale doctissimo. Tempus autem & locus quo id revera præstitit, fuit postquam excitatus à mortuis apparuit Petro, aliisque Discipulis ad littus maris Tiberiadis: ibi enim dissertè traditus est Petro summus Pontificatus & Apostolatus apex, illis verbis: (i) *Pasce agnos meos, pasce oves meas*. Neque id ego temere affirmo; probatum & sæpè à me probandum Authorem habeo, qui cum ipsis Pontificatus Petri hostibus Luthero atque Calvino, eiusque asseclis de more congrediens, illud habet: (K) *Accedit quòd illa promissio, quam illi Christus fecerat, se super eum Ecclesiam suam ædificaturum* (addo ego quod ibidem est, daturum eidem claves regni cælorum) *alicubi impleta fuerit, necesse est. Ubi nisi hic?* Et quæ sequuntur, admodum ut semper, opportuna. Quare non erroris, meo judicio, arguendus est, qui tradi-

(g) Card. Paleot. l. 2. cap. 34. pag. 255.

(h) Matth. 16.

(i) Ioann. 21. 16. & 18.

(K) Mald. ad c. 21. Ioan. n. 64.

ditionem clavium Regni cœlorum non in urbe aliqua, sed factam secus mare depingeret.

5 Pingitur autem frequentissimè idem Apostolus Romano atque Ecclesiastico more detonsus, hoc est coronam in capite gestans in memoriam Passionis Dominicæ, sic enim docet Beda, (l) harum rerum observator non indiligens, & quod prætereundum non est, hoc idem apparet ex eo quod eodem referente, beatissimi Apostolorum Principes puerulo cuidam apparere dignati sunt, & Petrus quidem detonsus, more Romanæ Ecclesię; Paulus verò capillum & barbam gerens prolixam, ut ferè in usu fuit atque est apud Orientales: ut propterea vix erroris notam, aut saltem novitatis, effugeret Pictor, qui D. Petri imaginem aliter oculis exhiberet. Nihil hic dico de aliis Petri Imaginibus, cùm exhibetur in aliis factis: ut quando pingitur claudo illi ac debili, (de quo pluscula diximus initio huius operis *) sanitatem impertiens: Ananiam & Saphiram uxorem temporali morte puniens: Cornelium Centurionem alloquens, aliaque hujusmodi: ex prædictis enim satis constat, quo vultu ac forma exprimi congruenti debeat. Circa eius vero martyrium, (quod crucifixionem fuisse nemo est qui dubitet, cum id ex Eusebii aliorumque quorumcumque antiquorum testimoniis constet) multi multa dicunt, quæ nos ad pauciora conabimur contrahere. Duo enim sunt præcipuè capita, de quibus disceptatur hic cum Pictoribus. Unum quidem, An Petrus cum clavis affixus fuerit cruci, an tantum funibus alligatus? Alterum An Crux ita affixa ipsi fuerit (neque enim alio modo rem imaginari valemus) ut capite inverso deorsum, & pedibus sursum elevatis, eumdem susceperit? An vero vulgari atque usitato aliorum crucifixorum modo?

(l) Bed. lib. 5. Hist Anglor. c. 22.

* Lib. 1. cap. 1.

6 Et quidem circa primum: non defuere, neque hodie desunt Pictores qui Petrum, non quidem clavis Cruci suffixum, sed funibus eidem adstrictum oculis exhibeant: quos ob mysticas & peculiares rationes utcumque conatur excusare harum rerum sæpè laudatus scriptor. (m) Sed, quæ mea est sententia, frustra, aut non admodum utiliter: res enim est tam per se patens planeque perspicua, ut qui stare velint à funium sententia, non tam pugnent, quam aerem verberent: ut propterea, quod refert author idem, typographus Parisiensis librum eniderit anno 1518. contra Pictores, cuius author est Petrus Richardus Doctor Parisiensis, & Sancti Petri Trecensis Canonicus, in quo vario conamine hac de re Pictores exagitat, non tantum historiarum monumentis productis, nec solum prolatis etiam sculpturis atque Picturis veteribus; sed ostensione etiam Clavorum Petri in diversis Orbis Christiani basilicis, quas non vacat prolixius referre. Crucifixus est igitur Petrus, clavis manus & pedes eius terebrantibus: quod asseruisse videtur Tertullianus, (n) dum inquit, Petrum adæquatum esse Romæ Passioni Dominicæ, quod multis illustrat eo loci Christianus Lupus. Addo hic, cùm quatuor clavis fuisse Cruci suffixum. Et quanvis plura de hoc agentes circa Christi Domini crucifixionem dixerimus, * libet hic addere locum Comici rectè observatum à Justo Lipsio, qui sic habet. (o)

(m) Mol. lib. 3. cap. 22.

(n) Tertul. lib. de Peræscriptione.

Ego dabo ei talentum primus, qui in crucem excurrerit:
Sed ea lege, ut offigantur bis pedes, bis brachia.

* Lib. 3. c. 17.

(o) Lib. 2. Electorum cap. 18. Plaut. Mostellar.

sed de his plura qui volet, non pauca à nobis inveniet annotata loco allegato.

7 Quoad secundum, iisdem & præcipuè Patrum atque Historicorum testimoniis firmatur, Petrum inverso modo ac Christus Dominus, Cruci fuisse confixum. Et meritò, dicet aliquis: constat enim Egesippi authoritate, qui sanè antiquior est allegandis statim Patribus, in libro de Excidio Hierosolymitano, Petrum hoc & non alio modo crucifigi voluisse in memoriam & reverentiam Domini; atque id à suis crucifixoribus obtinuisse. Sed ut verum fateamur, dubiis aut falsis testimoniis res communiter asserta & sat explorata non indiget. Sanè Eusebius id apertè testatur illis Historiæ verbis: (p) *Petrus ad extremum cùm Romæ versaretur, capite deorsum statuto; sic enim perpeti cupiebat, cruci suffixus est:* Sanctusque Hieronymus, Eusebii plerumque sectator, *Petrus*, inquit, *cru-*

(p) Euseb. Hist. l. 3. c. 1. Hieron. de Virg. illustr. l. 3. c. 1.

cruci affixus martyrio coronatus est, capite ad terram verso, & in sublime pedibus elevatis asserens se indignum, quod sic crucifigeretur ut Dominus suus. Quibus planè similia profert Augustinus Parens. (q) interim tamen omittendus non est Sanctus Asterius Amasenus Episcopus Helenoponti Metropolita, quem in rei literariæ pietatisque commodum edi curavit Theophylus Raynaudus in Heptade PræsulumChristiana, typis dataLugd. 1652. ita enim habet in encomio Principis Apostolorum: (r) *Tamquam nihilominus humilis sapiensque* (Petrus scilicet) *vel in ipso certaminis tempore ac lucta cum mortis pavore perspectum habens, quid Dominum inter, ac servum interesset, unum qui beneficii loco ab hostibus rogavit; ne scilicet eadem cum Domino figura affigerent ligno, sed verso ad terram capite crucifigerent. Haud quippe par esse, ut vel in morte æquales servi & Domini pares essent. Dixit, ac voti compos effectus est, crucisque medio ad eum abiit qui crucifixus resurrexit.* Hucusque eleganter Asterius. Quamquam vero asserta tot Patrum rem omnino evincant, omittere non placet Christiani atque Hispani poëtę testimonium, qui rem eamdem eleganter, ut poetam decuit, suo suffragio muniit; is est Prudentius, qui ita habet: (s)

(q) Div. Aug. Tract. ...3. in ...an. & ...r. 149. ...3. & 4.

(r) S. Asterius. Amas. in encom. Petri.

(s) De coronis hymn. 12.

Ille tamen veritus celsæ decus æmulando mortis
Ambire tanti gloriam Magistri:
Exigit, ut pedibus mersum caput imprimant supinis;
Quò spectet imum stipitem cerebro.
Figitur ergo manus subter, &c.

Ex quibus atque aliis, quæ præterimus, tam luculentis testimoniis, ratum, fixumque manere debet, Petrum Apostolum depictum in suo certamine ostendi debere cum clavis crucifixum, & eo modo, quo fert usus iam receptus.

8 Testimonium [illegible] Egesippi [illegible] ur) vetusti [illegible] quos retuli [illegible] quia Liber [illegible] desumitur, [illegible] olymitano, [illegible] n est, sed [illegible] i: de quo [illegible] si res ex- [illegible] l hic dixi- [illegible] um, tem- [illegible] stimonium [illegible] m attinet, [illegible] t quidem illud Authoris tam pietate & eruditione, quàm dignitate [illegible] ime com- [illegible] dabilis: [illegible] quam de [illegible], adjicit: [illegible] *yme, qui* [illegible] *feruntur,* [illegible] *ris, aut* [illegible] *3. cap. 5.* [illegible] *mpora li-* [illegible] Quæ hic [illegible] quis exi- [illegible] a, & quæ [illegible] lati non [illegible] bus obtrudere.

9 Ceterum dum hæc cogito, subit mentem alia quædam Principis Apostolorum Imago, quam sæpius ego inspexi, & quam silentio premi, & indictam omnino manere nolui. Pingitur ergo Petrus Apostolus genuflexus ante Christum, Crucem ante ipsa Urbis mœnia bajulantem. Sed quia rem totam eleganter describit primi nominis author, hic illius verba transcribere non piguit, quæ ita habent: (u) *Petrus victo Simone, cum præcepta Dei populo seminaret, doceret castimoniam, excitavit animos Gentilium, quibus eum quærentibus Christianæ animæ deprecatæ sunt, ut paulisper cederet. Et quanvis esset cupidus passionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus est. Rogabatur enim, ut ad instituendum & confirmandum populum se reservaret. Quid multa? nocte muro egredi cæpit; & videns sibi in porta Christum occurrere, urbemque ingredi, ait: Domine, quo vadis? respondit Christus: Venio Romam iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad suam crucem divinum pertinere responsum. Christus enim non poterat iterum crucifigi, &c.* Atque hæc ferè sunt selectiora quæ circa Petri Principis Apostolorum habuimus dicenda.

(u) D. Ambr. ser. de Basilicis non tradendis.

10 Nunc quod attinet ad Sacras Pauli Doctoris Gentium præstantissimi Imagines, pauca admodum dicenda supersunt, & quæ potius ad illius for-

formam, figuram & ſtaturam, quantum conjecturâ aſſequi poſſumus, ſpectant, quam ad illius geſta, ſacramque hiſtoriam. Atque in primis, relictis nonnullis, quę etiam ex lectione Ethnicorum obſervarunt nonnulli, hoc eſt fuiſſe beatiſsimum Apoſtolum aquilino naſo, ac recalvaſtrum; illud certius colligi poteſt, fuiſſe illum ſtatura non admodum procerâ, quod non obſcure firmari poteſt ex eo quod cùm Damaſci moraretur, demiſſus ſit à fratribus per murum incluſus in ſporta, ut ipſemet eſt teſtis, ſive ut magis mihi placet, in caniſtro, non admodum tamen grandi, ut qui non ineptè ab Interprete appellari potuerit ſporta: ſed urgentius ex ipſo quod ipſemet refert ęſtimatum eſſe à diſcipulis non auguſtæ aut proceræ ſtaturæ, ſed exiguæ, verbis illis: (x) *Quoniam quidem epiſtolæ, inquiunt, graves ſunt & fortes; preſentia autem corporis infirma, & ſermo contemptibilis.* Fuiſſe etiam reſpectu Petri, quamquam abſolutè ſenem, minorem tamen natu, facile quis advertet, qui meminerit, Paulum in lapidatione Stephani (quę contigit anno ipſo, quo Chriſtus Dominus cælum conſcendit, interjectis tantum ſeptem menſibus, ut recte probat Cardinalis Baronius (y) vocari adoleſcentem illis verbis: *Et teſtes depoſuerunt veſtimenta ſua ſecus pedes adoleſcentis, qui vocabatur Saulus.* Quoto autem tempore fuerit junior Petro, ut inde colligatur probabilior eumdem pingendi ratio, haud facile determinari poteſt. Exiſtimo autem, non nimium à vero aberraturum qui aſſereret, Petrum ſeniorem fuiſſe Paulo totos formè annos decem & octo, quanvis fortaſſe majorem ſenectutem prę ſe tuliſſe gravibus & penè immenſis laboribus fractum.

(x) 2. Ad Cor. 10. 19.

(y) Baron Annal. t. 1. & in not. ad Mart. die 26. Decemb.

11 Pingitur autem, ſemperque pingi debet oblongo enſe veluti armatus, eo ſcilicet quem Hiſpani nominamus *Montante*: eoquòd non aliud credatur fuiſſe eius maryrii inſtrumentum; quanvis non deſint, qui fortaſſe minus conſideratè aſſerant fuiſſe ipſum ſecuri percuſſum: ſed gladio longiori & lato, quod ſupplicii genus uſitatum erat Romanis adverſus honeſtiores quoſcumque cives, fuiſſe in eum animadverſum, uno, quod aiunt, agmine docent Authores veteres & Patres, firmatque Eccleſia verbis illis, quibus de utroque Apoſtolorum Principe canens inquit,

Per enſis ille, hic per crucis victor necem,
Vita ſenatum laureati poſsident.

Quod ſolum intellectum cupio, cum Paulus, vel ſimul cum Petro, vel ſolus, exhibetur in tabula: alioqui non opus erit hoc ornamento. Et certe vidi ego magna cum animi voluptate totam Pauli hiſtoriam deſcriptam in aulæis Belgicis, ubi geſta Pauli repræſentantur, ſive cùm Iconii pro deo eſt habitus, ſive cùm Athenis verba fecit ad Areopagum, ſive cùm Melitæ excuſsit in ignem viperam pendentem á digito, ſive alia multa eiuſmodi: ubi nuſquam exhibetur cum ornamento gladii, qui in huiuſmodi pingendis eventibus eſſet incongruus. An verò enſis tinctus debeat deſcribi lacte potius quàm ſanguine, aut ſanguine lacte permixto, multis explicare conatur Molanus, (z) ad quem lectorem libentius remittimus. Sed & pingi etiam cum libro, eoque aperto, ſolet & debet; idque iure merito, nam cui (ut loquitur S. Maximus Taurinenſis) credita eſt doctrinæ clavis, quemadmodum Petro poteſtatis claves fuerunt traditæ, nihil eſt planè congruentius quam ut depingatur & exhibeatur cum præcipuo inſtrumento doctoratus ac magiſterii. Quod denique deſcribatur non detonſus, ſed aliquantulum comatus, & barbam habens prolixam, iam ſupra monuimus.

(z) Mol. l. 3. c. 18.

12 Supereſt igitur ut de tabula, in qua utriuſque Apoſtoli Imago depingitur, aliquid dicamus: eo vel maximè quod quæſtionem involvat multum diuque ſæpius agitatam, Cur ſcilicet in aliquibus huiuſmodi tabulis, præſertimque in Pontificiis diplomatibus, atque in ipſo Sacello Pontificio Paulus à dextris, Petrus à ſiniſtris collocetur? Res eſt hęc, in qua operam ſuam impenderunt tùm eruditi Juriſque conſulti, tum etiam Theologi, &, quod mireris, Scholaſtici. Cum enim horum omnium facile princeps Divus Thomas calculum ſuum adjecerit, mirum non erit, ſi alii quoque Scholaſtici idem tentaverint. Sed neque difficultatem effugies, ſi dixeris id eſſe factum inſcitia

scitia & incuria Pictorum: obstat enim Romanę Ecclesiæ inconcussa authoritas, venerandaque antiquitas, quam bene perpendit eiusdem S.R.E. haud vulgare decus S. Cardinalis Petrus Damianus Episcopus Ostiensis in Epistola ad Desiderium Abbatem; (a) *Repente*, inquit, *mihi illud occurrit quod ipse à me quęstione proposita sæpenumero requisisti: cur videlicet in Imaginibus picturarum per universas adjacentes Romæ provincias, Petrus qui primus est, ad sinistram; Coapostolus autem eius Paulus constituitur ad dexteram; cùm juxta vulgarem sensum hoc rerum ordo deposcat, ut Petrus, qui senatus Apostolici princeps est, dextrum Domini latus, Paulus verò, qui junior est, sinistrum iure possideat? Sed durum est valde, ut opinemur, quia tam egregium tamque famosum Apostolicę dispositionis ordinem inconsulte atque inconsiderate devota Deo ac religiosa vetustas admiserit. Neque enim credendum est, ut Constantinus Imperator, immo Papa Silvester, atque post eos Principes & Sacerdotes, in Ecclesiasticæ disciplinę litera pervigiles atque solertes, hunc ordinem tantorum principum negligendum ducerent, si correctione dignum aliquatenus æstimarent.* Hucusque Petrus Damianus: quæ idcirco integra hic attexui, ut constet, hanc Apostolorum Principum imagines collocandi rationem non dumtaxat profectam esse ab Incuria inscitiaque Pictorum. Quare cum hæc dicendi via præclusa maneat, alias verisimiliores & solidiores quærere oportebit.

(a) Petr. Damin. opusc. 35 pag. mihi 650.

13 Et una quidem earum erit, si dicamus, aut si dicat aliquis; apud antiquos etiam Romanos, præcipueque Ecclesiasticos, honorabiliorem ac decentiorem standi atque sedendi locum iuxta aliquem fuisse sinistrum. Atque ob id in diplomatibus Pontificiis, aliisque celeberrimis locis statui Petri Imaginem, utpote præcellentioris, locatam à parte sinistra, Pauli autem à dextera. Neque deerunt illi qui ita constanter & asseveranter asserant, rationum, &, quod magis est, authoritatum pondera atque momenta. Collegit aliqua eruditorum lumen atque columen Belga ille, cui in his tractandis rebus vix parem inveneris, J. Lipsius, quem adire poterit, cui plura de his scire sit cordi. Inter quę observatione dignum est, quod Xenophon notavit in institutione Cyri, cuius hæc sunt verba: (b) *Delectabatur Cyrus consuetudine Gadatę, qui propter hæc à Cyro multis & magnis honoribus afficiebatur, ac propter Cyrum etiam ab aliis. Ad cęnam invitati cùm venissent, non fortuitò unumquemque collocabat, sed quem honore maximo dignabatur, ad lævam. Rationemque adjicit: Quod hæc insidiis obnoxia magis sit, quàm dextra: secundum ab hoc ad dexteram; tertium rursus ad lęvam, quartum ad dextram: ac si plures etiam essent, eadem eos ratione collocabat. Arbitrabatur autem utile esse, quo honore singulos ornaret, planum fieri.* Certe hodie etiam moris est apud Turcas, ut dignior habeatur locus sinister: quod eam partem gladius honestet, id quod notatum reliquit in descriptione itineris Constantinopolitani Augerius Busbequius: quodque mireris hanc opinationem sequi videntur duo eruditionis Ecclesię purpurata lumina Baronius & Bellarminus, quos quilibet inspicere poterit allegatos in margine. (c)

(b) Xenoph. lib. 8. pag. 220.

14 Ceterùm quoniam opinio quæ omnino secus statuit, frequentior est, & communi plausu magis recepta, quam propugnat harum rerum explorator accuratissimus Abbas Joannes Baptista Pacichelus, pro eaque multa profert rationum atque authoritatum momenta; * satius erit & congruentius ut dicamus, Paulum in diplomatibus Pontificiis, aliisque locis in Urbe celeberrimis, præponi solere, quod ad hunc dignitatis locum attinet, Petro: sed id non ob Pontificatus æqualitatem: apage enim hinc blasphemas atq; hæreticas nugas de Episcopatu bicipiti; sed ob alias rationes, quas non indictas reliquerunt ipsi Orthodoxi. Certe Franciscus Mucantius, Romanus Jurisconsultus, & Cerimoniarum Magister, libellum edidit hac de re, quem dicavit Gregorio XIII. & cuius honorificam mentionem habet noster (sic enim appellare volumus) Molanus, (d) ad quem Lectorem, si quis erit cui hæc nostra evolvere placeat, libenter remittimus. Septem ille rationes, aut congruentias enumerat, ob quas Paulus Romæ Petro in hoc honoris genere præponatur. Quarum quę ordine tertia est, cum disserte assignetur à tali tantoque Authore,

(c) Baron. t. 1. Annal. A. C. 213. & 325. Bellar. l. 1. de Summo Pontificatu c. 27. & l. 3. de Incarn. c. 15.

* Chiroliturg. c. 4. p. 12.

(d) Mol. l. 3. c. 24.

(e)D.Th. in Ep. ad Gal. c. 1. lect. 1.

qualis est Doctor Angelicus, (e) hic disserte ut apponatur postulat. Sic enim habet. *Et quia presens vita significatur per sinistram, futura vero per dexteram, in quantum ista est cælestis & spiritualis, illa vero temporalis: ideo Petrus, qui vocatus est à Christo adhuc in carne mortali posito, ponitur in Bulla Papę in sinistra parte; Paulus vero qui vocatus fuit à Christo tam glorificato, ponitur in parte dextera.* Hæc D. Thomas. Rationibus autem quas Mucantius affert, alias laudatus Molanus adnectit. At ego silentio præterire nolo eam, quam non magni solùm, sed maximi nominis Concionator (f) de ingenio suo fecundissimo protulit, asserens ideo Paulum in ipsa Urbe Roma, in ipsisque Pontificiis diplomatibus honoratiori loco collocari, quòd ibidem censeatur ut hospes; Petrus vero ut propriæ domus dominus: nihilque sit tam modestiæ, quàm urbanitati congruentius, quàm locare in excellentiore atque honorabiliore loco hospitem, aliunde præcellentem & magnum. Hæc ille.

(f)P. Ant Viery. se. t. 14. edit. novæ numer. 106.

15. Si quis autem erit qui adhuc solidiora desideret, legat sæpe laudatum Cardin. Bellarminum, (g) qui serio omnino differens; propterea, inquit, Paulum, quanvis re ipsa inferiorem subditumque Petri, collocari ad dextrum latus solere, quòd illi insint laborum Apostolicorum, doctrinæque uberiores prærogativæ. *Ecclesia verò*, subdit pro suo gravissimo judicio, *in colenda Sanctorum memoria, non tam respicit gradum honoris, quem habuerunt in terris, quàm utilitatis, quam posteris attulerunt. Cùm enim gratitudinis causa eos honoret, illis maiorem cultum defert, quibus plus debet. Certè Stephanus & Laurentius Diaconi tantum erant, quorum ille S. Jacobo Episcopo & Apostolo, iste S. Sixto Summo Pontifici ministravit; & tamen Ecclesia magis honorat Stephanum, quam Jacobum, & Laurentium quàm Sixtum: quia clarissima horum Diaconorum martyria toti Ecclesiæ mirabiliter præluxerunt.* Quibus alia pari modo opportuna subnectit.

(g)Lib. 1. de Rom. Pót. c. 27.

LIBER

LIBER SEPTIMUS.

DE PICTURIS ET IMAGINIBUS SANCTORUM quorum festivitates occurrunt intra tertium anni spatium trimestre.

CAPUT I.

PICTURÆ ATQUE IMAGINES SANCTORUM Laureani Mart. Præsulisque Hispalensis, Elisabeth Reginę Portug. Ioannis Gualberti, Bonaventuræ Cardinalis, Henrici Roman. Imperatoris, Sanctique Alexii.



1 DUm quidquam non sit, quod factis evidenter repugnet, maximi habenda est & colenda semper antiquitas. Sanè ex illa constat, ut res veluti per manus tradita, Sanctum Laureanum, præclarum Christi Martyrem, Præsulem fuisse Ecclesiæ & Metropolis Hispalensis. Illius mentio fit in Romano etiam Martyrologio die quarta Iulii, in quo notationes factæ à doctissimo Baronio satis evincunt, Martyrium Pontificatumque Laureani historiam continere iam diu, à multisque seculis receptam in Hispania: atque huius quidem Antistitis præclari res gestas & martyrium colligere promptum erat hinc inde, nisi nos in hoc argumento anteisset judicii exacti prorsus, amœnique ingenii vir P. M. Fr. Didacus Tello, qui iustæ magnitudinis librum Hispanè composuit de Vita, gestis, & Martyrio Sancti Laureani Hispalensis Pontificis, edidítque Romæ Ann. M.DCCXXII. cui Operi ipsemet candidum suffragium, quod planè merebatur, addidi. Atque ibi quidem ex nostris Auctoribus, &, quod præcipuum est, ex venerandę antiquitatis codice, quem descripsit doctissimus Pater Philippus Labbe Soc. Iesu, Sancti Laureani res gestę narrantur, & veluti consequente filo texuntur, ut supersit nihil quod in huius scripti genere prudens lector requirat; cùm etiam adjectæ sint ad illustrandos Historiæ & Chronologiæ difficiliores locos opportunæ, & quę nihil vulgare sapiunt, dissertationes. Proinde Lectorem cupidum noscendi huius clarissimi Antistitis & Martyris res gestas, ad laudatum opus remittimus.

2 Quod verò attinet ad tanti Præsulis Imagines & Picturas, quæ non infrequentes sunt Hispali, ubi etiam (ne hoc segni & reprehensibili silentio desidiosus obvolverem) exstat satis nobile mei Ordinis Lycæum, ubi sacræ Theologiæ studiis pariter & pietati opera laudabilis fructuosaque multum impenditur. Quod, inquam, ad has Picturas attinet, nihil promptius habeo dicere, quàm quod in ipso laudati Operis initio icon beati Martyris & Præsulis exhibet. (a) Nempe depingitur iam iam senex, aut vergens potius in senium; idque rectè: cum Sanctus Præsul juxta longe magis verisimilem laudati Authoris supputationem natus sit Anno Ch. CD.XC. vel circumcirca: minutus verò capite anno D.XLVI. ut proinde ætatis esset per illud temporis annorum quinque supra quinquaginta. * Describitur etiam ornatus Pallio Archipræsulis: quod sat etiam fit verosimile. Quamquam enim ante Gregorii Magni tempora (fatebor enim ingenuè quod ignoro) non admodum frequens sit de Archiepiscopali Pallio apud Latinos memoria: tamen esse illius usum ex prisca profectum consue-

(a) Vide Differtat. 1. Authoris §. 6. n. 14.

* Differt. 5. §. 2. n. 2

suetudine idem Gregorius Magnus aperte docet. * Describitur vero sub acie gladii genuflexus, carnificis ictum expectans: quod totum optime congruit Sanctissimi Præsulis martyrio.

* Lib. 2. epist. 54. & lib. 4. Epist. 50.

3 Illud vero quod in Pictura additur, depictus videlicet capite quidem cęsus, sed caput idem abscissum gestans manibus; recte habet. Ex eo enim ortum ducit quod refertur in Codice Bituricensi, quem, ut diximus, Labbeus descripsit, quod strenuus Christi athleta suos interfectores post eius obitum prosequutus est, caput manibus præ se ferens; monensque, ut illud Hispalim sedem suam deferrent: futurum enim esse ut statim atque caput ipsum Hispalim ingrederetur, Deus ipse justæ ultionis flagella, quibus civitatem ob patrata scelera illam urgebat, placatior factus contineret. Sed præstat ut legantur hic laudati Codicis Acta, quę allegata ab ipso Scriptore Vitę Laureani sic habent: (b) *Nimio terrore perterriti, velut amentes capite relicto, fugere cœperunt. Mirabile dictu! Beatus Laureanus caput suum in manibus tollens, ibat post eos clamans more viventis, & sic dicens: Expectate, nolite fugere; sed accipientes hoc Caput Hispalim deportate, illique reddite, qui vos propterea huc misit.* Quibus hæc adiungit non ignobilis Scriptor: (c) *Quod cum satellites vidissent, metu perterriti, ad Christi Fidem conversi, & Baptismatis oleo peruncti, caput Laureani flentes Hispalim detulerunt.* Quam totam rem ita concludit prædictus Codex. *Accepto capite, osculantes manus eius ac pedes, projecerunt corpus in quamdam speluncam, & abierunt.* * Atque hæc quidem sunt quę de Imaginibus Præsulis clarissimi ac Martyris habuimus dicenda.

(b) Cap. 23. pag. 227.

(c) Luc. Marineus siculus. de reb. Hisp. l. 5.

* Vide etiam Saussai Martyr. Callic. t. 2. f. 114.

4 Elisabetham Portugalliæ Reginam longe præclarissimam, filiam Petri Regis Aragonum, quem Magnum, ob res insigniter gestas, ipsi vocant, & fuit huius nominis Tertius, vigesimusque in numero Regum Aragoniorum; vix quisquam erit qui non eximiis laudibus norit celebrem, & est mihi iure dicenda. Fuit enim consequenter ad dicta, Jacobi Primi, dicti ob præstantiam bellicam & res prorsus memorabiles adversus Saracenos gestas, communiter apud Historicos Victoris aut Conquisitoris; & quod non postremum gloriæ suæ locum occupat, mei Ordinis Patroni ac Fundatoris Inclyti, tanto Avo dignissima Nepis. Ceterum eius præclara facta, ob hoc ipsum quod multa fuerunt, enarranda Historicis relinquimus, quod etiam præstitere plures, sive Latina, sive Hispana, sive Lusitanica, sive etiam Italica lingua. Nos vero instituto nostro insistentes, duo tantum hic monenda duximus: Unum quidem est; Elisabetham, ut per se patet, depingi posse, aut adhuc innuptam, aut iunctam Matrimonio, aut jam viduam. Atque hoc quidem merito: nam inquit eius Officium Ecclesiasticum: *In terra in triplici vitæ gradu posteris imitanda virtutum reliquit exempla.* Et rursus: *Virginalem statum, conjugalem, & vidualem inoffenso pede cucurrit.* Quibus in rebus servandus est semper ab erudito Pictore decor ætatis. Sed illud interim non negligendum, Reginam multa prudentia prędita, dum in Matrimonio degeret, ornatu quidem Regio, sed, quantum ratio tulit, modesto semper ornatam processisse. Inepte enim faceret, qui vulgari veste illam in hujusmodi statu depingeret. At viduam, & sponso Dionysio Portugalliæ Rege jam orbatam pingere nullo modo oportebit indutam secularibus vestibus, id esset contra fidem historiæ. Statim enim atque Rex obiit, cum cum comam sibi totondisset, habitum Ordinis Minorum, aut Sanctimonialium, quas Clarissas vocant, cum congruente capitis tegumento intrepida induit, in quo & Regio funeri in ipso Portugalliæ regno, & Compostellæ, ubi plurima & pretiosa donaria pro Regis anima obtulit, constanter interfuit, & quo demum ad extremum usque spiritum induta permansit.

5 Ceterum adhuc juncta viro, solemne fuit, pluribus ut pingeretur heroica Regina rosas gerens in superiore ipsius veste: qua ratione memoria fit singularis eventus, aut potius insignis miraculi, quo Deus illius sanctitatem pietatemque testatam esse voluit. Sic enim narrant. Ferebat Regina piissima in veste externa collectas pecunias, quas more suo in pauperis erogaret: obviam fuit illi rex, qui rem intuitus, Quid, Re-

Regina, inquit, tecum portas? Rosas, infit illa. Rosas? rex ait: erat enim hibernum tempus. Et cùm dicto, patefacta veste regi rem demiranti statim ostendit. Eventum paucis perstrinxit Officium eius Ecclesiasticum, *Pecunias enim*, inquit, *pauperibus distribuendas, ut regem laterent, hiberno tempore in rosas convertit.* At supra quàm dici potest eleganter ad factum hoc alluserunt metrica illa, quę in eiusdem Officii Hymno canuntur, quibus certe nil magis venustum, nihil magis poëticum, vel in ipso Lyricorum Principe leguntur; sic enim habent.

Præi, viamque dux salutis indica:
Sequemur. O sit una mens fidelium,
Odor bonus sit omnis actio; tuis
Id innuit rosis operta charitas.

Demum cùm vidua, & Sanctimonialium habitu vestita depingitur; oportebit iam feminam senem, quanvis utcumque venusta formâ, depingere. Excessit enim anno Christi MCCC.XXXVI. cùm quintum & sexagesimum ætatis suæ ageret.

6 Ioannes Gualbertus, nobilis inter primarios Florentinos, Institutorque Ordinis, seu Congregationis Ordinis Benedictini, quam vocant de Valleumbrosa, vir fuit insignis meriti ac sanctitatis, quem ego ob generosam prętantemque animi indolem, quam eximiè auxit perfecitque, imò etiam provexit Dei Opt. Max. gratia, impensius semper colui; nobis hîc perstrictim dicendus occurrit. Illius enim conversionem, atque in melius mutationem Hispanico idiomate, quò nonnihil exerceretur eloquentia, in Hispanica Regiaque Academia, cuius pars, quamquam minima, ipse sum, non sine auditorum approbatione descripsi: eo enim ferè modo contigit. Sequebatur Gualbertus Patri obsequutus, militarem vitam; cùm accidit ut Hugo unicus eius frater occideretur à consanguineo. Aestuabat itaque Gualbertus doloris ulciscendi impetu; nullumque prętermittebat locum occasionemvè, qua posset homicidæ paria rependere. Cumque evenisset ut ipso Sacrosancto Parasceves die Gualbertus armis ac militibus stipatus inimicum solum atque inermẽ haberet obvium, ubi neuter poterat alterum declinare, ferrum per illius latera trajecturus impiger exereret. Verùm homicida supplex, sanctitatis diei memor, extensis in Crucifixi modum brachiis, ut sibi ob reverentiam Servatoris crucifixi ignosceret, jamjam subiturus mortem, flagitabat. Quo facto mirè commotus, vitam hosti clementer indulsit: nec res tanta, ut statim videbimus, sine prę̨mio fuit. Hoste enim in fratrem recepto, cùm in proximum Sancti Miniatis templum esset ingressus, idque vehementer exequeretur ante Imaginem Crucifixi, eamdem sibi caput amanter flectere conspexit: quo vehementer excitatus miraculo, militiæ rebusque humanis longum valere dixit: ac deinceps Monasticam vitam professus, laudatę Congregationis sub Regula Sancti Benedicti prudens ac fervidus Institutor, plenus dierum atque virtutum mortem lætus aspexit.

7 Hujus verò Divi Imago, si qua alia pingenda esset, ea mihi aptior videretur, quâ genuflexus describeretur ante Imaginem Crucifixi: atque hoc quidem sub seculari habitu, nondum enim Monasticum induerat; Imago verò ipsa Christi Domini in Crucis agone constituti, & nondum pectoris vulnere accepto, depingi deberet: alioqui non satis percipitur, quâ ratione fuisset conspicuum, vel ipsimet, Imaginem Christi Domini Crucifixi sibi in morem gratabundi flexisse caput. Cùm aliunde constet ex Evangelio, non aliter Christum Sanctissimam efflavisse animam, quàm inclinato capite, ex illis notissimis verbis: *Et inclinato capite emisit spiritum.* Ipse verò Gualbertus si quando depingi contingat, senex admodum describi debet, Benedictino planè habitu, insuper & cum insignibus Abbatis, baculo nempe & mitra: horum quippe rerum usum jam pridem Abbatibus indulserant Romani Pontifices, ut probat, aut potius supponit Cardinalis Joannes Bona. (d) Addo hic, idem servari debere, cùm Abbates Sanctissimi multò antiquiores depinguntur: adeò

(d) Rer. Liturgicar. lib. I. c. 24. n. 15.

adeò ut ipse Cænobitarum Patriarcha mirificus Sanctus Benedictus non huiusmodi ornamentis careat: tametsi enim illo quo floruit tempore nondum hoc privilegium à Summis Pontificibus esset indultum: tamen nihil vetat ut hîc in Pictura locum habeat illa, quam in sermone Rhetorici vocant Prolepsim, aut Anticipationẽ: ad eum ferè modum quo, ut alicubi magis ex professo disseruimus, urbs Ægypti clarissima, quę *No* vocabatur, vocatur ab uno Prophetarum *Alexandria*, quæ tamen non nisi post multos annos ab Alexandro Macedonum Rege, quòd illam opulentissimè instauraverit atque amplificaverit, id nomen accepit. Neque obstare debet, quod hunc Pontificalium ornamentorum usum Abbatibus concessum Abbates duo sanctitatis ac doctrinæ nomine conspicui improbare apertè videantur, nempe Sanctus Bernardus, Petrusque Blesensis. (e) Quanvis enim id fecerint, moti, aut ex humilitate superabundante, aut aliis iustis de causis: contrarium tamen longior post illos usus obtinuit. Neque obesse debet privatum hominum etiam doctissimorum sanctitateque commendabilium judicium atque authoritas communi aliorum usui atque sententiæ.

(e) Bern. epist. 42. ad Enric. Senonés. Petr. Blesens. ep. 90. ad Fr. Guilliel. Abbat.

8 Non eadem ratione pingi debet cum ornatu purpureo Cardinalicio, rubroque adeo galero Sanctus Bonaventura, Ordinis Seraphici Generalis Minister, Cardinalis Episcopusque Albanẽsis, quodque caput est, eximiæ doctrinæ atque etiam sanctitatis vir, Sextus Ecclesiæ Doctor, hoc titulo decoratus à Sixto Quinto Pont. Max. anno M.D.LXXXVIII. Non, inquam, eadem ratione proceditur, cùm depingitur ornatus Cardinalicia purpurâ Seraphicus hic Doctor, cùm iam antequam ipse crearetur, concessisset usum Purpuræ Cardinalibus Innocentius IV. Summus Pontifex paulò posterius electionem, quę contigit Anno MCCXLIII. Hujus verò præclari nominis, doctrinæque, & virtutis viri facta gestaque aliis, pro more nostro, scribenda relinquimus: si unum tantùm, quod eius opinionem famamque eximiam, omnibusque notam, brevius perstrinxerimus, quod tale est. Triennio vacaverat Sedes Pontificia, cuius rei tædio affecti Cardinales, unanimi consensu in unum Bonaventuram suffragia sua compromittentes, eumdem rogaverunt enixè, ut ipse solus Pontificem Maximum eligeret; præstituros enim indubitanter obedientiam ei, quem ipse nominaret, etiamsi se ipsum eligeret. Adeò de integritate & probitate viri altè sentiebant Ecclesiæ Proceres, cùm nondum ipse factus esset Cardinalis, neque Episcopus. Obstupuit quidem ille primùm, vix credens tantum sibi munus deferri: at Dei nutu rem totam geri seriò animadvertens, injunctum munus exequutus Pontificem Maximum nominavit Theobaldum, genere Placentinum, Eburonum Archidiaconum, tum temporis à Conclavi absentem, quem Cardinales cuncti Gregorium X. salutarunt, cuius tempore coactum est Oecumenicum Generale Concilium quartumdecimum, & ut numerant, Lugdunense secundum, anno nempe Christi M.CC.LXXIV. quodque caput est, tam probatæ virtutis virum, ut de ipso inter Divos referendo actum sit nuper, & fiet, ut creditur, deinceps. Ipse vero Bonaventura creatus ab eodem Gregorio X. Cardinalis atque Episcopus Albanensis eodem Anno durante Concilio mortem obiit, postquam eodem vitâ functus esset apud Fossam novam Angelicus Doctor Divus Thomas, dum Lugdunum ire pergeret, ut Sacro interesset Concilio; nullâ omninò auctus Ecclesiæ dignitate, quas semper constante animo recusavit; eâ tamen sanctitatis ac doctrinæ opinione, quam Ecclesia ipsa, & tunc mirata est, & semper amplius atque amplius demirabitur. Ita eodem anno duobus magnis certè luminibus orbata est Ecclesia Catholica, sive potius ornata est illis in æthereis sedibus collocatis. Obiit autem Bonaventura ætatis anno tertio supra quinquagesimum; ut propterea non tam senex, quàm ad senium vergens pingi debeat.

9 Cardinalitiam Purpuram non abs re comitari debet Purpura Imperatoria. Postridie enim diei, quò Sancti Bonaventuræ memoria colitur, festus agitur dies Sancti Henrici Romanorum Imperatoris Augusti, qui quidem è Duce Bavariæ in Imperatorem electum Romanæ Ecle-

clesiæ clarissimum sidus illuxit: pro qua tuenda amplificandaque tot & tanta bello paceque gessit, ut iis enarrandis vix essent integra suffe-ctura volumina. Quòd verò ad eius attinet Imagines, quæ sanè sunt frequentes, sat fuerit annotasse illum cataphracto armorum genere contectum; insuper & oblongo purpureoque Imperatoris paludamento solere rectissimè depingi: altera quidem manu nudatum ensem præ se ferentem, alterâ sub globi specie mundum: ex eo potissimùm, quòd in vulgato aut vulgari loco Romani Juris Imperator se Dominum Mundi profitetur. (f) Cuius Tituli exactiorem tractationem aliis discutiendam relinquimus. Illud hìc monuisse contenti, quòd rectè non minus depingeretur eâdem illâ manu, quâ gladium ostentat, liliorum candentium ramum præferens; & hoc quidem in signum egregiæ castimoniæ, quâ virginitatem raro exemplo Matrimonio conjunxit. Ferunt enim Sanctam Cunegundam uxorem tempore mortis suæ parentibus ac cognatis, insuper & Imperii proceribus intactam atque illibatam tradidisse: Quo utinam omnes Christiani Principes excitarentur exemplo, ut, tametsi non ad tale tantumque aspirarent perfectionis apicem (neque enim tantum præcipit Evangelii lex, & suave jugum Christi) saltem intra honestatis limites & cancellos inclusi suis ipsorum tantùm uxoribus fuissent sæpè contenti. Obiit verò Sanctus Henricus ætatis suæ anno secundo supra quinquagesimum. Quare pingi debet non senex omninò, quamquam aliundè macerationum corporis, atque etiam bellorum laboribus, ut par est credere, multum attritus.

(f) Text. in l. 9. ff. ad l. Rhodiam de jactu.

10 Sitne maius, maritum virginem cum uxore virgine totos annos exigere; an verò prima nuptiarum nocte virginem sponsam omnino relinquere, longumque valè dicere paternæ domus deliciis, ac seculi pompis, ut tandem in paternâ domo incognitus & spretus homo degeret, sanctoque fine quiesceret, difinire atque statuere vix quisquam ausit. Certè primum horum, fecit Henricus Imperator: postremum multo ante tempore fecerat Alexius Romanorum, ut perhibent, nobilissimus. Ego verò dubitationes huiusmodi, in quibus acies sese exerceat ingenii, aliis hinc inde trutinandas lubens trado, quemadmodum etiam illud omittimus: an nempe hæc miranda prorsus Alexii historia in Italia, in ipsaque Urbe Roma contigerit, an potius in Thracia & Regia Urbe Constantinopoli, quam Græci sequentibus ab eius fundatione seculis, aut potius magnifica instauratione factam à Constantino Magno Romam sæpius appellabant ore rotundo: nec enim hæc prolixiùs pervestigandi locus est. Verùm quod ad eius attinet Imagines, receptum est præ aliis ut depingatur, velut in domo paterna sub pauperis peregrini specie utcumque receptus, jacensque sub scala: à cuius superiori parte petulantes famuli viro sanctissimo, & revera domus domino, miris & ridiculis modis insultent. Hoc enim modo habitum atque receptum eumdem fuisse, totosque septemdecim annos perseverasse, incognitumque latuisse produnt omnes quotquot eius scripsere res gestas.

***



CA-

CAPUT II.

PICTURÆ AC IMAGINES SANCTÆ MARIÆ Magdalenæ, Sancti Jacobi Apostoli, & Sancti Christophori Martyris.

Unam atque eamdem, eamque sanctitate celsissimâ fuisse illam, quæ Maria Magdalene in Evangeliis sæpè nominatur, & non duas, multoque minus tres (quod aliqui autumant) satis superque ostendimus in supradictis. Non ob hoc tamen intendimus id omnino quantum ratio fert historiæ apertè atque firmiter demonstrasse. Fatemur ultrò sententiam oppositam, præsertim eam quæ asserit, Mariam Magdalenam sororem Lazari, quæ Castelli, sive pagi quod Bethania appellabatur, domina erat seu incola; fuisse diversam à peccatrice, quæ Domini à Pharisæo olim ad domum suam invitati pedes rigavit lacrymis, & capillis abstersit, non modicis aut levibus niti fundamentis: at non iis, quæ sententiæ nostræ iam à multis seculis receptæ fidem atque authoritatem infringant. Nondum id planè atque disserte definivit Ecclesia. Quapropter liberum erit viris Catholicis sententias suas, aut placita, quæ Ecclesiæ statutis non refragantur, tueri atque defendere. Unusquisque igitur, ut ait Apostolus, in suo sensu abundet, dum liberum tamen nobis sit, id quod magis receptum videtur, amplecti. Interim nos ad Magdalenæ Picturas & Imagines intendamus, si placet, animum.

2 Ergo qua ratione pingenda sit, cùm in convivio Pharisæi Domini pedes lacrymis lavit, delinivit unguentis, capillisque studiosa extersit, iam supra accuratius annotavimus, multisque ostendimus, quæ proinde hìc iteratò reponere non libet. Illud deinde notari oportet, solere depingi monilia & ornamenta colli capitisque impigrè amoventem, insigni cum vestium nitore atque pompa: quæ tamen non omnino probantur viris pietatis ac doctrinæ severioris: (a) *Quis enim non videt* (inquit ex sua ipsius, aliorumque mente pius ac sæpè laudatus Scriptor) *utiliorem esse tabulam, quæ Magdalenam nobis refert ad Domini Iesu pedes effusè lacrymantem, quàm eam, quæ illam exhibet, qualis erat dum septem dæmoniorum esset deditissima famula?* Atqui iniquius ferendum est quod aliqui etiam faciunt. Pingunt enim Mariam Magdalenam ante Christum Dominum è Cruce pendentem genuflexam, linteo lacrymas suas abstergentem, & quod iam reprehendimus, ornatam splendenti ac prædiviti vestimentorum pompa. Constat enim ex Evangelio, Evangelistam Joannem, sanctasque feminas cum Sanctorum omnium Regina tempore crucifixionis Christi Domini Cruci adstitisse stantes, & in suo gradu consistentes: neque verò cùm pompa vestium, quæ nihil congruebat cum tali spectaculo. Ad sepulcrum verò cùm plorans pingitur ab aliquibus passis capillis & vestibus, ultrà quam modestiæ leges fortasse deceat, sparsis, atque de industria neglectis describitur. Quæ tamen omnia exactius inspici deberent, cautiusque & magis circunspectè depingi: ea tamen, aliaque hujusmodi consultius hìc omittimus, quod de iis aptius dicendi locus fuerit in supradictis.

(a) Molanus de Imag. lib. 3. c. 25.

3 Sanctus Jacobus Zebedei filius, Hispaniæ primarius (quidquid alii commenti sint) Patronus atque Apostolus, bifariam sæpius à Pictoribus describitur. Pingitur enim peregrini habitu, oblongo innixus baculo, ex quo etiam bursa pendeat, & circa humeros amiculo, quod Hispani *Esclavinam* vocant; insuper & cum galero satis amplo, quem tamen ornant conchæ, quę circa litus maris passim se offerunt. Totum id ex eo arbitror proficisci, quod

quod Hispaniam celerrimè, & ut decebat tonitrui filium, peragraverit: ubi postmodum corpus eius è Hierosolymis translatum condigno honore colitur. Sed ab aliis etiam cum gladio pingitur, cumque libro aperto. *Quæ pictura* (inquit frequens nobis Author *) *etsi varior sit, priori tamen est præferenda, quòd ex Sacra Scriptura desumpta sit, & martyrium eius explicet. Quod ita habetur; Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio.* Sæpè etiam pingitur equo insistens, armatusque gladio, acies Maurorum impigre perrumpens, eósque ad internecionem usque cædens. Quod non exigua cum Hispani nominis gloria rectè fit: cùm sæpè visus sit pro Hispanis in aëre pugnans; de cuius rei fide dubium esse non potest iis qui interfuerint eius Ecclesiastico Officio, ubi illud metricè habetur

*Molan. lib. 3. c. 26

Tu bella cùm nos cingerent,
Es visus ipso in prælio,
Equoque & ense acerrimus
Mauros furentes sternere.

Atque idem alibi solutâ oratione describitur illis verbis: (b) *Ipse etiam gloriosus Apostolus in difficillimis prẹliis palàm se conspiciendum prẹbens, Hispanos adversus Infideles pugnantes mirifice juvit.* Neque is differendi locus est de his eventibus, qui non uno modo ab Historicis rerumque nostrarum Scriptoribus describuntur.

(b) In festo Transl. eiusdem, 30. Decemb.

4. Robustiore & magis accurato labore, ut videtur, opus est in descriptione Colossi: ut propterea nihil mirum sit si circa Picturas atque Imagines Sancti Christophori Martyris nonnihil immoremur: quas Pictores multis ab hinc seculis extendunt ad molem giganteæ prorsus magnitudinis, & ad Colossi altitudinem efformant; quod ego libens facio. Etsi enim Sanctus hic Martyr in Ecclesia tantùm ritu simplici, aut simplici Commemoratione celebretur; imò in Hispania nostra, neque istâ quidem, cùm incidat eadem die qua Magni Patroni Sancti Jacobi memoria percolitur: tamen multi sunt qui ob reverentiam ac pietatem erga Sanctum Martyrem, Christophori nomine gloriantur: atque ego ipse Patre sum nomine Christophoro progenitus. Ut verò clarius atque expeditius procedamus, duo triavè primùm sunt constabilienda: I. An talis tantusque Christi Martyr fuerit aliquis; sive an aliquando in natura rerum extiterit? II. An rectè depingatur sub giganteâ magnitudine; & utrum hoc ad fidem historiæ? III. Quid denotet, quidvè innuat talis Martyrem pingendi ratio, si pictura semel adstruatur simbolica?

5 Circa primum quidem: horum temporum novatores Hæretici, ut sunt fidem rerum, quas Ecclesia unanimi consensu recepit, pessumdandi atque convellendi solliciti; disertè negant fuisse aliquando hominem in rerum natura, Martyremvè quemdam qui Christophorus vocaretur: Ajuntque proinde, nomen non esse proprium, neque fuisse alicuius, qui ita vocaretur, sed tantum appellativum, qui cuilibet attribui potest. Quasi verò Ignatius ille, qui *Theophorus*, hoc est *Deifer* audit abs tota antiquitate, cui refragari non audent, non fuerit verus & singularis homo, sed confictus; neque Romæ discerptus à leonibus, sed efformatus tantùm; & simul evanescens impiorum cerebro! Huic sententiæ, sivè potius errori, subscribunt Hæretici, quos citat & exagitat more suo, hoc est doctissimè, Nicolaus Serarius Soc. I. Theologus in pretioso Opusculo, cui nomen fecit *Litaneuticus.* (c) A quo etiam errore (neque enim hoc dissimulandum est) non longè abfuerunt quidam Doctores pii atque Catholici, dum totam Christophori historiam, quæ in Pictura exprimitur, ad allegoricum symbolicumque sensum omninò trahunt. Inter hos est vir

(c) Lib. 1. quæst. 2.

præclaræ nobilitatis & doctrinæ professor Ordinis Sancti Augustini, qui id satis apertè scriptum reliquit illis verbis. (d) *In declamationibus exponetur, quid sibi velint Picturæ, & confictæ quędam historiæ, veluti Pictura Christophori, quæ adumbrat Evangelii præconem, qui dum Christum extollit, & circumfert visendum cognoscendumque omnibus, periclitatur in procellis & fluctibus hujus mundi, atque à malis hominibus tamquam monstris ac belluis marinis undique infestatur: sed tamen indefessè respectans ad lucernam Verbi Dei, quam Sancti Patres, Prophetę, & Apostoli, de Ecclesia prodeuntes accensam ostentant ac protrudunt, nixus præterea spe jucundissimorum fructuum in posterum, vel post hanc vitam recipiendorum (quos baculus supernè virens & florens promittit) & contentus tenui sorte, victu nimirum & vestitu (testantur id in pera panis & pisciculus vili parabilis, item vestis curta, & minimè laciniosa) tandem ad litus & stationem contendit, ubi quiete & gloria æterna cum Christo, quem gestavit, fruetur.* Hæc apud virum doctum & Catholicum leguntur, quæ sanè ad explicandas nonnullas Sanctorum Picturas allegoricas, non inepta videri possunt: (e) *Sed* (verba sunt Authoris sæpè hic vocati atque laudati) *quæ jam inculcata sunt, pertinent ad Martyrem Christophorum: nec tolerandum arbitror quòd ab hereticis trahantur ad adumbrandum Evangelii præconem; quasi tota historia Martyris Christophori velut fabula & figmentum sit rejicienda.* Ad eumdem certè lapidem impegit Catholicus Author, * qui eamdem de Sancto Christophoro allegoriam studiosius exequitur: (f) *Durius autem* (verba rursus laudati Scriptoris) *eam tractat, & nimis in adversariorum partes propendere videtur, dum inter alia scribit*

(d) Laur. de Villavicencio de Ratione studii Theolog. l. 3. c. 6. & 7.

(e) Mol. l. 3. c. 27.

* Ioan. Hunęus.

(f) Mol. ibid.

Hæc sub Christophori monstravit Imagine quisquis
Figmenti extiterit primis mortalibus Author.
Cumque nihil fidei contra pia fabula dicat,
Sub quovis sanè tolerari judice quibit.

Nos verò, cùm Patres Ecclesię sat veteres, (g) Martyrologia, Ecclesiarum plurium constans traditio S. Christophori Mart. ut veri & singularis hominis, qui pro Christo sit passus, memoriam celebrent, concludamus ea quæ de ipso dicuntur, non allegoricè tantùm, sed fide planè historica referri, quanvis nonnulla per allegoriam, aut symbolicam repræsentationem exprimantur in eius Pictura atque Imagine.

(g) Vide D. Greg. Mag. l. 8. Epist. 32. Bed. S. Eulog. aliosque pass.

6 Tale est (& est secundum quod investigandum suscepimus) quòd pingatur in gigantea magnitudine, qualem vix nominati sæpius apud profanas, imò etiam apud sacras literas habuere gigantes. Significat enim ac denotat eiusdem virtutis, sanctitatis, atque constantiæ proceram magnitudinem: quæ fortassis non alio convenientius modo describi potuit, quàm sub magnitudine gigantis. Adnectuntur alia eidem Imagini; qualia sunt Christus sub pueri forma, insidens humeris Christophori: fluvius, quem tranat ipse Christophorus Christum gerens humeris: aliaque huius generis. Quæ omnia ad symbolicam potius normam, quàm ad historię exiguntur fidem. Et verò quoniam cuncta hæc complexus est eleganti epigrammate non solum Catholicus Auctor, sed etiam dignitate ac doctrina præstans; versus illius hic adscribere fuerit operæpretium, (h) qui ita habent.

(h) Hier. Vidas Epis. c. Cremonens. in Epigrammatib.

Christophore, infixum quod eum usque in corde gerebas,
Pictores Christum dant tibi ferre humeris:
Quem gestans quoniam multa es perpessus amara,
Te pedibus faciunt ire per alta mari.
Id quia non poteras nisi vasti corporis usu,
Dant membra immanis quanta gigantis erant,
Ut te non capiant, quanvis ingentia templa,
Cogeris & rigidas sub Jove ferre hiemes.

Omnia

Omnia quod victor superasti dura, virentem
Dant manibus palmam, qua regis altus iter.
Quod potis ars tibi dat, nequeat cum fingere vera,
Accipe cuncta bono tu bonus ista animo.


Atque hęc certè (quod postremum est eorum, quæ stabilienda censuimus) vera & congruentissima ratio est cur Sanctus Christophorus pingatur, adumbreturque sub gigantis forma. Et quoniam sat sunt elegantes versus qui appicti sunt Imagini Sancti Christophori, quæ depicta est in templo maximo Hispalensi, quam supra innuimus, non piguit eosdem ut leguntur adscribere: ita quippe habent.

Deo Sacrum

Christifer est fortisque gigas, cui lucet eunti
In tenebris operosa fides, larvasque minaces
Non timet, atque ullis rerum immersabilis undis
Nititur usque Deo, talem te Maxime Divum
Credimus, exemplumque piis ad limina templi
Ponimus, & meritos aris adolemus honores.
A.M.D.XXC.IIII.

7 Unum tantummodo quod moneamus hic restare videtur: atque illud summatim est: non cuiusvis esse concinnè atque ex regulis artis pingere Colossum. Quocirca non paucę S. Christophori Imagines, quæ in templis, aut ante templorum fores cernuntur, parum exculte & ex artis præscripto observamus depictas. Immane enim est, quantum quoad illam quam nos proportionem aut commensurationem membrorum vocamus, Græci autem symmetriam, in iisdem peccatur: *Ut nec pes nec caput uni Reddatur formæ.* Videas enim frequenter giganteos pedes, tibiasque etiam plusquam giganteas, caput autem humerosque, quæ vix consuetam hominum magnitudinem superent. Sanè qui colossos antiquitus depinxerunt, aut formarunt ex ære aliavè materia, præstantes fuerunt artifices, de quibus laudes exequitur atque contexit naturæ atque etiam artis Scriptor percelebris: * & quod ad rem ipsam attinet, Concionator apud nos dissertus atque elegans abusum reprehendit, quo Pictores è vulgo Sanctum Christophorum depingendum suscipiunt, omnem prorsus conatum insumunt in describendo utcumque procera magnitudine: in Artis verò peritia, membrorumque debita proportione, non item.

* Plin. Hist. nat. l.34. c. 7.



CAPUT III.

PICTURÆ S. ANNÆ BEATÆ VIRGINIS MARIÆ Matris, Pantaleonis Martyris, Marthę Virginis, atque Ignatii Loyolæ Confess.



1 GRave atque ingeniosum emblemma fuit illud, quo ut dignitas Deigenitricis demonstraretur, depictus est splendens ac pretiosus unio iuxta conchile ipsum, ex quo nuper prodiisse denotabatur, addito Horatiano illo Lemmate: *O mater pulcra filia pulcrior!* Verè etenim ita fuit: nam etsi Sacra Deipara dignitate, atque excellentia longè præstiterit reliquis omnibus quotquot sunt, fuereque, atque futuræ sunt feminis, ipsa etiam parente non exceptâ: tamen pulcherrima etiam spiritali nitore edita parente est, beata nimirum Anna, quam summis prosequuntur laudibus Patres illi Ecclesię, quibus hæc nota & scita fuerunt: nam antiquiores res ipsa prorsus latuit. Proinde videri possunt Epiphanius, ac Damascenus, quos postmodum sequuti sunt alii, qui magis planam hanc invenerunt viam, & quos prolixius hic allegare non putamus operæpretium.

2 Iam quod ad ipsius Imaginem attinet, duo hic notanda sese offerunt. Unum quidem: depingi debere omnino senem, quamquam non deformem & ingratam vetulam: id enim seriò persuadent illa, quæ à priscis Authoribus ac Patribus annotata sunt circa conjugium Annæ ac Joachimi, quod sterile permansisse per multos annos, disertè, docent: neque á se notam illam sterilitatis abegisse, nisi in provecta ætate edita in lucem illa, quæ Conditori rerum Mater esset futura. Pingenda igitur erit anus veneranda, ad eam fermè ætatem, quæ quinquagesimum annum attingeret: quibus si addantur quindecim, quibus credibile est fuisse superstitem usque ad ipsius Christi Domini intemeratum puerperium, inferri poterit decessisse anno quinto fere supra sexagesimum: quod satis censeri debet pium atque probabile.

3 Nam quod post editam in lucem Virginem Deiparam alii nupserit; vel quòd ex eodem Joachimo conjunge alios susceperit liberos, qui propterea vocentur Fratres ipsius Christi, vel, quòd urgentius apparet, feminas alias, saltem unam, vocatam Mariam Cleophe, ut constare videtur ex verbis Ioannis, quibus dicitur stetisse juxta Crucem Jesu sororem Matris eius Mariam Cleophe; etiam si verum visum fuerit antiquis etiam primi subsellii Patribus: id tamen jure merito non admittitur, neque censetur rem seriò perpendentibus verosimile. Qua de re videri possunt Evangeliorum Interpretes: nobis enim id non vacat accuratius expendere ad alia properantibus.

4 Alterum quidem est, quod supra jam suo loco prænotavimus; absurdam prorsus esse Picturam, qua depingi solita est Virgo Deipara septennis aut octonnis stant juxta Sanctam Parentem Annam, & ab ea in libro, quem manu gerit, literas atque elementa rudimentaria reverenter addiscentem. Hoc enim nullo modo congruit cum his quæ iam unanimi consensu traduntur, & quibus Ecclesia videtur suum addidisse suffragium de Præsentatione Beatę Virginis in Templo. Cum enim hoc contigisse asseratur, cum trium tantum annorum esset Deipara: qua consequentia dici, aut pingi etiam poterit eamdem cùm septenis, aut etiam quinquennis esset, à veneranda Parente didicisse literas, quibus tamen imbui in tenerrima trium dumtaxat annorum ætate; difficile est creditu? præterquamquod haud desunt qui asserant eas neque à Parente, neque à quovis alio magistro, nisi Divini Spiritus magisterio doctrinaque accepisse. Quare videri poterunt ea

ea quæ superius circa id ipsum annotavimus.

5 Picturam Sancti Pantaleonis Martyris omnino tacitus præterirem, nisi meminissem spectatam esse à me aliquando eam: in quâ militari prorsus atque loricato & caligato habitu erat depictus. Quo absurdius nihil describi potuit. Etenim Pantaleon, Martyr, non miles fuit, neque unquam castra sequutus; sed pius, atque, ut putare fas est, doctus atque eruditus Medicus. Credere autem eumdem gessisse habitum in ipsa Urbe Nicomedia Medicos ac Milites, est idem omnino atque se prodere, rerum etiam quæ in oculos incurrunt, ignorantissimum. Quo fit ut qui ita res depingunt pictori illi reddantur simillimi, qui, ut inquit Horatius; *Delphinum silvis appingit, fluctibus aprum.* Sed verò dum ii qui tam nobili ac præcellenti Arti dant operam, perdiscendarum rerum studio non teneantur, his hæc & alia sæpius ingeminare idem prorsus erit ac, quod proverbio dicitur, surdo fabulam.

6 Molestę certè ac prolixioris operæ quæstio censenda est ea, quæ de adventu Sanctorum Lazari, Marthæ, ac Magdalenæ in eam Galliæ partem, quæ, quòd prima à Romanis redacta sit in Provinciæ formam, Provincia quadam anthonomasia vocata est; moveri solet à Criticis Historicis. Proinde eam aliis discutiendam relinquimus. Et cum jam de Mariæ Magdalenæ Imagine, quæ satis visa sunt annotaverimus; de ejusdem sororis Marthæ, Christi Domini olim hospitis Pictura, paucula annotanda supersunt. Id autem non aliis verbis lubet perstringere, quam illis quibus usus est Anthor, quem in instituto hoc penè semper in oculis ferimus. Hæc autem ita prorsus habent: *Quę* (nempe Martha) *pingitur cum aspergillo & aqua benedicta. Cujus causam tradit Clicthoveus,*(a) *cum, ait, in Aquensi adhuc territorio versaretur, erat super Rhodanum fluvium inter Arelatem & Avenionem draco immensę molis, interdum sub aquis latitans, & aliquando super terram gradiens, qui & navibus naufragium plerumque intulit, & viatoribus exitium. Rogata autem beata Martha, Crucis signo illi ostenso, & aqua benedicta in illum respersa, mansuetum & innoxium reddidit. Quod cernens populus, lanceis & lapidibus mox draconem peremit. Hoc autem miraculum repræsentatur per effigiationem Imaginis Sanctæ Marthę fieri solitam. Cum d[ra]cone scilicet ad pedes & aspergillo* (sic enim vocat) *aquæ benedictæ.*

(a) Hom. de Marth. apud Molan. lib. 3. cap. 29.

7 Hæc sæpe laudatus Author, quæ mihi nonnihil altius cogitanti aurem vellicant, ut originem scrutari liceat rei cujusdam, quam in Hispania nostra cernere est, & qua nulla etiam notior seu manifestior. In solemni illa pompa atque ad speciem triumphi composita, qua Divinum Eucharistiæ Sacramentum ex veteri consuetudine, immò & ex præscripto Tridentini Concilii stata & dicata ad id officium die, per vicos atq; plateas, quâ par est reverentiâ publicè circumfertur; principio in ipso procedente ex cunctorum ordinibus agmine portatur in operta machina effigiatum monstrum, quod draconem ingentem, serpentemvè majoris magnitudinis repræsentat, gratissimo planè puerorum oblectamento atque spectaculo. Tale autem monstrum, quod miris modis parant atque perornant ii quibus id incumbit, recepto ubique vocabulo vocatur apud Hispanos nostros *la Tarasca,* quod etiam (neque enim hoc volui silentio pręteriri) eo artificio figuratur, ut aperto rictu & hianti ore procedat: intra quod certatim pueri ludibundi, ut est illorum mobile ingenium, capitum tegumenta, aut galericulos conantur immittere: quæ omnia in speciem monstrum vorat, & in ventrem condere pergit ea, ut videtur, aviditate, ut Hispanico proverbio locum fecerit, quo cum monstrum miræ voracitatis describere volumus, dicamus iam illi multas ac minores prædas objicere, perinde esse atque (sic enim effertur) *Echar caperuzas á la Tarasca.* Qua de re consuli potest Hispanicum Lexicon, quod aliquibus voluminibus constans, prodire cępit auspiciis Monarchę potentissimi Regisque Hispaniarum Philippi V. Nos interim ad id unde digressi sumus opportunè revertimur.

8 Equidem non semel, sed sępè sæpius cogitavimus, unde hujusmodi ritus atque mos originem traxerit; cuivè rei alludat hoc factum.

Ve-

Verum rem acu tetigisse visus ipse mihi sum, cùm in huiusmodi interfecti ac triumphati draconis historiam mentem intendi, Imaginem ipsius Marthæ sedulo circumspiciens. Ergo significari puto per circumvectum draconem, diabolum, qui vocatur in Scriptura *Serpens antiquus*, sed devictum atque ostentatum in triumpho superatum à Christo: idque non sine evidenti allusione ad draconem illum, serpentemvè, qui à Beata Dei famula Martha perhibetur fuisse devictum. Quod ne sola imaginatione nostra inniti videatur, illud rursus in memoriam revoco, quod supra annotavi; nempe huiusmodi monstrum vocari à nostris popularibus *la Tarasca*. Quod mihi nihil aliud indicare videtur quam draconem illum occissum, non alibi quam apud *Tarascum*, *Tarasconem* vè, Provinciæ Narbonensis Urbem, sic nominatam Geographis Ptolomæo, Straboni, aliisque: (b) qua in urbe, aut certè in eius territorio depositam fuisse Beatam Martham, disertè asserit Romanum ipsum Martyrologium. Qua de re paucula hæc transcursim annotasse sufficiat.

(b) Vide Abr. Hortelium in Lexico.

9 Postrema Julii dies dicata est eximia Sanctitatis Heroi, Cælestisque prudentiæ laude cum primis commendabili viro Sancto Ignatio de Loyola, Inclytæ Societatis Iesu Parenti atque Patriarchæ. Huius verò laudum segetem atque uberem campum hic jejunè decerpere non est cordi. Sed quod ad eius Imaginem spectat, censerem ipse grande piaculum, omittere illa quæ inter plures alios Vitæ illius Historicos præcipua eloquentiæ, tersæque dictionis laude conspicuus annotavit Joannes Petrus Maffeius, (c) quę ob styli consuetam elegantiam integra non gravabor exscribere: sic enim habent: *Statura fuit modica, & grato & pleno dignitatis aspectu: colore inter album & aquilum; exporrecta lataque fronte; vivacibus oculis; oblongo & incurvo naso, quam vel in primis certam prudentiæ notam metoposcopi existimant. Claudicavit nonnihil ex vulnere olim in propugnatione Pampelonensis arcis accepto, sed citra ullam deformitatem, ut nemo nisi curiosus animadverteret. Effigies circumfertur illius, non admodum ad vivum, ut familiares affirmant; siquidem ex mortui demum facie, gypso imaginem expressere plastæ, quoniam ipse dum viveret, neque pingi se, neque fingi permisit, omnibus in rebus humanæ gloriæ contemptor egregius.*

(c) I. Maffæus in Vita D. Ignat. lib. 3. cap. 15.

10 Hæc disertè atque eleganter, ut solet, laudatus Scriptor: quibus addi possunt quæ alter eiusdem Societatis Author luculentissimus (d) de hac Ignatii effigiandi ratione tradidit, quæ dicta non mediocriter illustrant: ait enim, allegans Ignatii Vitę Scriptores, eumdem nunquam permisisse, ut illius vultus coloribus exprimeretur: usque adeò ut rem effecerit non difficilem modò, sed impossibilem. Vertebat enim se, non secus ac Protheus alter, in humanas quidem semper facies, sed omnino diversas, ut modò unus, modò alter videretur Pictori ipsi curiosè atque studiosè spectanti. Quo fiebat, ut novam terque quaterque effigiem hominis irrito semper labore confingeret. Quod graphicè atque eleganter exequitur luculentus Author, qui propterea videri poterit loco superius allegato. Pingitur autem Sanctus Patriarcha nulla non laude dignus, Clericali habitu, manu præferens alterâ admirabilem illum Exercitiorum librum, Sedis Apostolicæ judicio, & omnium utilitate comprobatum; alterâ verò radiis inclusum solaribus *Iesu* Nomen, cujus gloriam per se atque per suos, scriptis factisque longè latèque propagavit. Neque infrequenter etiam pingitur indutus ornamentis sacerdotalibus. Neque id immeritò: quippe is est, à quo templorum nitor, catechismi traditio, concionum ac Sacramentorum frequentia, ut disertè habet eius Ecclesiasticum Officium, incrementum accepère. Hæc tamen cùm ita sint, adjungere hic nihilominus placuit Imagini Viri Sanctissimi Cœlum (ut sæpè ipse solebat) suspectantis, id quod de eadem re aliquando lusimus, Epigramma, quod ita habet.

(d) P. Ant. de Vieyra tom. 4. sermonum, 3. pag. 292.

Heu quàm dum Cœlum suspecto, nubilus aër
Sordet is! heu sordent æquora! sordet humus!
Quis nisi vana putet collata palatia regum,
Atque hominis, viles pauperis esse casas?

Quod

Quod si ego nunc templi lætor conspectibus altis
Vix mihi cum liceat cernere vestibula;
Quantum erit, ò! magnæ rutilo tum lumine? quandò
Iam pateant oculis interiora domus?

CAPUT IV.

IMAGINES SANCTI PETRI IN VINCULIS, SANcti Dominici, Sanctorum Martyrum Justi & Pastoris, S. Caietani, ac Laurentii Mart.

1 Rima mensis Augusti dies dicata est Apostolorum Coripheo Divo Petro, cùm jaceret conjectus in Vincula. Quam rem etiam Pictores adumbrant; sed ex antiquitatis ignoratione satis jejunè; ne dicam absurdè, ac planè ut ipsi solent: Catenâ quidem illigatum; sed hac parieti, columnæ, aut trunco firmata innexaque. Quod tamen non ita fuisse, patens erit ac pervium ei qui Sacram Historiam, etiam oscitans, utcumque perlegerit. Sic enim habet: (a) *In ipsa nocte erat Petrus dormins inter duos milites, vinctus catenis duabus: & custodes ante ostium custodiebant carcerem.* Habemus jam hic Petrum, non una vinctum catena, sed duabus: at illæ non erant innexæ parieti, aut columnæ. Sed cui rei? illi scilicet quam Pictores ipsi ne somniare quidem poterant, nempe duodus militibus, qui custodes Petro erant dati, atque inter quos nihil morte instante & propè cervicibus imminente perterritus, alto somno pressus dormiebat Apostolus. Quod quidem ut cunctis pateat, scire operæpretium erit, vinctos, præsertim majores ob causas, tradi solitos duobus militibus custodiendos; ita ut altera catena rei dexteram, sinistramque militis alligaret; altera vero rei sinistram, militisque dextram. Pluribus hæc ostendi poterant; sed pauciora sufficiant: ita enim dissertè Seneca habet: (b) *Quemadmodum*, inquit ille, *eadem catena & custodiam & militem copulat; sic ista, quę tam dissimilia sunt, pariter incedunt.* Quæ eadem sanctior planè Author magis illustrat. (c) *Ligantur*, ait, *duo, & mittuntur ad judicem latro, & colligatus, ille sceleratus, iste innocens: una catena ligantur, & longè sunt à se.* Quo præ oculis, ut par est, habito, plana fit intelligentia Historiæ Apostolicæ, & ratio Apostoli catenis vincti depingendi: cùm per se pateant verba illa: *Erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus.* Neque opus est ut quisquam requirat, cur id facerent veteres Romani, etiam ex legum pręscripto? Sat enim constat id fieri solitum, ne vincti custodiæque mancipati facilè elaberentur: cùm id fieri non posset, etiam custodibus dormientibus, nisi vincti secum violenter traherent eos qui se custodiebant, adservabantque: quod ægerrimè fieri posset, immò nullatenus, nisi Deus supra hominum captum ostentaret aliquantulum manum potentissimam, ut contigit in liberatione atque ereptione Petri.

(a) Actor. 12. 6.
(b) Senec. Epist. 5.
(c) D. August. in Ps. 118.

2 Igitur mirandus hic eventus ut congruè oculis objiciatur, describi debet hoc ferè modo. Humi scilicet jacens Petrus somno pressus, catenis hinc & inde ligatus, quę pendentes è manibus ad eum planè, quem supra descripsimus modum, unum alterumque militem vinciant. Describi autem debebit non omninò vestitus, neque nudus, sed unâ tantùm indutus tunicâ, calceisque, aut caligis depositis; ut locus detur admonitioni Angeli, qui resplendens (ut textus habet) fulgore mirabili, eumdemque Petrus alloquens, *Pręcingere*, inquit, *& calcea te caligas tuas:* Et rursus, *Circumda tibi vestimentum tuum, & sequere me.* Quod si depingatur jamjam stans supra proprios pedes, tunc describi debent hinc & inde catenæ confractę, testante id sacro ipso eloquio: ubi sta-

ſtatim ac dicitur Angelum excitaviſſe Petrum à ſomno, ſubditur: *Et ceciderunt catenæ de manibus eius.* Atque rem totam hoc modo deſcribere, eamdem pingere atque oculis exhibere eſt: ſecus aut nihil niſi deſipere, & propriæ ineruditęque obſequi phantaſiæ: quod ut vitetur, laboris atque inſtituti noſtri munus eſt. Sed inſiſtamus parumper, ſi ita placet, in his poſtremis verbis.

3 Quod ideo dictum volo, quia tametſi in toto operis decurſu ſtuduerim, ut par eſt, quam minimùm ab inſtituto itinere deflectere: negare tamen nolo, me aliquando animi vel ſtudii causâ, nonnihil latius fuiſſe digreſſum: idque ſæpius poſſe contingere, niſi preſsioribus curavero inſiſtere veſtigiis. Quod ut clarius fiat, non longe petenda probatio eſt. Inſtat enim iam pręclariſsimum, nulliſque laudibus ęquandi Parentis Dominici Picturas atque Imagines exponere: in cuius tamen laudes atque encomia, reſvè geſtas abire, maioris prorſus moliminis opus eſſet, quàm inſtituti noſtri ratio depoſcat. Proinde tam in hoc, quàm in aliis, quæ ſeſe offerent, relictis aliis, in Picturarum aut Imaginum expoſitione laborabimus. Principiò igitur nemo cordatæ mentis mirari poterit, ſi pręclariſsimus Pater radiante ſtella depingatur in fronte: id enim à fonte baptiſmatis recens levato, in ipſo Infante animadvertit pia juxta ac nobilis femina, quæ eumdem ab eodem extulerat fonte. Neque rurſus inſolitum eſt ut depingatur cum illo emblemmate, Canis ſcilicet, facem ore tenentis, qua terrarum orbem incendit: hoc enim etiam eó gravidæ per quietem viſum eſſe Matri, nemo eſt qui neſciat. Pingi autem Canonicali habitu linteatum atque palliatum, inſuetum eſt. Quanvis enim ſatis conſtet Oxomenſis Eccleſię extitiſſe Canonicum; citra alium tamen apparatum aut inſigne ſatis perſpicuum ſit (nam quod aliqui intendant Jacobæa Cruce præditum Clericalem duxiſſe vitam, non tanti facio, ut ea hic refellere velim aut debeam, quę, pace illorum dictum ſit, ſomniantium mihi ſpecies videntur, aut vigilum ſomnia) Tamen cùm poſtmodum toto vitæ decurſu cæperit uti illo habitu, quem Fratres Prædicatores aperte geſtant; idque non ſine inſtinctu Cęleſti, immò verò præcepto Sacræ Deiparæ, ut aſſerunt eiuſdem vitæ præcipui Authores; æquum videtur, ut ſemper eodem depingatur habitu, non inſueta narrandi aut depingendi etiam ratione, qua, anticipatione quadam ſive Prolepſi, aut, quod idem eſt, Hiſteron proteron, quæ non niſi poſterius contigère per prius, nonnihil mutato ordine referantur.

4 Deſcribitur autem, idque ferè ſemper, Sanctiſsimus Patriarcha his inſignibus, quę norunt omnes, libro ſcilicet, & onuſto liliis candidiſsimis ramo. Utrumque hoc merito. Signatur enim liliis animi atque corporis eximius candor, quo vel ipſi Mariæ virginumque Virgini charus cum primis extitit; libro verò doctrina, qua cùm per ſe ipſum, tùm etiam per ſui illuſtriſsimi, nulliſque non laudibus celebrandi Ordinis Filios atque Socios Eccleſiam Catholicam mirando prorſus lumine colluſtravit. Quam rem ieiunis atque exilibus verbis referre, non laudare quidem, ſed penè obſcurare ac deturpare eſt.

5 Sed prętereunda non eſt alia viri Sanctiſsimi ſatis vulgata depingendi ratio. Satis notum eſt ex eius Vitę hiſtorięque ſcriptoribus, illum quotidie conſueviſſe ter in ſe ipſum cruentis verberationibus deſæviiſſe. Ergo pingitur aſperrimo flagro acuminibus in extremitatibus obarmato, vel ferrea etiam canetula ſuum ipſius nudum tergum coram Imagine Crucifixi acerrimè cędens; ea doloris intimi & compunctionis nota, ut emollire pectora jure talis Imago poſſet eorum qui talia pati atque in ſe experiri longè maiori cauſa merebantur. Plures huiuſmodi Picturæ cernuntur: ſed omnium quas viderim elegantiſsima eſt quæ cernitur in domo Novitiorum magni Cænobii Ordinis Prædicatorum urbis atatque Univerſitatis Salmanticenſis (quod vel ſolum nominaſſe, laudaſſe eſt) excultiſsimè elaborata à Pictore eiuſdem, ut fertur, Ordinis atque Inſtituti profeſſore. Ibi, inquam, cernitur; addo hic, non otioſè nec inutiliter: multum enim promovere ſolet Religioſorum juvenum animos, qui ad cuncta ſanctitatis & pœnitentiæ opera ſemper atque identidem inſtituuntur, ipſis impreſſa parietibus

bus non obscura signa demonstrant. Et quoniam Imago hujusmodi satis superque celebris passim cernitur, jam supra dedimus Epigramma quod in rem hanc aliquando lusimus, ad quem locum ne hic eadem repetamus, lectorem remittimus. *

*Lib. 1. c. 5. n. 11.

6 Fuit autem (neque enim hoc relinquere fas est, quod propius ad instituti nostri rationem spectat) Fuit, inquam, statura mediocri, vultuque admodum decoro, aquilino naso præditus, splendentibus oculis, facieque nonnihil oblonga, colore candido, barbaque in rubram declinante, calvitio nullo; sed paulò plusquam ferret ætas, quæ vix unum supra quinquagesimum annum excesserat, quod eiusdem immensis laboribus vitæque austeritatibus facilè quisque tribuat, macilentus. Ita quippe adjectis aliis ex probatis & vetustis eius Vitæ Authoribus Sanctissimum Parentem descripsit magni nominis Historicus, * ex quibus non ægrè elici potest eius Imaginis effingendæ pingendæve ratio.

* Fr. Ferdin. del Castillo l. . Hist. Ord. S. Domin. c. 16.

7 Vix aut ne vix quidem esset cur hic mentionem faceremus de præclaris omnique encomio maioribus Pueris Justo & Pastore; nisi sæpè eorum Imagines attentius intuentes, observavissemus eos potius juvenes paulò maiores quàm pueros depingi. Hoc autem non ita fuisse, sed planè pueros occubuisse glorioso certamine, ex D. Isidoro, Prudentio, aliisque vetustis Scriptoribus eruditè, ut assolet, evincit exacti judicii vir Ambrosius de Morales in Libro de horum Sanctorum Martyrum vita, martyrio & translatione reliquiarum peculiariter edito ann. 1568. pag. 6. Quod quidem & Dei gratiam magis commendat, & supra modum reddit Sanctorum spectabilem triumphum. Itaque censet, Pastorem non majorem fuisse novennio, Justumque septennio; & hac debere porsus ratione depingi; quod idem laudatus Author luculenter evincit: apud quem alia non incongrua videri atque observari possunt: nos enim alia jam nos vacant.

8 Circa Imaginem verò Sancti Caietani Thienæi, Ordinis Patrum Clericorum Regularium Erectoris ac Fundatoris Inclyti; cuius immensam propemodum gloriam reverenti potius silentio obvolvere, quàm exilibus laudibus attingere malumus, illud contra sese offert; frequentius virum quidem provectum oculis exhiberi, sed non senem: senex autem ipse planè fuit, cùm decesserit ætatis anno sexagesimo septimo, Æreque Christianæ M.DXLVII. ut diligenter observat post alios eius Vitæ recens Scriptor Pater D. Eugenius Calderon de la Barca lib. 2. cap. 19. insuper & rudioris atque austerioris vitæ fractus & attritus laboribus. Pingitur etiam, & quidem frequenter, genuflexus, atque inter ulnas reverenter amplectens Puerum Iesum: Cui rei causam præbuit insignis atque inusitatus favor eidem à Sacratissima Deipara Romæ præstitus, dum nocte natalitia in Basilica Sanctæ Mariæ Maioris ferventius orans divinis ardoribus colliquesceret: Invitatus enim semel atque iterum ab eadem Dei atque hominum Parente dulcissima, Divinum Puerum suscepit in ulnis, quod ipsemet Divus, humillimus alioqui, divinorum charismatum zelator & custos, stylo simplici ingenuè & sincerè scripsit Virgini Lauræ Mignanæ, cuius Epistolæ verba refert relatus & laudatus Author. * At verò cùm hoc contigerit, priusquam sacrum suum Ordinem fundaret, erit profecto operæpretium, ut in tali eventu depictus, non senex ostendatur, neque senium attingens.

* Lib. 1. Vit. eiusd. Divi c. 21

9 Plura certè, immo verò plurima, magno & propemodum immenso encomio dicenda essent de præclarissimo Christi Martyre Sancto Laurentio, si quod iam etiam Ecclesiæ Patres, quique præstantissimi fuerunt, his hoc loco liceret diutius immorari. Sat annotare fuerit, illum Levitico (ita enim locuti sunt veteres Patres) habitu, sive Diaconali depingi, addita prope eum ferrea crate, superquam subjectis accensis prunis impositus, tam magnum de tyranno persecutore reportavit triumphum; ut (quod habet Augustinus Parens*) tanta eius gloria extiterit martyrii, ut passione sua mundum illuminaverit universum, & omnium Christianorum igne, quem invictus sustinuit, corda calefecerit. Observandum verò ab ineptis nonnullis, eamdem cratem ferream, ita parvam figurari, ut sustinere vix posset bilibris piscis pondus. Itaque grandior depingi debet, quæ sustinuit,

* Serm. 34. de Sanctis.

nuit, non exile corpus pueri, sed valentis prorsus juvenis ac robusti. Displicuit verò nonnihil moroso scriptori, * quòd ab aliquibus super cratem ferream subjectis carbonibus pingitur, nullâ prorsus parte corporis adustus; quasi non super prunas recumberet, sed super lectum. Hoc autem prolixius est, quàm ut annotari tam scrupuloso examine mereret. In primis enim denotari potest praeclatus Christi Martyr non ante multo tempore super craticulam impositus: praeterquamquod non omnino ambustus pingi unquam deberet, sed semiassus aut ustulatus, si Prudentio credimus, eleganti totius rei descriptori: sic enim habet, loquens in persona Tyranni, ministros atque carnifices alloquentis. *

* Gillio fol. 87.

* Prud. Peristephanon hymn. 2.

Sed non volenti impertiam,
Praestetur ut mortis citę
Compendiosus exitus:
Perire raptim non dabo.
Vitam tenebo, & differam
Poenis morarum iugibus,
Et mors inextricabilis
Longos dolores protrahet.
Prunas tepentes sternite,
Ne fervor ignitus nimis
Os contumacis occupet,
Et cordis intret abdita.
Vapor senescens langueat,
Qui fusus adflatu levi
Tormenta sensim temperet
Semiustulati corporis,

Hoc autem quis non videt, maiorem in modum augere gloriam atque patientiam fortissimi Martyris, & quod dicere libet, Hispani.

10 Hispani, inquam: hoc enim constanter, semper, atque iterum assero, quidquid secus existiment, aut verò desipiant, qui Hispanae gloriae obtrectare eruditionis nomine profitentur. Satis superque rem hanc illustrarunt Scriptores Hispani, quibus addi alii possent exteri, queis tamen praetermissis, unum hîc advoco Italiae Romaeque adeò ipsius lumen & columen; cuius ingenii amoenitate eruditioneque factum est, ut Roma Christo dedita nihil habeat cur veteri atque Ethnicę Romę merito invideat. Is enim est quondam Maffaeus Barberinus, qui ob singulares animi excultissimi dotes virtutesque, magnis primùm muneribus atque honoribus ornatus, ad summi tandem Pontificatus apicem evectus, Urbi atque Orbi praeluxit, literarum ipse atque literatorum fautor & protector inclytus. Talis igitur ac tantus Author, qui non solum gravioribus curis atque studiis intentus, Theologiam, Jurisprudentiam, Civilemque rerum administrationem maiorem in modum ornavit; sed etiam amoenioribus atque poëticis floribus excultus, Hymnodiam Ecclesiasticam reformavit, ut plane doceret Musas servire Christo: in eius Operibus Metricis supraquam dici potest elegantibus atque concinnis apertè docuit Hispanum extitisse Laurentium. Quod ne frustra dicere atque asserere videamur, placet ex eius Hymno, atque ut vocant Poëtae, Ode de Sancto Laurentio, paucula carptim hic exscribere: ita enim habet.

Ibera tellus Austrio
Sub Rege felix, aurifero Tagi
Te dicant alii flumine nobilem,
Te classe, te bello ferocem,
Oceani dominam celebrent, Regnisque potentem;
Hic Peruanis divitem metallis,
Mexici gazis, Arabumque conchis,
Et mercibus Goae beatam

Te

Te laudet: fera prælia
Extollat alter, & triumphos Caroli,
Ac temperatis vividum
Consiliis animum Philippi.

Quibus in Hispaniæ nostræ meritissimam laudem prælibatis, statim ipse alioqui non admodum Hispanus adnectit.

Te concinam Laurentii.
Sacro parentem lumine fulgidam.

Et post pluscula alia Valerianum incusans, hæc habet,

Acres quid iras aggeras Rex barbare?
Impavidus contemnere novit
Hispanus Juvenis Regum fera jussa,

Quæ omnia libenter hic attexuimus, ut constet, non quidem à Petri Cathedra, sed ab eo saltem, qui illam dignissime obtinere meruit edoctos, asseruisse, asserturosque semper, non Italum, Romanumvè, sed Hispanum fuisse Laurentium.

CAPUT V.

DE PICTURIS ET IMAGINIBUS SANCTÆ CLARÆ Virginis, Sanctorumque Martyrum Hyppoliti, Cassiani, Jacynthi, Rochi, & Bernardi Abbatis Clarævallensis.



Nclyta Virgo fundatrixque, hortatore atque adjutore Parente Francisco, Sororum Pauperum Minorum vel ipso suo nomine preferens claritudinem: nullis non laudibus celebratur, non solum ab Scriptoribus Ordinis Seraphici, sed etiam ab aliis plurimis, quorum superfluum est hic texere catalogum. Pingitur autem manibus gestans reverenter pyxidem illam qua Sanctissima Eucharistia continetur, & quam vulgò Custodiam appellamus. Atque huius quidem Picturæ, qua nulla est frequentior, origo ea est, quam verbis potius eius Officii Ecclesiastici, quàm alius cuiuscumque Scriptoris referre maluimus, quæ sic habent: *Saracenis Asisium obsidentibus, & Claræ monasterium invadere conantibus, ægra se ad portam afferri voluit, unaque vas, in quo Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum erat inclusum, ibique oravit, &c.* At circa factum hoc ita descriptum, omissis aliis, quæ forte movere possent maiorem scrupulum, audivi non semel viros doctos, qui quamquam admodum pii atque eruditi, ægerrimè tamen ferrent Divinam Eucharistiam pingi in manibus feminæ, quamlibet sanctæ atque purissimæ. Verùm hi ducti inviolata consuetudine horùm aliorumque recentium temporum, quæ è novis Ecclesię Canonibus promanavit, non satis adverterunt, quàm promptum fuerit, licitum, ac planè laudabile Sacræ Virgini à Deo (quod piè credendum est) motæ, & tam gravi periculo urgente, ut piis ipsa contrectaret manibus, si non Eucharistiam ipsam, saltem vas illud, in quo inclusa erat. Sanè antiquitus non semel aut iterum, sed totis quinque primis Ecclesiæ seculis, Sacra Eucharistia non in os immittebatur communicantium (quod multò etiam recentius est, ut bene observat Cardinalis Joannes Bona *) sed

* Rer. Liturg. l. 2. c. 17. n. 7.

sed in manus tradebatur, etiam Laicorum, *Quibus* (verba legis viri admodum eruditi, & in rebus Canonicis & Ecclesiasticis optime versati *) *liberum erat, eamdem in proprios lares deferre, & privatim asservare: D. Cyprianus tractat. de Lapsis multa colligit exempla eorum qui Sacramentum istud indignis manibus acceptum, nec minore indignitate, penes se custodiebant, senserunt sibi exitiale, divinamque suæ temeritatis ultionem sunt experti. At verò miraculosa beneficia iis collata, qui ad hoc Sacramentum privatim asservatum pia devotione recurrerunt, ut de aliis sileam, de sorore sua Gorgonia Gregorius Nazianzenus, & de Satyro fratre suo Ambrosius, singulis quisque orationibus, in ipsorum funere habitis, retulerunt.* Quibus plura adnectit idem Scriptor, cui suffragatur idem Cardinalis. (a) Atque hos quidem, aliosque, adire poterit quisquis harum rerum cognoscendarum teneatur desiderio.

* Ioann. Caballut. Not. Eccles. dissertat. 5. p. 29.

(a) Rer. Liturgic. lib. 2. cap. 17. n. 7.

2 Unum solummodò libenter addiderim: nempe etiam ipsis seculis, quibus mos idem deferendi domum Sacram Eucharistiam in usu erat, prohibitum esse feminis aliquibus in locis, Sacramentum nudâ ipsarum manu contingere: sed deferre candidum & mundissimum linteum, quod *Dominicale* vocabant, in quo Sanctissimam Eucharistiam reponerent: quod indicat satis perspicue D. Augustinus; (b) immò & præcipere videtur verbis illis: *Omnes mulieres nitida exhibeant linteamina, ubi Corpus Christi excipiant.* Severiusque indicit Concilium Antisiodorense habitum ann. 578. *Canone* 36. verbis illis. Non licet mulieri Eucharistiam nuda manu accipere. Et deinde Can. 42. *Ut unaquæque mulier, quando communicat, Dominicale suum habeat. Quod si quæ non habuerit, usque in alium diem Dominicum non communicet.* Quę omnia, atque plura alia, quæ facile congeri possent, abundè monstrant, non debuisse movere viros doctos, quod Clara Virgo depingatur manu gerens pyxidem Eucharisticam. Præterquamquod ex scriptore veteri elicitur, nil refragantibus Ecclesiastici Officii verbis, Clara ipsa Eucharistiam non tulit in manibus, neque pyxidem eam continentem; sed jussit, ut eam, cæterasque sacras Virgines comitantes, Eucharistia vase sacro inclusâ præcederet. Consultò autem nominavi, atque monere studui viros doctos: nam de aliis etiam, iis qui nomen suum profiteri nolunt inter vulgus, severius dicerem, illos imaginatione sua ductos, in has aliasque ineptias labi, quæ ex nihil perspecta antiquitate, harumque rerum profunda ignoratione proficiscuntur. Pingi etiam debet (quod secus factum observanti mihi ipsi non semel displicuit) habitu paupere & detrito, tamquam vera Parentis Francisci Filia: neque admodum item juvenis; cùm ipsa, ut non levibus argumentis colligitur, sexagenaria fermè decesserit.

(b) Div. Aug. ser. 252. de tempor.

3 Sat celebris, & Hispaniæ nostræ Veteri, & præsertim regioni illi Americanæ, quam Novam Hispaniam Conquisitoribus appellare libuit, est, eritque semper dicata dies Inclyto Martyri Hippolyto, cuius multa habetur mentio in Actis & Martyrio Sancti Laurentii: hac enim die, duobus iam abhinc seculis, pauloque amplius recepta & subjugata fuit Urbs illa percelebris, quam Indica voce Mexicum nominamus, & quę totius Americæ Septentrionalis, immo novi illius Orbis universi caput existit, habituraque locum esset inter quascumque alias Asiæ atque Europæ, si cupidorum, & suis dumtaxat commodis studentium hominum consilia non intercessissent. Ita enim de re hac iudicant etiam Scriptores exteri. Sed de his hactenus.

4 Jam verò Heterodoxi, ut sunt rerum Ecclesiasticarum osores, in tantum, ut, quod sæpè mecum reputavi, voluissent, aut vellent, pauca admodum, aut certè nulla martyriorum, aut vitæ austerioris exempla in Ecclesia relicta fuisse: nullis certè coloribus dissertè, aut potius impudenter asserunt, depingi posse Martyrem hunc Hippolytum; quippe qui nullum fuisse huiusmodi Martyrem, per summam audaciam & dementiam affirment. Mitto illorum antesignanos, quorum assecla Raynoldus quidam, apud Scriptorem planè pium atque eruditum * ita loquitur, aut potius garrit: *Papistarum invocantium animis obversatur, qualis vulgò pingitur ab equis distractus.* Bene quidem hoc; nam saltem ad-

* P. Nicol. Serar. in Litaneutic. p. 118.

admittere videtur Hippolytos alios, de quibus nusquam scribitur fuisse distractos & discerptos ab equis: quorum unus esse potest Antiochenus Presbyter, de quo agitur 29. Januarii, vel Portuensis Episcopus, de quo 22. Augusti. Sed cur, amabo, non hunc alium; cuius, tam nomini, quàm historiæ, congruat Pictura? Certè hunc agnoscunt Authores veteres Ado, Usuardus, Beda, aliique non pauci. Cæterum martyrii genus, nomini conjunctum Hippolyti, nil, inquiunt, aliud redolent quàm priscam illam atque exoletam fabulam Hippolyti Thessei filii, ab equis concitis rapti atque discerpti, quam eleganter descripsit Seneca, illoque antiquior Ovidius, atque utroque Euripides in Phœdro. Nempe ita censent de rebus sacris & passionibus Martyrum ii, quibus Poetæ, fabulæque magis quàm Historię Ecclesiasticæ sunt cordi. Nos verò Poëtis opponamus Poëtas, sed Christianos omninò atque pios. Talis profectò est Prudentius noster, qui gesta Martyrum benè perspecta habuit, in ipsaque Urbe ingenti cura didicit, & qui non solum huius præclari Martyris, sed etiam ejusdem generis martyrii, memoriam texuit luculentam: quamquam (quod ultrò fatendum est) in huius rei narratione tres Hippolytos ex uno confecerit, aut trium gesta in unum confuderit: quod optimè notavit Ecclesiasticæ eruditionis præcipuus Author. * Quin causam assignauit, scutumque opposuit, quo retunderetur telum illud fritillo retusius, quod desumptum est ex allusione nominis Hippolyti ad fabulosum illum Hippolytum: Acceptam, inquiens, fuisse causam ab impio Gentili judice delusum cum nomine Hippolyti. Inducit enim pius atque elegans Poëta Romanos juvenes insana voce judicem alloquentes: (c) atque ita refert.

* Baron. in Notis ad Martyrol. die 14. Aug.

(c) Prudent. Peristeph. hymn. 11.

Insolitum leti poscunt genus, & nova pœna
Inventa, exemplo quo trepident alii.

Et prosequitur:

Ille supinata residens cervice: Quis, inquit,
Dicitur? Adfirmant dicier Hippolytum:
Ergo sit Hippolytus: quatiat turbetque jugales,
Intereatque feris dilaceratus equis.

Maneat igitur Hippolyti Martyris Pictura ab indomitis equis raptati: quam eleganti certè manu factam memini me vidisse Salmanticæ.

5 Nihil frequentius, dum pueruli essemus, scholasque frequentaremus ludi magistri, quam nomen Sancti Martyris Casiani auribus tenellis insonuit. Huius verò præclara cōfessio vel maximè spectat ad nostri instituti rationem; cùm eamdem in tabella depictam stupens atque admirans spectaverit, atque ex ea narraverit, historicâ potius fide quàm encomio poëtico, non semel á nobis laudatus laudādusque Prudentius; qui apertè refert, quòd cum esset in Urbe, quam veteres appellabant Forum Cornelii, nunc autem Imola vocant, vidisse huiusmodi Picturam. Sic enim habet.

Hic mihi cùm peterem te, rerum maxima Roma,
Spes est oborta, prosperum Christum fore.

Subjicit verò post pauca:

Erexi ad cælum faciem, stetit obvia contra
Fucis colorum picta Imago Martyris:
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus,
Ruptam minutis præferens punctis cutem,
Innumeri circum pueri, miserabile visu,
Confossa parvis membra figebant stylis:

Unde,

Unde, pugillares soliti percurrere ceras;
Scholare murmur adnotantes scripserant:
Æditus consultus ait: Quod prospicis, hospes;
Non est inanis aut anilis fabula.
Historiam pictura refert: quæ tradita libris
Veram vetusti temporis monstrat fidem.

6 Deinde eadem elegantia Martyrii totam texit historiam, quam pari, maioreque gravitate Romanum Martyrologium in compendium redegit verbis illis: (d) *Apud Forum Syllę, natalis Sancti Castiani Martyris, qui cum adorare idola noluisset, vocatis à persecutore pueris, quibus docendo exosus factus fuerat, data est eis facultas eum perimendi: quorum quanto infirmior erat manus, tanto graviorem martyrii pœnam dilata morte faciebat.* Nemo est, ut existimo, qui nesciat, antiquitus pueros non eodem modo atque nunc solitos esse edoceri prima literarum elementa: neque enim scribebant super chartam anserino calamo, sed super tabellas cerâ òblitas, super quas ferreis stilis exarabant literarum lineamenta, notarumque brevium ductus; de quibus omnibus aliisque huc spectantibus consuli potest præter alios (res enim est obvia) eruditus atque amœnus Author Pater Hermannus Hugo. * Igitur hujusmodi stilis, qui probè erant acuminati, fortassèque etiam minoribus cultris, qui in usu pueris erant, præclarus Christi Martyr jussus est interfici ab illis ipsis, quibus erat exosus. Neque id mirum, cùm non solùm apud Ethnicos, sed apud Christianos etiam vix puer sit adeò bene morati mitisque ingenii, qui patienter, amanterve toleret ferulæ ictus & scuticæ: grave id quidem supplicium; sed non adeò insolens, ut de illo antiqui mentionem non fecerint. Quippe Seneca huius rei meminit, (e) cùm agit de Erixonis Equitis Romani populari supplicio; prætereaque Suetonius in Caio: *Cum discerpi, inquit, Senatorem concupisset, subornavit, qui ingredientem Curiam repente hostem publicum appellantes invaderent, graphiisque confossum lacerandum ceteris traderent.* Addo, non solum ad inferendam tardiorem mortem, sed etiam in quæstionibus ad extorquendam veritatem, adhibitum sæpius fuisse huiusmodi cruciamenti genus. Unde Portia illa insignis femina, virum alloquens, hæc inter alia habet: (f) *Neque enim adeò muliebri sum natura, ut me ad efferendum arcanum vel flamma vel flagra, vel stimuli possint adigere.*

7 Pingendus itaque est Inclytus Martyr eo modo quo descriptus erat eâ tabulâ, quam cum pia animi voluptate Prudentius spectasse se refert, cuius verba supra retulimus, viderique integra possunt in allegato Hymno IX. Non verò, ut mea fert opinio, pingendus erit Episcopalibus effulgens ornamentis, aut propè illum ipsa ornamenta Episcopalia. Etsi enim non desint qui eumdem Martyrem Episcopum Brixiensem fuisse commemorent, aut, quod magis est, alterius cuiusdam Urbis sive Germaniæ sive Helvetię; id tamen parum exploratum mihi videtur. Cuius haud mediocre argumentum est, quod eorum nonnulli, qui hoc affirmant, asserunt, etiam illum ordinatum fuisse à Fortunatiano Aquilejensi Episcopo: cùm tamen satis constet, hunc, qui secta fuit Arianus, vixisse temporibus Constantii Augusti, qui multò Cassiano fuit recentior. Utcumque verò sit, huius dignitatis Prudentius in Hymno non meminit, sicut neque Romanum Martyrologium; quam tamen verosimile est non obvoluturum fuisse silentio.

8 Hyacinthus Ordinis Prædicatorum immortale decus, Religiosæque vitæ absolutissimus archetypus, qui & ab Ecclesia tali decoratur elogio; quod non unius encomii, sed infinitarum propemodum laudum atque elogiorum loco haberi potest, (g) *Nullum diem prætermisit, quo non præclara aliqua fidei, pietatis, atque innocentiæ argumenta præstiterit; multis frequenter laudibus effertur.* Insuper eius vitam, resque præclarè gestas scripsere quamplures, inter quos numerantur ab Scriptore docto admodumque pio duo precipuè prę ter alios satis notos, (h) Severus Cracoviensis, & Didacus Masius, uter-

(d) Rom. Martyrolog. 13. Augusti.

* De origin. scrib.

(e) Senec. de Clem. ad Neron. l. 1. c. 14.

(f) Apud Dionem Cass. l. 44.

(g) Ex eius Officio Eccles. die 16. Aug.

(h) Ribaden. in Flor. Sanctor. tom. 4. ad diem 16. Aug.

uterque Ordinis Prædicatorum, atque uterque Magisterii gradu in Sacra Theologia insignis: qui duo, quod ex aliis multis desumpserunt, insigne factum memorant ad rem & institutum nostrum magis attinens. Narrant enim, quod cum egregius sanctitate vir degeret in partibus Europææ Sarmatiæ, sive ut vocant indigenæ, Orientalis Russiæ, civitas in qua tunc erat, contigit ut obsideretur à barbaris. Cumque jam propè esset ut victores intrarent urbem ferro & igne cuncta vastantes, ipse tum temporis rem divinam faceret. In tali itaque tantòque rerum conflictu, ut primùm Sacrum absolvit, decrevit abscedere; atque ut erat indutus ornamentis sacerdotalibus, Divinam Eucharistiam secum auferre statuit. Cumque eodem loco adesset Imago Deiparæ, ingentis per se ponderis cum esset, & satis ingens, & constans ex materia alabastrina; relinquere cogitabat, dolens, quòd ipsam deserere ob immane pondus cogeretur. At eiusdem Deiparæ ac Virginis ore monitus, futurum, ut nullo iconis Sacrę pondere gravaretur; eam intrepidus arripuit, fugæque prudenti sese commisit, eumdem comitantibus aliquot sui Ordinis sociis, atque fratribus. Sed rem per se mirandam novo rursus Deus illustriorem fecit miraculo. Cùm enim ad ingens flumen, quod *Nieper* vocant accolæ, Græci verò Latinique Borysthenen, de quo ex pręcipuis Geographis Ptolomæo, Strabone, atque etiam Aristotele, plura adnotat Hortelius: Cum, inquam, ad tam ingentem fluvium, & qui post Istrum maximus censetur Europæ, ipse cum sociis pervenisset, navigioque aut cymbâ ullâ prorsus se videret destitui: Divina undique virtute fretus, suaque ipsius munitus innocentia, super fluentem aquam, plantis institit, ut iter liquidum humanis gressibus solidum pręberet obsequium: quod alicubi Petrus Chrysologus scriptum reliquit. Favit Deus piissimæ audaciæ: atque non solùm trans flumen cum suis evasit incolumis; sed tantæ rei, jubente Deo, erexit immortale monumentum, & ipsis aquis reliquit impressa vestigia. Hoc enim addunt, feruntque, ea ipsa parte qua Hyacinthus calcavit aquas, hodie etiam apparere spectantibus, veluti hominis relicta vestigia. Quod totum, etsi fidem videatur excedere, ut solita est judicare de rebus humanis; non tamen fuerit omnino incredibile iis, qui virtutem omnipotentem Dei Opt. Max. considerent: neque adeò rursus leve esse commentum, ut id propositum non fuerit in processibus Canonizationis eiusdem Sancti (utimur enim in re tanta vocibus & nominibus Ecclesiasticis.) Neque mirum (ut occurramus alicuius morosi hominis scrupulis) quod huiusmodi testimonia sive Acta, hic allegemus: magis enim mirandum est, quod cùm talis ac tantus extiterit Hyacinthus, tamque crebra & quandoque stupenda, & vix aliquando audita miracula; sive vivens inter homines, sive regnans inter cælites, patraverit; tamen perstiterit totos trecentos septemque supra tringita annos, quin honor meritissimus ei haberetur, ut adscriberetur inter Divos, quod tandem præstitit Clemens VIII. Pontif. Maxim. XVII. Aprilis anni M.D.XCIV. Jam verò clariora sunt hæc, ut ampliori aliqua explicatione indigeant; ut sciat pius atque eruditus Pictor, qua ratione ad rei gestæ veritatem pingendus aut effingendus sit S. Hyacinthus.

9 Non indoctè profectò neque inscitè conatus est nuperrimus Author, quem honoris causâ nomino, R. A. P. M. Frater Benedictus de Feijoo, Ordinis Magni Parentis Benedicti, effatum illud convellere, quo non vulgariter modo, sed communiter dici solet, *vocem populi esse vocem Dei.* Non equidem contentionis funem trahere volo cum homine erudito: neque vellem, quando id maximè possem, ostendere pronuntiatum illud plerumque verum esse, etsi multis hinc inde petitis inductionibus convelli & labefactari videatur. Illud interim scopo meo intentus, affirmare ausim, Sanctum Rochum non alio fere nomine inter sanctos coli, aut vocari sanctum in Ecclesia Catholica consuevisse, nisi fide, voce, atque acclamatione populorum. Nam cum vixerit seculis illis, quibus iam solemne erat ut à Romano Pontifice quisque, qui cum opinione & fama sanctimoniæ decessisset, sanctorum catalogo solemniter abscriberetur: tamen nullum ex-

extat Romani Pontificis diploma, neque extitisse dicitur, in quo Sanctus Rochus adscribatur Sanctorum catalogo. Quod ut clarius fiat, rem paulo altius repetere non gravabimur. Floruit itaque Sanctus Rochus Ecclesiæ seculo tertio decimo, & obiisse aiunt Ann. D.M.CCXXXVII. Non parvo autem temporis tractu interjecto, Concilii Constantiensis Patribus innotuit: *Quorum decreto* (verba sunt sapientissimi Cardinalis Baronii *) *ad propulsandam ingruentem luem eidem honores Sanctis debiti sunt impensi: nam & solemni pompa eius Imaginem, omni comitante populo, per urbem detulerunt: quo facto illa pestis mox evanuit. Inde verò exemplum sumptum est, ut ubique locorum eius venerandę Imagines, altaria, sacella, ac denique templa erecta fuerint.*

* In Not. ad Martyrol. Rom.

10. Hæc tamen cùm ita sint, non defuerunt viri docti atque catholici, qui prænobilis viri Confessorisque Christi res gestas, virtutesque literis mandarent. Sat plures allegat laudatus Cardinalis: inter quos non postremæ authoritatis est Albertus Krantzius, (i) quem adducit, sicut ex eo alii: sed ut verum fatear, neque in illo loco, neque in aliis à me non omnino segniter inspectis quidquam huiusmodi reperire potui. Quidquid verò de hoc sit, eius Imagines atque Picturæ, quotquot ipse viderim, uno prorsus modo proponuntur. Pingitur enim peregrini habitu, vestis laciniâ nonnihil elevatâ, vulnus gerens in femore: cui assistit canis parvum panem ore tenens, & veluti Rocho reverenter offerens. Rei autem huius, quæ omnino videtur recepta, origo petitur ex historia, in qua asseritur, quòd cum Sanctus juvenis (juvenis enim erat, neque etiam reversus in patriam ad urbem, quam Montempesulanum hodie etiam appelant, vulgo *Montpeller*, annum vitæ secundum supra trigesimum non excessit) Cum juvenis, inquam, Italiæ urbes, propriæ peregrinationis causâ percurreret, unicoque Sanctæ Crucis signo plurimos affectos lue pestilenti sanaret; contigit ut ab aliquibus, quod ignotus videretur, parumque honoratus, ludibriis, contumeliisque appeteretur; insuper & in pugnâ seu rixâ quadam sagittæ ictu percuteretur in femore, atque hoc pacto jaceret sub arbore, humano destitutus auxilio. Sed Deus, cui curæ erat, providit (ajunt) ut canis ad eum quotidie ventitaret, arreptum ex divitis mensâ panem offerens. Atque hæc quidem fuisse videtur origo Imaginis.

(i) Albertus Krãtz. lib. 9. hist. cap. 25.

11. Immensi, ne infiniti dixerim, moliminis opus esset res præclarè gestas, quæ magna pro Deo egit, & quæ patraverit miracula Abbas ille primus Clarævallensis, vel nomine suo toti Orbi Christianęque reipublicæ notissimus Sanctus Bernardus, velle hîc in angustâ admodum exhibere tabulâ. Guillielmus Abbas Instituti Cisterciensis hunc sibi laborem assumpsit, quem nec perficere potuit morte pręventus: perfecit autem quantum potuit Gaufridus Abbas. Sed neque hi, neque alii, qui spartham hanc ornandam sibi desumpsere, rem totam potuerunt perficere. Ac sanè Guillielmus, qui Bernardo adhuc superstite, illius aggressus est Historiam, utpote qui ut de vivente adhuc loquitur; non uno in loco professus est, se cogi plurima indicta relinquere: cùm ob materiæ copiam, tùm etiam ob viri sanctissimi gravitatem & modestiam, qui res suas curabat impensè ut silentio atque hominum ignoratione tegerentur. Quare his omissis, aut potius relictis majoribus ingeniis, & quod caput est, ferventis & exercitatæ pietatis hominibus, nos institutam viam ingredimur. Triplici ferè modo descriptam Imaginem Bernardi sæpius observavimus atque adspeximus. Prior illa est, quâ describitur ante Crucifixi imaginem genuflexus, complectens brachiis Passionis instrumēta Dominicæ; crucem nempe, lanceam, spongiam, scalam, aliaque hujusmodi. Cujus quidem rei si causam studiosius inquiras, ea unica est, quod vix, aut ne vix quidem sit inter Sacros Doctores & Patres, ullus qui tam eloquenter, tam piè, tam dulciter, & eo sensu qui vel nolentibus pietatem instillet, de Passione Domini scripserit, aut sit unquam loquutus.

12. Et quoniam huc devenimus, & id in locis aliquot magis conspicuis observavimus; ignoscet pius atque eruditus Lector, si hîc adscripsero Epigramma, quod intuens hanc Bernardi Imaginem, olim composui, quod ita habet:

Instru-

Instrumenta necis Christi complecteris ulnis,
Verbaque ab ore fluunt nectare blanda magis.
Magne, rogo, Bernarde Parens, rem dissere verbis,
Attica queis cuperet Musa canora loqui:
Nempe salutifero Domini depastus in horto
Hyblaeas supero mellificatus apes.
Saepius & Iesu poenas meditatus acerbas
Solvitur in dulces nostra loquela favos:
Et fio interea fellis potatus amari
Haustibus his totus, credite, mellifluus.

13 Alia Divum Bernardum pingendi ratio est, quam non uno tantum in loco observavimus. Describitur enim reverenter stans, quem dextro brachio amplectitur ipse Christus Dominus in cruce pendens. Atque hujus quidem rei non incerta, ut ego judico, existit origo; cùm ea tradatur à multis, (j) praesertim recentioribus, qui aiunt ita facto ipso contigisse Bernardo, cui de Domini Passione atque Crucifixi doloribus tenerrimè nec sine lacrymis meditanti innuisse Christum motione inenarrabili ac planè Divina, ut propius ad se accederet: quod ut fecit ferventissimus amans, ab illa incarnata Sapientia quae diligit diligentes se, tam eximio favore fuisse cumulatum, ut solutâ à clavi ligamine dexterâ complecteretur Bernardum jam penè divino igne colliquentem. Ego verò non dubito, desumptum hoc à veteri historia, quam mihi non contigit evolvere; sed unde, non promptum est dicere: cùm tamen omnia quae de Bernardi vita congerunt Abbates Robertus, Bernardus de Bonavalle, Gaufridusque perlegerim. Sed iam ad alia. Denique pingitur, & id quidem frequenter, ante Sacratissimae Deiparae imaginem genuflexus, iunctis ante pectus manibus, labiisque quodammodo excipiens purissimi lactis rorem, quo Virgo virginum eximiae puritatis servum dignanter irrorat. Quod quidem vel ab aliqua intima Visione Mariae ferventissimo atque obsequentissimo manifesta filio ortum traxit; vel ex eo quòd in ipsius Deiparae laudes dulcedine & suavitate qua vix parem aliquis agnoscat, mirandum in modum effunditur.

(j) P. Riden. in eius vita.

14 An verò pingi debeat cum ornamentis illis mitrae & Pontificii pedi, quae iam illius aetate ex Pontificum Summorum indulto aliquibus Abbatibus obtigerant, dubitari meritò potest, stante pro parte affirmativa usu atque more communiter recepto: cui refragari vix absque temeritatis nota potest pius atque eruditus Pictor. At si quis esset qui adversari vellet receptae consuetudini, profectò magno atque sapiente fulciretur Authore. Et quisnam hic, inquis? Certè non alius quàm ipsemet Abbas Clarevallis, humillimus juxta ac sapientissimus, cuius illa sunt: (K) *Verum apertè indicant quidam horum, quid cogitent, dum multo labore ac pretio Apostolicis adeptis privilegiis, per ipsa sibi vendicant insignia pontificalia, utentes & ipsi more pontificum, mitra, annulo, atque sandaliis &c.* Pauloque inferius pressiora habet, quae non libet exscribere. Signa autem, totiusque eius sacri Corporis ac personae habitudo, à Gaufrido Abbate memoriae prodita sunt, (l) per haec verba: *Corpus omne tenuissimum, & sine carnibus erat, ipsa etiam subtilissima cutis in genis modicè rubens. Illo nimirum quidquid caloris inerat naturalis, assidua meditatio & studium sacrae compunctionis attraxerat. Caesaries ex flavo colorabatur & candido. Barba subrufa, circa finem vitae eius respersa canis. Statura mediocritatis honestae, longitudini tamen vicinior apparebat.*

(K) Div. Bernard. ep.42. ad Archiep. Senonens. prop. fin.

(l) In eius vita lib. 3 cap. 1.

* *

CAPUT VI.

PICTURÆ ET IMAGINES SANCTORUM Philippi Benitii, Bartholomæi Apoſtol. Ludovici Regis Galliæ: Magnique Auguſtini Parentis.



PHilippus Benitius, ex illuſtri Benitiorũ familia Florentinus, inſignis meriti vir extitit; cuius laudes, vitam, reſque geſtas ſcriptis proſequuti ſunt Archangelus Junius Florentinus, & Philippus Ferrarius, uterque Ordinis Servorum Beatæ Mariæ, quos vulgò Servitas appellant. Et quidem religioſiſsimum Ordinem multum ampliavit, illuſtravitque, at non proprie loquendo inſtituit: quod tamen encomium ei adſcribitur in Romano Martyrologio ad diem XXIII. Auguſti. Nos inſtituto noſtro omnino addicti, pauca admodum circa eius Picturas & Imagines annotavimus. Quorum primum illud eſt: nondum planè ſenem obiiſſe, cùm vix attigerit ætatis annum primum ſupra quinquageſimum: quo ut fit incõgruè ſaltem eius Imago objiceretur oculis, ſi admodum ſenex pingeretur. Dein illud annotandum venit quod ſpectat ad religioſum habitum quem geſsit, atque in quo obiit. Etſi enim in aliis multis Europæ partibus ſat notus ſit: in noſtra tamen Hiſpania, quam ego maximè debeo colere atque ſuſpicere, à paucis, quod perſuaſſum habeo, cognitus erit. Itaque Servitarum Habitus, ex tunica cum manicis, ſcapulari, atque caputio, pallioque conſtat: quod ut percipiatur magis, brevius id dico; quòd nempe Habitus hujuſmodi idem omnino eſſet atque is quem gerimus profeſſores Sacri ac Regii Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, ſi coloris (quod in hac re quid præcipuum eſt) non intereſſet. Habitus enim noſter omnino eſt albus; Servitarum autem omnino niger. Quod ſat eſt, ut Pictor, ſi quando res ſe offerat, alterum ab altero dignoſcat, ſciteque pingat. Erit autem omnino congruum & conveniens, ut ego exiſtimo, quòd licet Servus Mariæ fuerit, immò propter hoc ipſum quòd Servus fuerit Mariæ digniſsimus, pingatur complexus Imaginem Crucifixi: hanc enim ipſe æquè piè ac ſapienter ſuum appellabat Librum: Cuius rei teſtes luculentiſsimos profero verba illa, quę leguntur in eius Officio Eccleſiaſtico, ubi illa habentur: *Denique Tuderti anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo quinto in Chriſti Domini è Cruce pendentis amplexu, quem ſuum appellabat librum, ſanctiſsimè ex hac vita migravit.* Nolim verò, ut hac ratione ductus aliquis, cogitet Philippum doctrina atque ſcientia illâ, quæ labore ac ſtudio comparatur, fuiſſe deſtitutum: neque enim ita contigit: fuit enim Philippus exculto literis ingenio; quin & Pariſiis, antequam Religioſam vitam aggrederetur, Magiſtri Doctoriſque ſuſcepit lauream in Philoſophia ac Medicina: quod feciſſe traditur, ut hæres paternæ inſtitutionis eſſet patre progenitus nobili Medico Jacobo Benitio. Inſuper Religionem profeſſus, in qua ſub Laici, aut Converſi, ut vocant, miniſterio, quamquam fruſtra, latère voluit; quantum potuit, ſe dedidit Sacrarum literarum ſtudiis, uſque adeò, ut miraculi inſtar habitus fuerit duobus pręſtantiſsimis Sacri Ordinis Prędicatorum Magiſtris, qui olim caſu quodam cum eo iteragentes, contemplantes, ac veluti manu tangentes profundæ, atque arcanæ etiam Sacræ Scripturæ ſapientiæ theſaurum, qui in homine laico, ut videbatur, erat abſconditus, authores fuerunt, ut Superioris Ordinis Servitarum, ad quos ſpectabat, imperio adigerent Philippum, ut quamquam

quam invitus ac reluctans, sacris initiaretur Ordinibus. Verùm ille quod humanæ sapientiæ libros non tam magnifaceret, minus illis intentus, quàm contemplationi & meditationi vulnerum Christi Domini, eius Imaginem consilio alto suum deinceps appellabat librum.

2 Vellem autem, ut quotiescumque contigerit depingendi hunc Philippum nostrum Pictura, etiam notaretur egregium ipsius factum; adeo ut huius rei omissio negligentiæ saltem aut imperitiæ labem incurreret. Etsi enim summo Ecclesiæ Pontificatu non se abdicaverit, quem admodum jam ante fecerat Cælestinus: tamen talem tantamque dignitatem tam studiosè declinavit, quantum alii fortàssis ambierunt. Rem dissertè narrat Ecclesia in eius Officio: quibus verbis potius quàm meis legi malo. Commemorato enim miraculo, quo leprosum sua ipsius tunica, qua se exuit ut illum indueret, sanavit, hæc habent: *Cuius miraculi cùm longè latèque fama manasset, nonnulli ex Cardinalibus, qui Viterbium, Clemente Quarto vita functo, pro successore deligendo convenerant, in Philippum, cuius Cælestem etiam prudentiam perspectam habebant, intenderunt. Quo comperto vir Dei, ne fortè Pastoralis regiminis onus subire cogeretur, apud Tuniatum montem tamdiu delituit, donec Gregorius Decimus Pontifex Maximus fuerit renunciatus.* Modus autem quo factum egregiæ humilitatis utcumque repræsentari queat, multiplex excogitari potest. Sed cum hoc instituti ac propositi nostri metas egredi videatur, libenter relinquimus judicio atque imaginationi pictoris exacti atque periti.

3 Ut fermè sumus homines ita naturâ comparati, ut ea maximè scire desideremus atque in vulgus efferre quæ minus sciri possunt, sive rerum ipsarum obscuritate, famæque silentio, sive quod Deus ita voluerit, ut illa nos lateant: ita ut, quod non semel monuimus de Sanctorum Apostolorum rebus gestis, plura dicere, atque in publicum dare, conatus sint hominum suo & aliorum otio nimium abutentium: id quod vel maximè est cernere in historia, persona, martyrio, aliisque huiusmodi, Sancti Apostoli Bartholomæi. Circa hæc enim fuerunt plura commenti homines huiusmodi, quorum non pauca irrepserunt in ipsas Imagines atque Picturas. Verum ut hæc clarius agnoscantur, operæpretium erit nonnihil prælibare, de eorum potissimum fonte, de quo hausta passim conficta feruntur. Aiunt enim, temporibus ipsius Christi Domini, immò unum ex eius Discipulis, extitisse Abdiam quemdam Babylonium, qui Sanctorum Apostolorum scripserit res gestas atque martyria. Sed quis talis Abdias fuerit, qualisvè liber, dicere hic supersedeo; cùm pro me aperte dixerit vir dignitate atque doctrina Eminentissimus, (a) qui ita habet: *Abdias Babylonius unus ex Discipulis Domini fuisse dicitur. Sed vitæ Apostolorum, quæ sub nomine eius circumferuntur, fabulis similiores sunt, quàm veræ narrationi. Sed neque eius Abdiæ, aut libri eius, ullam in veteribus mentionem invenio.*

(a) Bellar. de Script. Eccl. fol. mihi 62.

4 Quo prælibato, quòd Sanctus Apostolus Bartholomæus, atque ut alii, ut mendacio suffragentur, scribere malunt, *Barptolomæus*, rex fuerit, aut saltem filius regis Aegyptii, qui in Syria fuerit; ut anilem & portentosam fabulam rejicimus: proindeque vestem illam purpuream, quam illi affingit confictus Babylonius, purum putumque esse mendacium asserere, nil reformidamus: quod irrefragabiliter possemus ostendere, si ita res exposceret. De genere vero martyrii, quod nempe corio exutus omnino fuerit, iubente rege impio atque gentili, cùm id iam alii dixerint antequam confictus ederetur Abdias, nihil obsistimus, quamquam non ob id depingendum esse, eo modo quo fecerunt aliqui, & statim videbimus, serio affirmemus, de ceteris rebus, quæ huiusmodi picturam comitantur non admodum soliciti.

5 Sed ne hæc imperitis, qui fortàssis erunt aliqui, ex proprio cerebro conficta videantur, adscribere hic placuit fermè integram notationem, quam apposuit Sancti Apostoli Bartholomæi Imagini vir pius ac Theologus eruditissimus, qui ita habet. (b) *Hunc*, Bartholomæum scilicet, *quidam velut nobilem depingunt in Cœna Dominica, & alibi. Quod desumptum est ex verbis dæmonis apud Pseudoabdiam: ubi & plura de Bartho-*

(b) J. Molan. de Imag. l. 3. cap. 35.

tholomæo mentitur; quòd Angeli non permittant eum esurire, aut fatigari: quodque purpura & gemmis vestiatur. Quis credat Apostolum, dum post acceptum Spiritum Sanctum Apostolica legatione fungebatur, noluisse purpuream vestem ob nobilitatem suam deponere? Et quod propterea (ut quidam maiori temeritate addunt) debuerit propria sua pelle excoriari? Et post nonnulla docte concludit. *Quare valeat obscurum figmentum de vestitu purpureo Bartholomæi tempore Apostolatus eius. Valeant etiam libri decem de Apostolici certaminis historia, qui ex Germania nuper prodiere, titulo Abdiæ, Oporinis typis excusi: quos ut fide indignos Paulus Papa Quartus inter scripta à se damnata rejecit. Nimium verò crassè & lascivè depingitur alicubi Bartholomęus totus excoriatus, velut monstrum quoddam; & vir silvestris, gerens in baculo cutem suam; quasi sic, ut quidam ineptissimè nugantur, Romam cucurrisset.* Hucusque doctus Author, quem in his lucubrationibus, etsi non transcripserimus, neque transcribere sit animus: tamen pręcipuum non diffitemur habuisse ducem.

6 Vitam, resque gestas Sancti Ludovici Francorum Regis inclyti plures sunt qui scripserint: etenim præter D. de Jionvilla, qui totos vigintiduos annos intimius ei adhæsit, eidemque maximè domesticus inserviit, aliosque, qui speciatim hoc argumentum sibi illustrandum desumpserunt, fusè de eo loquuntur quique rerum Francicarum Historici, quorum catalogum texere hic omittimus; fugientes fortasse, quam alii non admodum refugiunt, multæ lectionis rerumque cognitionis ostentatiunculam. Picturas autem eius atque Imagines, quis est qui multas non viderit & spectaverit? In quibus vix quod alicuius momenti videatur, annotandum occurrit. Illud verò non admodum arridet, quòd describatur sub vestibus, non tantùm omnino vulgaribus, sed etiam tritis, exoletis, ac penè laceris. Non hoc, me judice, imitari debet eruditus & cordatus Pictor. Is enim fuit Ludovicus Rex, qui sicut nihil de sanctitate moribus suis dempsit, ita nihil de majestate detraxit: immò prior fuit (quod me legisse memini) qui Francorum Regum instituit, ut milites armati, nudatumque gladium manu gestantes, ante currum equitantes pręcederent: ratus optimè, hoc non tantum saluti ac securitati sui, sed etiam dignitati atque majestati congruere. Denique (verum enim est, quod qui virtutem unam perfectè habet, & à virtutum regina Charitate formatam, ut habeat omnes alias necesse est) Ludovicus Rex inclytus Galliæ, res fuit pariter atque sanctus. Sed sanctitatem præferebat, quæ congrueret Regi, atque ita se Regem gessit ut decebat sanctum.

7 Magni atque omni prorsus encomio & laude longe maioris Augustini Parentis laudes hic aliquot velle congerere post commendationem Summorum Pontificum, Conciliorumque latissima encomia, quid aliud, rogo, sit quàm ineptire? Atque harum quidem saltem nonnulla scire cupienti, præsto sunt, non reconditi, sed etiam vulgares omnino libri, quos proinde vel leviter delibare, nec placet, nec licet. Quod ad eius Picturas atque Imagines spectat, multa etiam dici possent; sed quę se offerent studebimus complecti paucis. Atque in primis illam de Habitu quæstionem, nimis molestam atque prolixam, agitatam tamen olim, atque, ut vereor, etiam num magnis contentionibus inter Canonicos atque Eremitas Instituti Augustiniani, melius, quod mea fert sententia, est ut relinquamus utrisque decidendam. Quid enim absurdi continet, quid mendacii, quidve erroris, quòd Canonici, qui Parentem colunt Augustinum, Canonico depingant habitu, & rursus Eremitæ, habitu planè religioso ac cucullato? Viderit, obsecro, pius ac eruditus Lector Authorem nuper & sæpè à me laudatum, ne illius verba, quæ paulo longiora sunt, iterum cogamur exscribere. Illa tamen concludit aptissimè. (c) *In Chronicis*, inquit, *Ordinis Sancti Augustini, quę Onuphrius inchoavit, & Signinus Episcopus Josephus Pamphilus perfecit, annotatum est anno 1484. Xystum Quartum præcepisse sub pœna excommunicationis latę sententiæ, ne fiat contentio & disputatio inter Augustinianos & Canonicos Regulares de Habitu Sancti Augustini & sub qua figura debeat depingi.* Maneat ergo cordatè do-

(c) Mol. de Imag. lib. 3. c. 36

doctis, prudenterque sapientibus fixum, Parentem Augustinum omnino congruè ac decorè posse depingi, sive Habitu Canonicali (si tamen satis constare potest, quis illis temporibus hujusmodi habitus extiterit) sive Monastico cum nigra cuculla, quod ut verum fatemur, multo magis est usu receptum.

8 Alia dein Pictura eiusdem Magni Parentis vulgata est, & nulli non cognita, quam tamen non deerunt qui meritò improbent.(d) Est tamen huiusmodi, ut multis egomet observavi locis. Pingitur Sanctus Augustinus ætate iam grandævus sub Habitu Pontificali, ad cuius pedes sedens depingitur Puer pulcherrimus miris modis præfulgens; qui conchâ aquam ex mari haurit, quam secus litus fossulâ studiosè jacit; & eo describitur gestu, ut Magnum Parentem alloqui videatur. Talis autem pingendi ratio, relicta alia, quam alii referunt, multò magis absurda, ea à plerisque fertur, qui narrant ter Magno Parenti dum Libros de Sancta Trinitate meditaretur, apparuisse Puerum Jesum sub ea forma, quam descripsimus, quem intuens, nec satis quis esset agnoscens, dixisse illi fertur Augustinus: Hem! quid agis, puer? quidvè intendis? Et ille: Maris aquam in hoc à me excavato concludere puteolo. Atqui hoc, infit præcelsus Doctor, factu est impossibile. Immo verò, Divinus Puer reposuit, magis impossibile est quod tute ipse intendis, conarisque, hoc est, arcanum vastissimumque oceanum Divinitatis Trinitatisque in summa unitate mysterium mente tua pusilla concludere. Et cum dicto (inquiunt) à magni Doctoris oculis evanuit. Verum si ingenuè & reverenter dicere ac profiteri quod quisque sentit licet ingenuo, iam diu est quod hæc pingendi ratio Parentem Augustinum, mihi summopere displicuit. Taceo enim, quod narrationem hanc, sive illa factum fuerit quod Augustino contigerit vigilanti, sive imaginaria aliqua visio internis objecta sensibus Sanctissimi Parentis, silentio omninò præterita sit à Posidio Episcopo, atque aliis, si qui sunt, rerum Augustini antiquis scriptoribus (nam recentiores, præsertim aliquos, nihil moror) ea cum se ipsa satis pugnare videtur, ut in ipsa Pictura objicitur, ut illi prudenter fidem debeamus, aut possimus adjungere. Quod quidem ostendi, & falsitatis evinci poterit, aut discursu.

(d) Mol. l.3.c.36.

9 Aut enim dicitur & intenditur, hoc Augustino contigisse ante susceptum Baptisma, cùm adhuc esset insanientis professor sapientiæ (namque hæreticum aliquandò fuisse Parentem Inclytum, neque fateor, neque fatebor unquam, etsi viris alioqui magnis huiusmodi in hac re appellatio minus cogitanter exciderit) atque in hujus asserti defensionem assumuntur ea, quæ leguntur atque canuntur in eius Officio Ecclesiastico, quę ita habent: ***Distulit tamen diu Baptismi gratiam: quia tumens inani philosophia, volebat humana ratione comprehendere, quod pia mens vivacitate fidei nititur apprehendere.*** Aut hoc, inquam, dicitur, aut asseritur evenisse, postquam fuit ille sacris aquis lustratus? Si primum: narrationi ipsi opponitur atque Picturæ. Narrationi quidem: namque aiunt, visum hoc ab Augustino, dum meditaretur libros de Trinitate, quos non nisi jam baptizatus, immo Presbyter scripsit. Et Picturæ insuper. Nam præterquamquod ętate depingitur iam provecta, & certè illam excedente, in qua baptismum suscepit: sed quid opus verbis? Episcopus & Pontificalibus indumentis exornatus describitur: quod certè nec fuit, nec esse potuit ante Baptismum. Relinquitur ergo, ut hoc viderit Augustinus, aut expertus sit iam baptizatus, immo & de Ecclesia & Fide Catholicâ multum benemeritus. Sed hoc est quod ego nullatenus adducar ut credam. Quid enim? Augustinus, cum libros de Sancta Trinitate meditaretur, volebat mysterium Trinitatis humana ratione comprehenderet? Quid? cogitabat, aut versabat animo, tantum oceanum exigua sui ipsius mente concludere; aut dici unquam hoc poterit de Augustino; de quo, ut infinita prætercam, jure merito dictum est; nihil illo fuisse humilius? Certè nihil hoc congruit cum eo quod Augustinus ipse habet, libros de Trinitate concludens: ***Domine Deus unus, Deus Trinitas, quæcumque dixi in his libris de tuo, agnoscant & tui: si qua de meo, & tu ignosce, & tui. Amen.*** Facessant igitur etiam in sa-

sacris Imaginibus hæc, pia quidem, ut aliquibus videntur, sed revera inepta & conficta figmenta, quibus imbui, rudiorum saltem hominum oculos, nec fas est, nec decet.

10 Alia etiam Magnum Parentem depingendi ratio, eaque frequentior & celebratior, est, ut depingatur, effingaturvè, ut est in magna domo Augustinianorum Salmantina, in Ara ipsa maxima (de qua domo, aut magnorum etiam sanctitate & literis hominum præclaro domicilio quippiam dicere sine maxima honoris & reverentię præfatione non ausim) ut depingatur, inquam, Augustinus Parens genuflexus, erecta in Deum mente, pansis etiam manibus, contemplatus hinc Christum Dominum crucifixum, hinc sacratissimam & dulcissimam Deiparam puellum Jesum sacratissimo, ac de cœlo pleno ubere lactantem; addito præsertim in iconibus typis expressis, aut laminæ incisis lemmate illo, *Positus in medio, quò me vertat nescio. Hinc* (hoc est ex parte illa qua Christus ostenditur) *pascor à vulnere: hinc* (altera parte qua Deipara monstratur) *lactor ab ubere.* Optimum id quidem: cui quod à viris adeò magnis receptum sit, expositumque locis adeo celebribus, satis superque est ut illi multum conciliet ponderis atque authoritatis. Monitum tamen velim Lectorem pium atque eruditum, neque verba hæc ad literam, quod aiunt, desumpta fuisse ex Augustino, neque de eventu ipso, si quis ille fuit, satis constare. Proinde Picturam, quamquam satis communis sit, ut observavit R. P. Ludovicus de Angelis: * tamen presius loquendo, literalem non esse, sive Historicam; sed multò magis symbolicam & hieroglyphicam. Bene hoc ante me vidit amœni atque eruditi ingenii vir Augustinianus nudipes P. F. Emmanuel de los Sanctos, * amicus quondam meus, atque iam pridem immaturo prorsus fato functus in medio gravissimorum studiorum cursu. Hic enim in Concione sat docta & ingeniosa in Augustini P. laudem, hæc eleganter, ut solet, scribit. *Esta fue la mejor libreria de Augustino, y lo fue siempre; que aquel* Posito in medio, *tan celebrado, y pintado, neutral siempre Augustino entre el costado de Christo, y los pechos de Maria, bebiendo de aqui leche, y de alli sangre, sin saber donde volverse; no pienso que fue algun lance espiritual symbolo de toda la vida de Augustino; Jamas se apartò de alli, &c.* Quibus hæc scitè atque opportunè adiungit in margine. *Citatur pro hoc Valdens. in Theatr.* Religios *f. 123. & 338. à Lancilloto lib. 3. de Vita P. Aug. cap. 13. Vide Mag. Ang. de Vita & laudib. lib. f. mihi 209. c. 2. Frequentissimum est in recentioribus Chronicis & picturis. Res, an hieroglyphicum?* Quare Augustini Parentis Imago ubicumque celebrata, & quæ mihi magis arridet, ea est, ubi describitur consuetis ornamentis, altera manu gerens cor flagrans, multâque ignitum flammâ, vulneratum etiam amoris & charitatis iaculis: alterâ vero, hoc est dexterà, tenens pennam illam, quam non secus ac gladium, aut fulmen strinxit in hæreticos, simulque in Dei gloriam atque amorem tam dexterè commovit. In qua certè Imagine nihil est abstrusum, quod multa elucidatione aut explicatione indigeat: cùm totum pateat spectanti etiam non admodum erudito. Verum quod in ea Imagine pingantur simul cor atque calamus Augustini, liceat illi hic adscribere Versiculos, quos annis adhunc non paucis lusimus, in eumdem scopum intenti, qui ita habent.

* De vita & laudibus Aug. l. 6. c. 2.

* In volumine Concionum edito Matriti 1724. conc. 1. pag. 18.

Quid est quod igneum altera ostentans manu,
Ignite Præsul atque Doctor Optime,
Cor; altera prælucidam pennam geris?
Hoc credo, non id pessimè conjecerim.
Tuę movetur impetu pennę cor hoc,
Aut corde tracta penna pingit literas.

Et hęc quidē habuimus circa Picturas atque Imagines Parentis Augustini: erga quem, ut decet filium alumnumque Sanctę suæ Regulæ, miris modis afficior, quæ hic annotaremus. Nam (quod ipse non inspexi, sed vidisse testati mihi sunt viri plena fide dignissimi) quod, inquam, aliquando in loco sat celebri exposita fuerit Magni Parentis Imago, viri certè

certè omnium gravissimi ac modestissimi, non sedentis aut stantis, sed instar Tonantis Gentilium Iovis insidentis aquilæ; tametsi non deerunt qui efferre velint Picturam hanc ut elegans atque sublime hieroglyphicum: mihi tamen placere nec potuit nec poterit: immo putaverim inventum esse non alicuius viri docti atque gravis, sed artificis, rem tam gravem atque seriam minus seriò ac graviter æstimantis.

CAPUT VII.

PICTURÆ ATQUE IMAGINES DECOLLATIONIS, & Capitis ab humeris revulsi Sacratissimi Præcursoris, Sanctæ Rosæ Peruanæ, & Sancti Raimundi Nonnati Cardinalis.

1 On adeò miserandam fore conditionem Principum, & regum, securus aio, si carere possent aut vellent feris aut furiis illis domesticis, quę sub obsequioso amicorum nomine, hostium potius funguntur officio. Adulatores atque assentatores me velle dixisse quilibet cordatus facilè intelliget. Ii enim nil aliud auribus principum noctu atque interdiu ingeminant, aut insusurrant, nisi illud; Age, age quodcumque velis: nil dubita, sat est te velle, ut quodcumque sit, dignum sit ut fiat. Te imperante, nil ambigas licet, licebitque quodcumque libeat. Sit denique pro ratione voluntas. At his dissimillimus extitit aulicus Eremita: utrumque enim fuit Magnus Christi Præcursor Ioannes. Incoluit ille nemorum deserta: sed cum tempus affuit, frequentavit, ut prodesset, Tetrarchæ Herodis aulam: ingerebatque frequenter incestuosi Regis auribus mite quidem illud, ut notavit Chrysostomus, sed liberum simul atque ingenuum: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Sed magno stetit præconi veritatis (cuius in laudem hæc breviter perstrinximus) fandi illa libertas: luit enim illam sanctissimo capite, quod iniquissimus Rex amputare tandem imperavit, * non tam odio proprio, quam feminæ.

* Marc. 6.17. Luc 3.19.

2 Nota res est ex Historia Evangelica, circa cuius Imagines nonnulla memoriæ occurrunt obiter annotanda. Prętereo enim, quòd in Herodis cœna convivæ non recumbentes lectis, ut par erat, sed sedilibus aut scamnis sedentes describuntur, quod fecit etiam Picturę egregius artifex Rubennius. Hoc enim, ut sæpè supra notavimus, errorem rituum & morum continet, quem soli advertunt, qui studiosiorem antiquitatis pervestigandæ impenderunt operam: & tamen omnes potuerunt discere ex ipsis verbis Evangelii, ubi de filia Herodiadis saltratrice hæc habet: (a) *Cumque introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & placuisset Herodi; simulque recumbentibus.* paulòque inferius: *Propter simul discumbentes, noluit eam contristare.* Prætereo, inquam hoc, illudque moneo: actum ipsum, aut scenam funestissimam amputandi Baptistæ caput, non contigisse, subindeque nec repræsentari debere (ut alicubi est factum) in ipso Herodis palatio, neque rursus in patenti campo: cùm disserte doceat Evangelium, Joannem decollatum Herodis jussu, non alibi fuisse quàm in ipso carcere: (b) *Et decollavit eum in carcere.* Tale etenim, tantumque facinus, quod Ambrosius maiore etiam quàm solet (& solet quidem multa) verborum atque eloquentiæ vi describit, atque velut spectantibus exhibet oculis, admisit impius, turpique amore obcęcatus Rex in gratiam puellæ saltatricis. Quod immane facimus ansam dedit Christianis Oratoribus illud meritissimè detestandi, de quo nos statim aliqua verbis numeris circumscripta.

(a) Marc. 6. 22. & 26.

(b) Ibid. v. 27.

3 Interim in ipso avulso humeris

ris capite, discoque imposito, duo breviter subnotare libet, quæ tametsi historiam non lædant, tamen hunc suo se velut pondere ingerunt. Unum est quod ab aliquibus ostentandæ aut exaggerandæ artis gratiâ Baptistæ sacratissimi caput miris modis deformatum pingitur aut effingitur, quod non sanctitatem, atque in ipsa morte constantiam magni Præcursoris, sed truculentiam, addo etiam vinolentiam Holofernis alicuius oculis objiciat; luminibus scilicet non omnino clausis, os maiorem in modum hians & apertum, linguam ferociter exsertam, aliaque id genus: quod longè abest ab imagine rei tam sacræ, qualis Divini Precursoris caput est. Aliud: quod ab aliis non satis ad rerum naturam attentis depingitur collo magis oblongo, quàm conveniat capiti truncato. Qua quidem in re historiolam me legisse memini satis ad hunc scopum opportunam. Turcarum Mahumetanorum Imperator, quòd erga Picturæ artem bene esset affectus, ad se accersiri jussit Pictorem Venetum, nomine, ni fallor, Bellinum. Is præter alia, quæ iussus absolvit, Picturam Capitis Præcursoris optimè, ut sibi videbatur, efformatam magno Sultano dono obtulit: hic collaudato non parum in ceteris artificio, hoc unum Bellinum admonuit: Hem, inquit, caput hoc nimis à vero & natura ipsa rerum abhorret. Non vides, intulit, collum hoc longius multo mansisse, quàm rei veritati naturæque ordini conveniat? Fateris ne hoc? Subticebat Pictor, minimè ausus coram tam superbo domino quippiam mutire. At ille, Ut tuismet, inquit, oculis videas, ita se rem habere, adduc (conversus ad quemdam ex adstantibus) quemlibet ex captivis, atque illum coram actutum sistito. Paruit ille: adductus est miser, & iussus in genua procumbere, cervicemque prębere feriendam; nil jussa distulit. Tum truculentus Imperator, cui de hominum vita atque capitibus impunè ludere interdum volupe ac penè deliciosum est, nihil ambigens; Tu, infit versâ ad lictorem facie, huius nihil cunctatus, caput amputa, humerisque divide. Fecit ille acinacis ictu validissimo. Tum colli nervis undique contractis, colloque admodum decurtato, abscisum caput, inspiciendum accuratius Pictori obtulit. Fecit ille; sed tam pavidus, tamque tremens, ut vix ipsi suppeterent verba, quibus collaudaret Imperatoris magni peritiam. Quod ut Sultanus vidit, Abi, inquit; jubebo Visiro meo te quamtocyus expediat, ne rursus tam impotenter coram me contremiscas. Quæ ideo hic inserui, ut vel hinc advertant Pictores, etiam optimi, Imagines naturæ rerum & veritati repugnantes, displicere etiam iis quos non pudet appellare barbaros. Verum hoc alius planè considerationis opus est, reque ipsa transilit instituti Operis metas. Quare hinc diggressis liceat, quod supra innuimus, dare locum Epigrammati, quod ita habet.

Ecce taces, Christi præco venerabilis: ecce
Vivida quæ fuerant lumina, clausa tacent.
O caput! O toto longè pretiosior auro
Gemma! quid in disco pallida facta notas?
Sed scio: saltatrix temulentum femina regem
Impulit, ut sceleri præmia tanta daret.
Nempe eguit capite ingenium, cui mobile ad imos
Arte levi, vanos fluxerat usque pedes.
Nil furor at nocuit: nunc surgis ad æthera. Cœpit
Avulsum hoc humeris celsius esse caput.

4 Vulgare prorsus est, adeo ut sit nemo vel mediocriter doctus, qui penitus illud ignoret, quod vel lepido, vel impuro commento fabulata est antiquitas: finxit enim Venerem, dum rosæ spinam imprudens offendit, quæ deæ sanguinem copiosius elicuit cruore suo, quæ antea candidę erant, infecisse rosas, que tamen ęgrè factum ferentes, vehementer indoluisse feruntur: exindeque natura comparatum esse, ut rosæ rubentes aut erubescentes nascerentur, vani poetæ comminiscuntur. Indeque est quod illorum unus, cuius non sat memini (neque id excidisse

disse memoriæ hominis Theologi multum pudet aut piget) scitissimo ac celebratissimo illo rem panxerit.

Constat adhuc facti pœnituisse rosas.

Sed ad rem. Miræ planè fragrantiæ ac pulcritudinis novus à nostris Hispanis conquisitus Orbis eâ illius parte quæ audit America Meridionalis, florem edidit longè suavissimum, Rosam, inquam, de Sancta Maria, Tertii Ordinis Parentis Dominici alumnam, quæ eumdem, tametsi tot sanctitatis atque innocentiæ floribus vernantem, maiorem in modum exornat, & de cuius Imaginibus agendum nobis hìc est, nil à proposito deviantibus.

5 Et quidem si præclarissima hæc Christi Virgo atque Sponsa pro hominum ingenio, quantumque fert humanæ rationis captus, depingenda esset exsanguis, exsucca, pallida, tantumque non omnino marcida atque emortua deberet effingi. Tametsi enim Rosa ea fuit, quæ spinis illis, quæ alios vel leviter pingerent, caruit; armata tamen extitit spinis, quas in sui ipsius cruciamenta converteret. Jejuniis enim supra humanum modum addicta (quæ verba sunt eius Officii) aliis atque aliis austeritatibus, tormentis, aculeis in se ipsam impigrè desæviit, tot & tantis, ut nisi Divinâ gratiâ opem mirabilem ferente, virgineum corpusculum non extenuasset tantùm, sed illud, vitamque mortalem penitus extinxisset, non intra annorum aliquot spatium, sed vix expleto paucorum mensium aut dierum curriculo. Proinde ideæ huic intentus Pictor, Rosam, ut dicebamus, omnino pallidam, ac penè emortuam deberet effingere. Sed non ita est, neque ita contigit. Quippe Virgo prudens plus sibi cavens à vanæ gloriæ uredine, quàm ab alio quovis impetu; Sponsum precata est, à quo & obtinuit, ut licet tot attrita fractaque laboribus, non pallida aut exsanguis spectantibus appareret, quàm succo & sanguine plena, & vultu planè modestè vivido. Rem consueta sibi elegantiâ enarrat ipsius Vitæ Latinus Scriptor Rever. A. P. M. Fr. Leonardus Hansen Provincialis Angliꝑ Sociusque Rev. P. Mag. Generalis Ordinis Prædicatorum cuius verba temperare mihi non possum quin huc advocem: ita enim habet. * *Verùm ut comperit, his paulatim indiciis omnem austeritatem suorum jejuniorum à curiosis deprehendi, æstimari, extolli, plus sibi à vanæ gloriæ laudumque tinea, quàm ab eximiæ formæ præstantia timendum rata; confugit ad solitum Orationis præsidium, anxiisque precibus impetravit à Deo talem sibi aptari vultum, qui saltem abstinentię suæ rigores, ac tot jejuniorum extima signa mortalium oculis non venditaret. Mirum dictu! Mox rediit genis detritis vividus color, reddita faciei corpulentior plenitudo, fronti nitor, luminibus vigor, ut propemodum iurari potuisset, Rosam quid sit jejunium penitus ignorare.* Et lucrata quidem est voti sui successum humilis Virgo; & compensationem damni, à quo sibi caverat cum fœnore retulit. Ut enim elegans Scriptor exequitur, aliquando, & cum minus merebatur, subiit derisorum hominum calumnias, & ut abhorrens à jejuniis, suggillata & notata est, non sine perditorum hominum & congerronum derisione cavillationibus atque sarchasmis. Sed nos ad rem.

* In Rosa Peruana c. 5.

6 Pingitur etiam ferè semper cum sanctissimo Puerulo Jesu, vel illum puris ac virgineis ulnis complexa, vel cum eodem insidente libro, quem ipsa studiosis manibus gerat; vel alio modo huiusmodi. Hoc autem ita congruum omnino est, ut si abesset, censerem non esse Rosæ perfectam effigiem. Miris enim atque ineffabilibus modis ille, cuius deliciæ esse cum filiis hominum, specie plerumque puelli cum electa deliciabatur sponsa. Quod sanè nolim ut hic dicatur meis inconcinnis ac penè balbutientibus verbis. Audiatur, legaturvè iterum laudatus Magister, cuius lectio, si semel, ut arbitror, placuit, decies repetita placebit. Sic enim præter alia, rem exequitur. * *Ipsemet parvus Iesulus digiti statura vix procerior sæpè apparebat amanti Rosę in eadem pagellæ planicie: stabat pusillus ac nudus amor: mox inambulabat passu levissimo, ac interim obtutu serenulo, tenero, suavi adblandiebatur Virgini, ingerebat se, utpote* Verbum *attenta Rosæ lectione dignissimum, in quo omnes the-*

* Idem ibid. c. 18

thesauri scientię & sapientię Dei. Hęc elegans Author: quibus statim adnectit id quod familiarius ille nuncupat; sed vel eo ipso ineffabilius atque mirabilius: ita quippe subdit. *Dum Rosa nendo occupabatur in telę consutura, en iterum dilectum Iesulum nentis pulvillo infantiliter & quietissimè insidentem: illic nutibus taciturnis loquebatur ad cor Dilectę, huic arridebat, huic protendebat breves ulnas, velut amplexum offerens: hanc ardentibus ocellis jugiter adurebat, omnìque gestu, motu, flexu, protestabatur amorem.* Oblectabat se denique tenerrimus Sponsus cum sibi charissima, non iam infantilibus, sed pueri grandioris gestu atque habitu: quod aliquando permisit, ut ab aliis, innocentibus tamen, conspiceretur. Rem denarrat allegatus Author, quem iterum legi volo semper, ut existimo, dignissimum lectu. *Hæc* (inquit de puella quadam vix septenni loquens) *ubi Rosam meditationi implicatam reliquerat, clam sese proripuit ad matrem suam in vicino conclavi laborantem: inde post horæ spatium erepsit visura, num Rosa ab Oratione surrexisset. Et ecce vidit iuxta Virginem puerulum Iesum amictu polymito cærulei purpureique coloris decentissimè tunicatum: quem ut conspexit fulgida claritate circumdatum, ac radiis undique coruscantem, non ausa conversationem irrumpere, substitit eminus, contenta permissione dulcissimi spectaculi, cuius arcana pro ætate nondum capiebat, nec antequam Rosa migrasset è vivis rem detexit.* Sexcenta alia hìc in rem camdem congeri possent: sed allata suffecerint, ut bene norit eruditus ac Christianus Pictor, vix posse Rosæ effigiem oculis objici, quin simul quoquo modo pingantur favores ac charismata Sponsi, cum prædilecta sua tam familiariter atque interdum tam pueriliter colludentis.

7 Sub id ferè tempus quo hæc verborum exceptori dictarem, accidit ut Rosæ Imaginem in ærea lamina depictam attentius nonnihil inspicerem: opus certè haud spernendæ manus, sed in quo erratum duplex, ut persæpè fit, statim in oculos incurrit. Prius illud: quod Rosa Virgo depicta erat velo illo nigro, quo illę quæ professæ Moniales Choro destinatæ solemnius obnubuntur. Res omnino falsa, & penitus contra historiæ fidem. Rosa enim, tametsi tot divini amoris charismatibus, gratiæque favoribus à Divino Sponso cumulata, Monialis tamen numquam fuit, neque in Monasterio vitam transegit, sed in domo parentum præter postremum vitæ triennium, quod exegit in domo honestorum ac nobilium conjugum cunctis etiam diu post Concilium Tridentinum Clausuræ legibus exsoluta; Tertio nimirum Ordini, ut appellant, adscripta, inter eas quas vulgus appellat Beatas. Proinde pingenda non est cum velo Monialium nigro, quamquam dum in publicum prodibat, longiori velo, seu pallio, rariori quidem, sed laneo, eoque nigro, à vertice ad plantas operiretur. Deinde depicta cernebatur cum corona florum rosarumque mirè vernãtium. Atque hoc quidem, etsi symbolicum quodammodo posit intelligi, factu & re ipsa numquam ita fuit. Coronam Rosa planè gestabat in capite. Sed qualem? Deus bone! multis illam elegans scribit Historicus: sed illius vice sat esse debent quę legũtur in eius Officio Ecclesiastico, quæ ita rem perstringunt. *Sub velo* (album intellige, lineumque, quo semper usa fuit) *coronam densis aculeis introrsus obarmatam interdiu noctuque gestavit.* Nempe his, aliisque huiusmodi tam charam Divino Sponso decebat armari, aut consepiri Rosam.

8 Cæsares & Cęsones etiam habuit & celebravit olim Antiquitas, qui id nominis insigne assequuti dicuntur, quod non communi reliquorum hominum lege, sed insolito, cęso nempè matrum ventre sint nati. Notum hoc: sed æquè notum est, habere Ecclesiam in suis etiam fastis Heroem eximium, qui hoc, aut magis expresso vocabulo honoretur. Is est *Raimundus* ille percelebris *Nonnatus* cognomento dictus; quia pręter communem naturæ legem è mortuæ matris dissecto latere in lucem eductus fuit, ut expresse verba habent ex eius Ecclesiastico Officio desumpta. Cujus quidem si res præclarè gestas, virtutes, gloriamque propemodum immensam hic conaremur exequi, nihilo magis videremur præstare posse, quàm illum qui exiguo vasculo vellet concludere Oceani vastam latitudinem. At nos de his non agimus, sed de effigiebus atque Imaginibus. Principio igitur pingendus venit Inclytus Raymun-

mun-

mundus Nonnatus habitu amictus mei Sacri ac Regii Ordinis, quem ipse recens institutum amplexus est; cælestibus monitis obtemperans purissimæ Deigenitricis. Ab ipsa enim intellexit, gratissimum sibi fore, si Religionem sub titulo de Mercede, seu de Misericordia Redemptionis Captivorum, eâ suggerente, nuper fundatam ingrederetur. Qua monitione perceptâ, Barchinonam statim profectus, illud tam præcellentis erga proximum Charitatis Institutum amplexus est. Deinde ornandus est amplissimi Cardinalatus purpureis insignibus: cùm satis constet, illum multis strenuè præclareque gestis pro Dei gloria adlectum esse à Summo Pontifice Gregorio IX. in Sacrum Purpuratorum Patrum Collegium: quod etiam notant eiusdem Officii verba, quæ sic habent: *Ob hęc & alia fortiter gesta, sanctitatis eius fama longè lateque diffussa est: quà permotus Gregorius Nonus, in amplissimum Sac. Rom. Ecclesiæ Cardinalium Collegium Raimundum adscripsit.* *Purpureis*, diximus, *insignibus*: neque id casu aut temerè. Quamvis enim non me lateat, hujusmodi purpurea ornamenta nondum concessa illis temporibus ab Apostolica Sede fuisse amplissimis Dominis Cardinalibus, de quo supra nonnihil prælibavi, fortasse alio loco dicturus plura: tamen quo alio aptiori modo ingerendum est Fidelium piis, & non admodū doctis obtutibus, fuisse Raymundum Cardinalem? Nil hic peccatur contra Historiæ fidem; sed rei veritas quoquo modo demonstrari intenditur. Et quidem si (quod alibi notatum reliquimus) in Sacra etiam Pagina congruum extitit ut Urbs quam multo post tempore, aut de novo penitus extruxit, aut maiorem in modum ornavit Alexander, Alexandria per sat notam figuram, quam Prolepsim vocant, hoc est Anticipationem, appellaretur; cur non magis in Pictura licebit, ut nondum concessus purpureus color, qui futurus erat honoris pręcipuum insigne, appingatur aut describatur Cardinalibus? Denique quod ad præcelsiorem gloriam magni Herois spectat, labiis pingendus est serâ ferreâ inclementer clausis: quod & rerum ab ipso gestarum succincta series Ecclesiastici Officii demonstrat, illis verbis: *Sed cum ardentissimo salutis animarum desiderio succensus, plures Mahometanos suis concionibus ad Christum converteret, in arctam Custodiam à Barbaris conjectus, variisque suppliciis cruciatus, mox labiis perforatis, & sera ferrea clausis, crudele martyrium diu sustinuit.*

9 Denique consueto & recepto more Sanctus Raymundus Nonnatus proponitur, sive effigiatus, sive depictus, Sanctissimam Eucharistiam pyxide inclusam, quam usitato vocabulo Custodiam appellamus, dextra manu præferens. Neque hoc temerè, sed magna cum ratione agitur. Notatur enim hac ratione pingendi eventus ille mirus, qui præclari Christi Confessoris ac Martyris vitæ non tam finem, quàm coronam imposuit. Decumbebat æger in domo cognati pręnobilis Cardonę Raymundus. Vires crescebant febri, quæ jam austeritatibus laboribusque fractas decubui absumerent. Petiit ille enixè, ut sibi afferretur Sanctissima Synaxis, ne iter illud sine tali tantoque Viatico aggrederetur. Instabant hi qui aderant, cursitabant ad Plebani domum semel atque iterum famuli. Sed ille, vel quòd ad præsens domo aberat, vel quòd aliis rebus expediēdis distineretur, amplius atque amplius immorabatur atque tardabat, nō sine ingenti cruciamento piissimi ac religiosi cordis S. Raymundi. Et iam quidem abiturum sese ex hac mortali luce tali solatio destitutum tacens mœrensque cogitabat; cùm insolitus etiam radiante sole fulgor cunctorum repentè sensus atque oculos perstrinxit. Diceres stellarum numerosam congeriem ad Divinæ Majestatis obsequium novo ordine accurrisse radiantem; aut ipsa firmamenti lumina, ut tam jucundæ scenæ deservirent, cæli reliquisse palatia. Nec mora: bini ac bini nitidissimos cereos gestantes Angeli cadido Mariæ Virginis de Mercede habitu præmicantes Cardonæ Comitis aulam implent, quę vix gaudio suo par lætabatur: quòd esset ob novi hospitis & cognati insolitum honorem tales tantosque hospites susceptura. Et claudebat ipsorum agmen quidam, & maiestate fulgentior, & dignitate longè splendidior, qui visus est adstantibus specie & fulgore saltem ipse Christus, qui tunc sub Sacramen-

talibus latens speciebus miris modis atque ineffabilibus, suis ipse manibus ferebatur. Quid plura? Accessit majestate plenus ad jacentis lectum, quo ille jamjam vix oculis suis credens, sese impiger levaverat, atque in genua provolverat. Denique comiter ac dulciter ægrum affatus solatusque intimis gaudiis refecit, satiavitque pane illo, qui unus potens est præstare regibus delicias. Disparuit statim Cælitum aulicorum candida cohors. Ipse etiam cælitum Rex statim disparuit: & Raymundus tantisper superstes, sacroque inunctus oleo, terræ incola diutius esse noluit, qui penè tota aulæ cælestis gaudia prægustaverat. Atque ob hanc rationem, atque eventum hunc, cujus & luculenter meminit Ecclesia, Sanctus Raymundus Nonnatus Sanctissimam Eucharistiam manu gerens depingitur. Atque (ne hoc obvolvamus silentio) commune etiam est, ut manum alteram, sive sinistram, ornet palma, triplici, eaque aureâ coronâ circumdata: quò denotetur, aptari eidem triplex gloriæ sertum, Confessoris, Martyris, atque Virginis. Sed nos ad diuturnum illud, quod per aliquot menses pertulit martyrium per labia serâ constrictus ferreâ, iterum conversi; jure nostro facturi videmur, si brevior tractatiuncula eô, quod olim lusimus, claudatur Epigrammate, quod tale est:

Quid furor hic, rabiesque animo, gens impia, prodest?
Noscitis ah! virtus quam sit amare valens?
Ora viri obstruitis ferro: sed credite stulti;
Nulla Dei verbum vincla ligare queunt.
Nempe hoc est puras retineri vectibus auras,
Cælestesque sera claudere velle focos.
En loquitur Christum, atque aures vox aurea tangit;
Undique quam strictim ferrea claustra premunt.
Ite ergo, atque operam miseri ne ludite: vanis
Artibus his, mutus non amor esse potest.

CAPUT VIII.

PICTURÆ ATQUE IMAGINES SANCTORUM Ægidii Abbatis, Stephani Regis Hungariæ, Laurentii Justiniani, Adriani & Gorgonii Martyrum, Nicolaique Tolentinatis.

1 Onnulla circa antiquas Picturas Sancti Ægidii Abbatis annotav iteruditus harum rerum Scriptor, quas non uno in loco ipse reprehendit. Tale, ac præcipuum est, quòd pingebatur olim (nam hodie vix hujusmodo aliquid, aut ne vix quidem cernitur) Carolo Martello Francorum Regi per manus impositionem peccatorum absolutionem tribuens: sive, ut alias habetur, pingebatur Angelus Carolo nuntians remissionem peccatorum, adjecto etiam rudi admodum & parùm sibi constanti carmine, *Ægidii merito Caroli peccata dimitto.* Hoc verò & superius nos, licet obiter, refutavimus,* & ipse allegatus Author damnat meritò atque refutat. Pingitur etiam ferventius & sublatis in cælum manibus orans: cui cerva propè ipsum adjungitur: cuius rei ratio optimè petitur ex iis quæ in eius Officio Ecclesiastico sub ritu simplici continentur, quæ sic habent: *Secessit in eremum, ubi diutius herbarum radicibus, & cervæ lacte, quæ statis ad eum horis veniebat, admirabili sanctitate vixit. Quæ cerva insequentibus quodam die canibus regiis cùm in antrum Ægidii refugisset, Galliæ Regem impulit, ut ab eo summis precibus peteret &c.* Sed neque ob id quòd afferatur Abbatem fuisse, pingendus venit cum tonsura presbyterali, aut cum aliis ornamentis Presby-

* Libr. 5.

byteratus. Hoc enim etsi non desint qui asserant, affirmantes Ægidium, * ut Abbas fieret, ordinatum fuisse Presbyterum: tamen neque clarum est, neque ignorare poterit quivis vir doctus & eruditus, illis Ecclesię temporibus consuetum, immò & vulgare fuisse ut Abbates fierent, multorumque proinde Monachorum Patres, quin tali ordine sacro, aut aliquo alio insignirentur.

* P. Rib. t. 5. Flos Sanct. ad diem 1. Septemb.

2 Sanctus Stephanus Hungariæ Rex multis, magnisque encomiis non solùm ab eius Vitę, sed à rerum etiam Hungaricarum Scriptoribus celebratus in ipsis initiis Septembris ocurrit. Huius autem vix erat ratio cur hic meminissemus, nisi duo me moverent, quæ aliquibus minutiora fortassis videbuntur. Quorum prius illud est, quòd Divus hic, qui certè primus in Hungariam & Christum & regium nomen invexit, diminutè, meo iudicio, depingetur, nisi apingatur cum Cruce, aut manu ipsius perlata, quod non erit incongruum; aut saltem propè illum erecta: ad eum ferè modum quo Crux præfertur in sacris atque Christianis supplicationibus. Moveor ad hoc gravissimis verbis illius Officii, quę sic planè habent: *Verè propter ingens dilatandę fidei studium, illius gentis Apostolus nuncupatus, facta à Romano Pontifice ipsi posterisque Regibus præferendæ Crucis potestate.* Alterum illud est, quòd existimem illius dexteram radiantem, aut splendentem debere depingi. Non hoc historiam aut factum notat, sed rei gestę symbolum supra quam dici potest congruentissimum. Legantur rursus verba eiusdem Officii, ubi operosius enarratis operibus Charitatis & misericordiæ, profusæque erga omnes benevolentiæ, hæc opportunè adjiciuntur: *Quarum virtutum merito illius dextera, resoluto cetero corpore, incorrupta permansit.* Hoc autem, ut mea fert opinio, vix alio congruentiori modo ostendi potest, quàm si dextera illa, quæ etiam inter sepulchri latebras incorrupta permansit, in vivo proponatur aut depingatur nonnihil splendens.

3 Sanctum Laurentium Venetorum primum Patriarcham ex nobilissima præ multis stirpe Justinianæâ progenitum, quem idcirco Laurentium Justinianum communius appellant, mirificis, & planè meritissimis laudibus ornavit Bernardus Justinianus, Venetus Clarissimus, eiusdem ex fratre nepos, qui res vidit, & probè perspectas habuit; ut pote qui eidem totos ferè triginta annos familiarius convixit. Edita autem est huiusmodi Vitæ scriptio, & præfixa Operibus Sancti Patriarchæ, editis sat grandi volumine Basileę anno 1560. typis Frobenianis. Ex hoc autem plura ad Sanctissimi viri laudem spectantia colligi possunt: sed propositi mei est, non quidem encomia Sanctorum texere, sed annotationes circa eorumdem Imagines ac Picturas. Qua in re illud scire erit operæpretium, qualis extiterit vir juxta nobilissimus ac sanctissimus externa totius corporis figura atque specie. Atque hoc præstat selectis verbis jam allegatus ac laudatus Scriptor, * quæ sic habent. *Fuit proceritate corporis altiore quàm justa, gracilioribus membris, colore candido, statu erectus & celsus, tota facie admodum decora. Oculis verò universum corpus ita moderantibus, ut venerationem & sanctitatem undique spirare viderentur.* Hæc ille de gravissimi ac celeberrimi Præsulis exteriori corporis figura: nam præstantis animi gestum ipse eius virtutes enarrans, vivis velut coloribus depingit. Sed vividioribus longè & expressioribus idem ipse Præsul sanctissimus, ut legenti scripta illius nil aliud quàm meram pietatem cum sat venusto verborum decore redolentia apertissimè patefiet. Illud etiam ut hic moneamus spontè sese offert, quod Laurentius cùm Canonicus Regularis Ordinis Sancti Augustini in Monasterio Sancti Georgii, priusquàm ad Patriarchalem dignitatem assumeretur, extiterit: Habitum tamen, sive Monasticam vestem (quod illis temporibus non admodum erat in usu) quantum per dignitatem potuit, retinuit. Proinde pingendus erit saltem cum talari tunica coloris cærulei, qua utuntur præfati Canonici. Tandem verò describendum esse cum Doctoratus aut Magisterii claris insignibus, ex iis quæ jam perstrictim innuimus satis superque constat. Scripsit enim non minutiora quidem opuscula aut leves pagellas; sed maiora prorsus opera, qualia certè sunt *De triumphali Christi agone*, *De casto connubio animæ & Verbi*, aliaque non pauca.

* Cap. 7. circa fin.

Sæ-

4 Sæpius & numquam satis me monuisse memini, Pictores non rerum historiis, sed suæ ipsorum obsequi phantasiæ: proindeque res pingere consuevisse, non ut fuerunt, sed ut potuerunt esse, sive ut contigisse, sibi ex delusâ imaginatione comminiscuntur. Tale quiddam esset (non factum hucusque vidisse non memoriâ teneo) si, ut ipsi persæpe faciunt, gloriosam necem Sancti Adriani præclari Christi Martyris depingentes exhiberent oculis eumdem nudata cervice, & propè lictorem adstantem stricto gladio eam impigrè amputaturum. Nam præterquā-quod non nisi nobilioribus hoc supplicii genus irrogabatur; in Adriani glorioso agone nihil tale fuit: extinctus enim est plusquam crudelibus & immanibus verberibus, quibus tamdiu cęsus est, usque dum (quod etiam horrendum dictu est) ipsius prorsus intestina diffluerent: ad extremumque crurifragio, & manuum ac pedum abscisione mortalem vitam exuit, æternam statim adepturus. Quæ omnia satis constant ex notationibus Romani Martyrologii, & ex unica, quam habet, lectione in Festo Nativitatis Sacratissimę Deiparæ. Atque ob hanc quidem causam, teste Authore, * cum incude præclarus Christi Martyr pingitur, cuius hæc sunt verba: *Cum incude pingitur; quia manus ei super incudem abscissa est, similiter & pedes incisi Uxorque Sancta Natalia, quæ eum fortissimè ad martyrium animabat, non solum præsens esse volebat tempore supplicii, sed & manum & pedes sancti Martyris super incudem ponebat, & tenebat.* Hæc ille: quibus addit nescio quæ de picto cum Adriano leone: quæ tamen quia non sat mihi comperta sunt, nec, quod sciam, in picturis frequentia; præterire, quam referre malumus.

* Mol. l. 3. c. 38.

5 Idem omnino judicium ferendum est de Sancto Gorgonio Martyre Nicomediensi, qui quamquam nobillissimus, & (quod mirari subit) Diocletiano ipsi apprimè charus, adeo, ut inter magis familiares illi inserviret, ad interius etiam admissus cubiculum: tamen cum Imperatoris in ipsum desævisset furor; non gladio peremptus est, abscisis, ut mos erat cervicibus, sed infami letho, suspendioque. Cuius rei causa ea esse potest: quòd Principis implacabile in Christianam Religionem odium, etiam nobilissimos quosque Christianos jam pridē nobilitatis privilegia atque jura iisdem Christianis debita abolevisset: quod & indicavit edicto Nicomediæ affixo, ut bene notat & observat Ecclesiasticæ Historiæ primipilus Eusebius Cæsariensis.*

* Euseb. Cæs. Hist. Eccl.

6 Tolentinum non infimæ notæ in illa Italiæ partem, quam Picenum vocant, Urbs est, à cuius diuturna habitatione nominatus & sibi & ipsi urbi nomen dedit Nicolaus, Ordinis Eremitarum Sancti Augustini. Cuius quidem res præclarè gestas non defuerunt qui latius enarrarent, scriptisque prosequerentur. Ad rem nostram tamen paucula annotanda se offerunt. Ac primum illud quidem, quòd marcidus, jejuniisque penè confectus describi potest, immò debet. Fuit enim jejunio atque abstinentiæ mirè deditus, prætereaque longis cruentisque verbenationibus, quæ vel disjuncta possent viri Sancti corpusculum ad extremam redigere maciem. Illud deinde, quòd pingi solet manu gestans avem notissimam, ventri præsertim atque gulæ deditis, nempe perdicem: Cuius rei occasionem præbuit, non gula quidem, sed illi inimica, exitialis, atque implacabilis abstinentia. Ferunt enim, eumdem gravi morbo decumbentem cùm adducere non possent hi qui proximius assistebant, ut vel sic æger tantisper de consueta austeritate remitteret, carnesque ut comederet, non potuissent inducere in ægrotantis animum, obedientiæ, quod unum supererat, auxilium implorasse. Itaque jussus est à Prælato, ut mitigata ad tempus severitate propositi, aviculam huiusmodi iam coctam, nec malè paratam, impiger comederet. Paruit vir sanctus, quantum in se fuit, qui probè sciebat, longè meliorem esse obedientiam, quàm sacrificium. Sed, ô rem miram! dum mandatum perficere tentat, vix Crucis signum, ut par erat, impressit paropsidi, cùm perdix, tamquam si facto ipso repudiaret inquinare os tam prodigiosi abstinentis, reddita vitę, partibus suis integra, plumisque contecta, evolavit è mensulâ, & quâ datâ portâ longissimè aufugit: quo facto eos qui præsunt in sanctis ac religiosis congre-

gregationibus; monitos esse Deus voluit viros insigni præditos sanctitate, quorum per multum temporis egregia præbuere documenta à vitę severioris instituto, non esse temerè sivè facilè coërcendos.

7 Pingi etiam solet idem Divus ornatus magno stellarum numero, amictu proprio regulari, sive habitu, quem extra domum, sive etiam solemnioribus diebus intra Chorum Eremitæ gestant Augustiniani. Cuius quidem rei ea communiter fertur causa, quòd plurimorum animas suis precibus, ferventique ad Deum oratione è purgatoriis ignibus in cælum transvexerit. Denique depictum observavimus in humillimo decumbens lectulo, Angelos auscultans canentes dulcissimum ac suavissimum melos. Neque id mirum esse debet scientibus, hoc illi per menses aliquot singulis noctibus contigisse: quod quidem in eius habetur Officio, cuius illa sunt verba: *Demum sex ante obitum mensibus, singulis noctibus Angelorum concentū audivit: cuius suavitate cum iam paradisi gaudia prægustaret, crebro illud Apostoli repetebat: Cupio dissolvi, & esset cum Christo.* Atque hæc quidem habuimus, quæ circa Imagines atque Picturas eminentis sanctitatis viri cursim, atque perstrictim annotaremus.

CAPUT. IX.

PICTURÆ ATQUE IMAGINES SANCTORUM Martyrum Prothi & Hyacinthi, Exaltatæ Crucis Dominicæ, Cypriani Carthaginiensis & Martyris: Sacrarum stigmatum S. Francisci & Thomæ à Villanova Episcopi Valentini.



Rebra sunt in re, de qua agimus, errata minoris momenti: sed tamen quæ vix aut ne vix quidem ab erroris nota vindicari aut excusari possint: quapropter vitanda erunt à Pictore docto atque erudito. Tale esset, si præclari Martyres *Prothus & Hyacinthus* viri depingerentur, aut, quod dicere intendo, barbati: cùm satis constet, eunuchos fuisse præclaræ Virginis Eugeniæ, cui fideliter inservierant, & cum qua simul Monastico ac virili habitu per longum in monasterio tempus Deo sunt famulati, ut narrant nonnulli ex Historicis Ecclesiasticis, * quos hic transcribere, nec vacat, nec opus est.

* Vide Bar. in Not. ad Martyr. Rom. die Sept.

2 Exaltatę Dominicæ Crucis historiam: pluribus cognitam hic multis enarrare non operępretium existimo. Sed quia aliunde res est admodum illustris, & fortasse quam non omnes observaverint, etiam ii, qui dediti sunt Officiis Ecclesiasticis persolvendis: hic summatim & veluti per compendium attingere non censebitur absurdum. Præstabimus igitur id non aliis verbis, quàm illis quę in huiusmodi solemnitate continentur: néque enim aliis aut verius aut elegantius nos posse facere apertè diffitemur. Illa ergo ita habent: *Chosroas Persarum Rex, extremis Phocæ imperii temporibus, Aegypto & Africa occupata, ac Jerosolyma capta, multisque ibi cæsis Christianorum millibus, Christi Domini Crucem, quam Helena in monte Calvariæ collocarat, in Persidem abstulit. Itaque Heraclius, qui Phocæ successerat, multis belli incommodis & calamitatibus affectus, pacem petebat, quam à Chosroa victoriis insolente, ne iniquis quidem conditionibus impetrare poterat. Quare in summo discrimine se assiduis jejuniis & orationibus exercens, opem à Deo vehementer implorabat: cuius monitu exercitu comparato, signa cum hoste contulit, ac tres duces Chosroæ cum tribus exercitibus superavit.* Hucusque hi-

historia, in Officiis inserta Ecclesiasticis, ut ex probatissimis quibusque Authoribus desumpta. Circa quam, illiusque graphicam expressionem in tabula, plura certè essent, quæ congeri possent, si ea operosius disquirere & minutatim persequi liceret. Sed cum ea plerumque versentur in ornatu picturę adjacente, & circa consuetos Pictoribus anachronismos, quale illud est, quòd in præliis describendis commissis inter Persas atque Heraclium, incognita prorsus ad illud usque tempus armorum & machinarum genera depingantur, aliaque huiusmodi: satius omnia omittenda decernimus. Neque enim is sum, qui mihi persuadeam Opusculo hoc errores & ineptias, quas Pictores, etiam alioqui magni, didicerunt à primis unguiculis, penitus excisurum atque ablaturum. Quod certè præstare nequirent ingentia volumina longè maiori eruditionis & rerum observationis pondere conscripta. Quare ad observatione digniora transeo, quæque magis rem Sacram & Ecclesiasticam attingunt.

3 Cum enim iis partis victoriis ab Heraclio contra Persas eò res devenisset, ut Siroës, Chosroæ filius, qui eidem in Imperio successerat, ablatam atque asportatam in Persidem Crucem Domini restituere cogeretur, illam rursus statuere in eodem templo atque loco unde à Persis asportata fuerat Heraclius. Victor salubriter statuit. Quod pium factum gratum sibi fore, Christus ipse Dominus miraculo comprobavit, commendavitque: quod referre placet, ex eiusdem historiæ verbis, quæ ita habent. *Ergo Crux, quatuordecim annis postquam venerat in potestatem Persarum, recepta est: quam rediens Jerosolymam Heraclius, solemni celebritate suis humeris attulit in eum montem, quò eam Salvator tulerat. Quod factum illustri miraculo commendatum est. Nam Heraclius, ut erat auro & gemmis ornatus, insistere coactus est in porta, quæ ad Calvariæ montem ducebat. Quo enim magis progredi conabatur, eò magis retineri videbatur. Cumque ea re & ipse Heraclius, & reliqui omnes obstupescerent: Zacharias Jerosolymorum Antistes, Vide, inquit, Imperator, ne isto triumphali ornatu, in Cruce ferenda parum Jesu Christi paupertatem, & humilitatem imitere. Tum Heraclius, abjecto amplissimo vestitu, detractisque calceis, ac plebeio amictu indutus, reliquum vię facilè confecit, & in eodem Calvarię loco Crucem statuit, unde fuerat à Persis asportata.* Circa quæ verba nihil est quod specialius annotandum occurrat; dum tamen à Pictore attentius, ut par est, legantur atque intelligantur.

4 Sed mihi Heraclii Romanorum Imperatoris pium atque solemnem triumphum spectanti, temperare non potui, quin huc brevius eiusdem Imperatoris finem atque exitum planè infelicem annotarem. Ergo talis ac tantus Imperator (quę rerum humanarum est inconstantia) erroribus postmodum atque hæresibus turpiter involutus, quam præclara fidei ac virtutis monumenta erexerat, tam postea amissæ pietatis & mentis argumenta reliquit. Circumventus enim fraudibus Pyrrhi Sergii, atque aliorum hæreticorum, quos à dogmate à se ipsis constabilito de unica in Christo Domino voluntate atque operatione, sive energia, Monotheliras appellarunt; primum quidem decretum illud edidit, quod appellavit εκτύπνο, quo dogma impium propugnare est ausus. Deinde eorumdem hæreticorum sese ducem & fautorem præstitit, donec tandem, ut non raro scelus violatæ fidei & Religionis ultrix pœna consequitur, post amissam Romanæ ditionis maiorem in Asia partem, miser interemptus est Antiochiæ in balneo Daphnensi, ut author est Historicus non infimę notæ. * Sed neque solum hoc crimini datum est Heraclio: sed illud quoque, quòd immanem illam belluam, Christianique nominis teterrimum hostem Mahumentum cùm nullo, aut certè facili negotio, antequam vires roburque caperet, potuisset opprimere; non tam fraude atque scelere, quàm ignavia atque socordia suâ fovit, servavitque in non solum Christiani nominis, sed penè in vniversi humani generis perniciem: ut planè, bene, atque scitè exclamaverit elegans Historicus, * dum inquit: *Quibus lacrymis calamitosa posteritas Heraclii segnitiem deploraverit.* Sed nos ad alia: multum enim nos detinuit Heraclii memoria.

* Georg. Cedr. in Compend. Hist. p. 1.

* P. Joan Busieres Historic. Flosc. Areol. 13.

Præ-

5 Præclarè, ut cuncta, de Sancto Cypriano Martyre, atque Episcopo Carthaginiensi sermonem instituens Doctor Maximus Hieronymus, (a) *Huius*, inquit, *ingenii superfluum est indicem texere cum sole clariora sint eius opera.* Quare nec de eius doctrina, eloquentia, fortitudine, quam in controversia contra ipsummet S. Stephanum Pont. Rom. multum diuque agitata satis superque ostendit, quidquam hic memorare placet: nec enim hæc, sed longè alia, multum ab his aliisque huiusmodi disita tractamus. Neque rursus luce ipsa meridiana ostendere nobis est cordi Orationem, sive sermonem de Martyris Cypriani laudibus, quæ extat inter Opera Gregorii Nazianzeni, falsò omnino intelligi aut appropriari posse aut debere huic Africano Præsuli & Martyri Cypriano: hoc enim iam luculenter præstitere viri doctissimi, non nuperos dico & recentiores, qui suspecti fortasse essent nostri sæculi atque ætatis aliquibus doctis; sed veteres etiam, oculatos tamen rerum inspectores, æstimatoresque, qui planè censeant: aut omnino hac Oratione laudari Cyprianum Antiochenum, non Africanum, aut illum cum hoc nonnihil confundi: quod pronum fuit Nazianzeno Græco Scriptori, et qui Latinorum res, non perinde ac suas, notas habuit. Testem, imò judicem, huius rei dabimus purpuratum Card. Baronium: interim videre erit operæpretium quid censeat vir eruditissimus, & qui hanc spartam sibi peculiariter ornandam Interpres Nazianzeni eiusque Operum primarius annotator Jacobus Billius Abbas S. Michaelis, qui post notationes in Orationem de Laudibus Cypriani hæc pari prudentia ac judicio immediatè subiungit. *Hæc ferè omnia ex interpretatione Græca quam brevissimè fieri potuit, in gratiam studiosorum excerpsimus. Ex quibus satis incertus reddor, utrum Cyprianus idem sit, cuius præclarissima Opera Latina extant, cuiusque in Ecclesia amplissima illustrissimaque est authoritas, an quispiam alius potius. Nam duos eo nomine fuisse apud Historicos constat.* Proponit autem consequenter Lectoribus momenta, eaque gravissima, quibus facilè suaderi potest Cyprianum, quem laudibus ornavit Nazianzenus, non esse Africanum Antistitem, sed alium prorsus Martyrem Antiochenum, & qui in Bithynia postmodum martyrium consummavit; cuius memoriam colit Ecclesia VI. Kal. Octobris, aut si aliqua, quamtumvis pauca, ea sunt quæ huic aptari & convenire nequeant; in his Nazianzenum, immo alios Græcos Carthaginensem Antistitem cum hoc Antiocheno confudisse Cyprianum. Quibus positis, sic tandem rem difinit: *Sed si tamen ex plurium sententia decretum ferri debet, esse debet, ut quodam loco rectè censet noster Gregorius, ac secundum eam partem, quę pluribus rationibus nititur, sententia ferenda est: existimarim hac Oratione non Aphrum, sed Antiochenum Cyprianum laudari. Ad eum enim tota ferè Oratio, una cum enarratione Nicetę commodissimè referri potest. Ferè dixi, propter eum locum, in quo Carthaginis, Episcopatusque Carthaginensis mentionem facit, qui Antiocheno Cypriano attribui nequit. Verùm haudquaquam mirandum, si ut in gemellis fratribus, interdum formę similitudine decepti, alterum pro altero accipiamus: ita Gregorius in duobus eiusdem nominis viris, multarumque egregiarum virtutum similitudine coniunctis cęcutiens, seu hallucinatus, Antiocheno nonnulla tribuerit, quæ Aphro conveniebant.*

(a) In Catal. Scriptor. Eccl.

6 Legatur nunc sententia, quam tulit de re hac vir magnus, & cum merita semper laude iam nominatus, Cardinalis Baronius: (b) *Communiter* inquit, *penes Græcos irrepsit, dum hunc Cyprianum cum illo Episcopo Carthaginensi confundunt: qui tamen quam pluribus differentiis distinguuntur ab invicem, nimirum patria, gradu, genere, tempore, actis, & loco martyrii. Fuit etenim hic, de quo agitur, patria Antiochenus, ex Mago Christianus, inde Diaconus, & una cum Justina sub Euthólmio preside temporibus Diocletiani in sartagine positus, Nicomediæ martyrum consummavit: adeò ut ex his pateat, non nisi nomen, & martyrii titulum hunc habere communem cum Cypriano Episcopo Carthaginensi.* Quę etsi prudens præterire statueram, operosius postmodum hic exequenda & transcribenda censui; quòd sint sanè multi, qui quotiescumque legunt aliqua quæ in libris, quos ipsis le-

(b) In Not. ad Martyr. die 26. Sept. & t. 2. Annal. ad A. C. 250. & t. 3. ad A. C. 311.

legere contigit (& sunt quidem non multi) aliter sese habent, ut toto hoc opusculo sese offerunt pluscula, statim corrugant frontem, attollunt supercilium, & obtrudi sibi putant fabulas ab otiosis, aut (quod deterius est) ab Heterodoxis confictas: quos quidem, præter alia multa, vel hoc unum admoneri posset exemplum.

7 Iam quod ad Picturam atque Imaginem Cypriani Carthaginensis spectat, hoc unum annotandum occurrit: Vidisse me martyrii huius descriptionem Cypriani, Pontificalibus ornamentis induti: & quod magis mirandum est, super pedes stantis, opperientisque lictoris ictum, quo cervicem feriendam offert. Utrumque male. Nam quod ad primum attinet; satis constat: exuisse se ipsum cunctis ornamentis, quousque tantum mansit in *linea*; quo nomine fortassis significatur ea quam nunc Albam appellamus: Ita enim habent Acta Martyrii desumpta ex veteribus M.S.(c) *Et cum se dalmatica exspoliasset, & Diaconibus tradidisset, in linea stetit.* Ita alia eiusdem rei Acta. *Perductus*, inquiunt, *gloriosus Martyr, exuit se lacernum birrum, quem indutus erat, complicans & ponens ad genua sua. Dehinc tunicam tulit, & Diaconibus tradidit. Et stans in linea, expectabat spiculatorem.* Quod verò ad corporis situm, nempe quod pedibus consistens suis, collum prębuerit carnifici (ut depictum est in ea, cuius mentionem fecimus, imagine) quamvis probabile visum fuerit viro cuius nomen honoris ac reverentiæ causâ subticeo: & licet hoc utcumque indicare videantur, quanvis confusè admodum, Acta martyrii, quorum nuper meminimus; mihi, ut verum fatear, semper summoperè displicuit. Moveor, facileque adducor in hanc sententiam triplici argumento desumpto, tum à picturis, tum etiam à naturali rerum ordine, tum denique ab scriptorum authoritate. A Picturis quidem: vix enim ulla est, in qua plectendus capite non exprimatur terræ procumbens, & genuflexus, extentoque & magna ex parte nudato collo, & cervicibus usque ad ipsos humeros. Ab ipso agendarum rerum ordine: Nam quis credat hominem, præsertim si proceræ esset staturæ, aut pauló etiam supra consuetam, decollari commodè potuisse erectum supra pedes à lictore gladio vibrato supra cervicem damnati: Credat quisque quod velit: ego certè vix aut ne vix quidem capio. Denique id veluti graphicè depingunt veteres Scriptores, pro quibus sat erit allegare unum, non tam Poetam, quam Historicum: atque is erit Lucanus, qui cum concionem descripsisset Cæsaris ad milites, qui illius castra, signaque deserere non sine tumultu voluerant, hæc ad aliquos ex illis capite plectendos subiungit. (d)

(c) Ut sunt in Editione Pameliana Operum D. Cyprian. an. 1568.

(d) Lucan l. 5. Phars. v. 359.

At paucos quibus hęc rabies auctoribus arsit
Non Cęsar, sed pœna tenet. Procumbite terræ;
Infidumque caput, feriendaque tendite colla;
Et tu, quo solo stabunt iam robore castra;
Tiro rudis, specta pœnas, & disce ferire,
Disce mori. ——————

Quæ adeo clara sunt, ut mihi videatur, velle aliis testimoniis confirmare, nihil aliud esse, quam supervacaneam atque inanem perdere operam. Neque verò (ut vel hinc minutus eximatur scrupulus) moveat aliquem, quod in martyrio pręclaræ Virginis Agnetis, prout refertur à B. Ambrosio, dicatur caput tenellę virgini amputatum super pedes stanti, verbis illis: *Stetit, oravit, cervicem inflexit, &c.* Fatebimur enim non gravatè, quod quando capite plectebantur minora corpuscula, fieri potuisse, ut vel lictores ipsi, quo expeditius rem exequerentur, monerent, ut stantes se continerent puellæ atque parvuli. Agneti verò hoc convenire quis ambigat, de qua idem scriptor pius iuxta atque elegans præmiserat: *Fuit ne in illo corpusculo vulneri locus? & quæ non habuit quo ferrum reciperet, habuit quo ferrum vinceret.* In Cyprianum verò aliosque viros hæc subinde non quadrant. Quare usitato & recepto modo satius & convenientius est ut depingatur Cypriani martyrium.

8 Rem miram & planè sensibus humanis imperviam Dominus ostendit, cum in servo suo humillimo iuxta, atque amantissimo Francisco Passionis & vulnerum suorum impressit & renovavit insignia. Hanc verò viri sanctissimi Vitæ eius scriptor Sanctus Bonaventura, quem postmodum sequuti sunt pleriquè alii, tam eleganter & graphicè descripsit; ut Pictoribus etiam non eruditis viam complanaverit describendi hoc egregium Christi Domini erga famulum suum Franciscum testimonium. Et quidem ex hac ipsa historia nos supra conati sumus nō infeliciter evincere Christum ipsum Dominum, non tantum tribus, sed omnino quatuor clavis sanctæ Cruci fuisse confixum. Restat igitur ut illud hic obiter annotemus, quod olim, non quidem semper, sed aliquando, semelque atque iterum depictum observavimus: nempe Sanctum ac planè Seraphicum virum Franciscum, non suis consistentem pedibus, neque rursus fixis humi genibus (quod ægrè admodum ac difficulter concipi atque explicari potest; factitarunt autem nimium imperitè Pictores vulgi) sed in aëra sublimem, radiis ac fulgoribus circumquaque circumseptum, extatico quodam impetu atque motu sublatum, objici oculis debere. Quod quidem, præterquamquod ita descripserunt Pictores exactioris iudicii; ipsius facti natura persuadet: aliter enim (si aliter aliquis conetur & instet apprehendere) quomodo concipi possunt lucis spicula pervenire ad pedes hominis, qui solo hæreat poplitibus flexis atque humi defixis? Maneat igitur hic describendi atque effigiandi modus, ut multò aptior, magisque verosimilis. Quod etiam (ne id relinquamus indictum) mirari nemo debet in Beatissimo, Christique amicissimo Francisco, qui (quod eius Vitæ Scriptores testantur) huiusmodi extases atque raptus adeò frequenter patiebatur, ut sæpenumerò visus sit, perinde ac si nullâ terreni corporis mole gravaretur, à pluribus sublimis in aëre consistens, tam sublimis à terra; ut etiam altiorum ac magis procerarum arborum summitates excederet.

9 Præclarissimum Præsulem atque Archiepiscopum Valentinum Thomam de Villanova complures viri, tam sui Augustiniani Ordinis, quàm aliorum etiam, eximiis, quamquam omnino meritis laudibus & encomiis prosequuti sunt, immò etiam prosequuntur æternùm duratura eiusdem insignis pietatis atque doctrinæ monumenta: ut proinde non hic necesse sit multis immorari; præsertim rem nostram atque instituti operis tractantibus argumentum. Pingitur itaque persæpè ornatus Pontificalibus insignibus. Non hoc male: quanvis aliunde certum sit, ipsum extra sacrorum celebrationem non solum consuevisse usitatis Episcopis Regularibus vestes omittere, aut iis non ullo modo uti Cruce, ut vocant, Pectorali annuloque contentum, non ignobilis extat adhuc effigies: sed in suo etiam privati Religiosi habitu paupertatis atque humilitatis semper extitisse cultorem eximium. Usu etiam receptum est, eumdem pingi atque proponi sua ipsius manu stipem egentibus erogantem. Neque hoc vitio vertimus; quamquam magis probemus id pietatis & misericordiæ officium, quod suæ virtutis & sanctimoniæ extitit insigne, ut suo Ecclesia ipsa suffragio concelebrat: adeo ut de hoc uno singulare iure merito proferatur elogium, illis contentum verbis: *Eleemosynas illius enarrabit omnis ecclesia sanctorum.* Probamus, inquam, magis, quod id munus depingatur exequens per manus familiaris alicuius, ut certè ipsi consuetum fuit atque usitatum.

10 Pingunt etiam eumdem eximium sanctitate virum Maioris Divo Ildefonso sacri Collegii Complutensis Academię, immò quod Academiam ipsam Complutensem complectitur, alumni, ornatum chlamyde atque trabea. Verè id quidem; ac meritò; cum in illud pręcipuum doctrinę ac nobilitatis domicilium Maiusque Collegium ab ipso Fundatore nullis non laudibus dignissimo Francisco Ximenio Archiepiscopo Toletano inter primos sodales fuerit cooptatus, ut ostensum est ab ipsis Collegis Romæ, comprobatumque antiquitatis irrefragabilibus monumentis: inter quæ non postremum obtinet locum, quod adhuc superest receptionis & admissionis intra idem Collegium scriptum, sua ipsius Thomæ consignatum manu, quâ se nominat, non quidem Thomam à

Villanova, sed Thomam Garcia, sumpto gentilitio agnomine ab ipso parente, qui Alphonsus Thomas Garcia, dum in vivis esset, fuit vocatus, Fontis-plani, Archiepiscopatus Toletani oppidi civis nobilis; quamquam Thomas filius, de Villanova postmodum nuncupatus sit, ob pueritiam & iuventutem innocentissimè transactam in nobiliori ac ampliori oppido, quod vocant Villanueva de las Infantas: quod retinuit cognomen quoad vixit, postquam amplexus est Salmanticæ Augustinianorum Eremitarum Institutum.

11 Observavi denique in plerisque Thomæ Imaginibus, depingi eumdem integræ velut ætatis, qualis esset hominis quadragenarii, nullis prorsus senectutis characteribus, neque resperso canis capite. Verum iuxta regulam superius traditam, non ita deberet depingi, cum vir Sanctissimus mortalitatem exuerit: natus nēpe annoChristi M.CDLXXXVIII. denatus vero MDLV. quæ quidem ætas licet postremam & consummatā non attingat senectutem; ad illam tamen propius spectat atque pertingit.

CAPUT X.

IMAGINES ET PICTURÆ SANCTORUM Matthæi Apostoli & Evangelistæ, Deiparæ Sanctissimæ Fundatricis atque Institutricis Ordinis eiusdem nominis de Mercede Red. Captivorum: Cypriani & Justinæ: Cosmę & Damiani Martyrum: & Hieronymi Ecclesię Doctoris.

1 I quæ multa dicenda occurrunt de Sancto Matthæo Apostolo & Evangelista effuso calamo persequi vellemus, transiliremus profecto propositi instituti metas; cum haud pauca dicenda essent, quæ vel historiam Ecclesiasticam, vel Theologiam, quam Expositivam vocant, fines immediatius attingunt. Insistamus igitur inceptis. Et quod ad Imagines Picturasque attinet S. Matthæi Apostoli atque Evangelistæ, illud in primis ante oculos habendum est, depingi debere non juvenem, ut excogitarunt aliqui, sed planè senem septuagenario fortasse maiorem. Cum enim obierit anno vulgaris Eræ Christianę 70. ut communis fert opinio; constetque aliunde, vocatum esse à Christo ad munus Apostolicum, non juvenem, ut in Joanne Apostolo, ut communiter docent Evangeliorum Interpretes; & ex eo evincitur, quòd Publicanus erat tractatorque negotiorum sæculi & rationis vectigalium; quæ omnia vix cadere possunt in hominem adolescentem: fit consequens, & verosimile, fuisse eumdem ætate æqualem temporali ipsi Christo, qui annum agebat mortalis vitę, cùm Matthæum vocavit, primum supra trigesimum, aut paulo minus. Quod si nonnihil etiam admittatur senior, ut à vero non admodum abhorret; fiet septuagenario etiam maiorem, ut innuebamus, describi debere, ac depingi.

2 Receptum verò cum sit ab Ecclesia communiter, omnes prorsus Apostolos, prętet unum Ioannem Evangelistam, vitam cruento finivisse martyrio, quamquam de hoc non defuerint qui dubitasse videantur, etiam inter antiquos: appingenda Matthæo erunt insignia & tormenta martyrii. Qualia verò hæc esse debeant, difinire non erit facile: cùm hæc, aliaque plura, tuto peti vix aut nequaquam posint, nisi fortè ex scriptis confictis & apocryphis, qualia certe sunt, quę nomen præferunt Abdiæ Babylonii, aliorumvè huius atque eiusdem, si qui sunt, furfuris. Communiter verò describitur cum se-

securi, qua lethaliter percussus fuerit, dum ad altare sacra mysteria celebraret, ut habet eius Officium Ecclesiasticum. Quare non temerè recedendum est ab hac iamiam recepta ratione pingendi.

3 Cuivis autem etiam non erudito Pictori pervium est depingi debere cum libro: non solùm quòd hic insigne sit Apostolicæ doctrinæ, propagatæque fidei, quod certè commune est reliquis Apostolis, ut non semel monuimus; sed quia Matthæus adjunctum habuit Evangelistæ munus. Ille enim inter reliquos Apostolos discipulosque Christi, aut certè omnium prior, Jesu Christi Domini vitam doctrinamque Divinam literarum monumentis tradidit, quam etiam primus nominavit Evangelium, sive, quod idem est, bonum atque felicem nuncium, ob rationes, quas sapienter exponit Chrysostomus. * Ipsum autem Divinum Evangelium conscribenti apingitur, adjungiturque formosa facie Angelus: quos inter quatuor illa mystica animalia, quæ sunt ab Ezechiele descripta, primum locum Matthęus, sive faciem hominis, teneat, ut præter alios plures docent D. Augustinus atque Hieronymus. Et hæc perstrictim dicta sufficiant circa Imaginem Sancti Matthæi.

* Hom. 1. in Mat.

4 Pervenimus jam favente Deo, ad locum, ubi non aliena, aut aliis communia, sed omnino propria ac nobis peculiaria agere & tractare convenit. Acturi enim sumus (quantum ad institutum nostrum spectat) de Revelatione atque Apparitione Sacratissimæ atque Intemeratę Virginis Marię, qua se conspiciendam dedit, voluntatemque Filii sui, ejusque erga afflictos Captivos pientissimum affectum dissertis verbis ostendit, ut novum, ingens, amplum, eximium, omnique encomio maius fundaretur atque erigeretur Charitatis Opus; nempe Ordo plane Regius ac Militaris Sanctæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum. Ut enim est Augustissima mundi Cęlorumque Regina, ipsiusque Dei optima Parens, atque hominum (præsertim Christianorum) Mater benignissima; ita semper eorumdem bonis & commodis tenerrimo suavissimoque animo suis clementiæ ac misericordię oculis indefessa prospexit. Quis verò nesciat miserandam ac planè deplorandam habendam atque ęstimandam esse sortem illorum, qui Christianis sacris imbuti, sub impuri atque nefarii Mahumeti asseclis in ergastulis, tetrisve carceribus vincti, contusique pugnis atque fustibus, haud secus atque irrationabilia, pessimeque habita, atque tractata jumenta, ab omni prorsus humanitate alienam serviunt servitutem? Non hæc multis (quod facile esset efferre) amplificare, ornareve Rhetorum more velle aut posse nobis est animo; quamquam omnino impar esset oratio rebus ipsis: præstatque potius credere expertis, vel iis etiam, qui talia, non sine gemitu atque lacrymis, hausere oculis. Sed bene est, quod erga hos potissimum Dei Mater augustissima, *Tot & tantis benigniter occurrens malis, nimiam charitatem suam in his redimendis ostenderit.* Nam (verba sunt Ecclesię, quæ, relictis pluribus, ex Ecclesiastico Officio * transcribere placuit) *Sancto Petro Nolasco pietate & opibus florenti, qui sanctis vacans meditationibus iugiter animo recogitabat, qua ratione tot Christianorum ærumnis sub Maurorum captivitate degentium succurri posset; ipsamet Beatissima Virgo serena fronte se conspiciendam dedit, & acceptissimum sibi ac Unigenito suo Filio fore dixit, si suum in honorem institueretur Ordo Religiosorum, quibus cura incumberet captivos è Turcarum* (hoc est Infidelium Saracenorum) *tyrannide liberandi.* Hucusque Ecclesiasticum Officium in prædicta solemnitate, quantum ad institutum scopum attinet.

* 24. Septemb. in Lect. prima 2. Noct.

5 Igitur in huius rei Pictura (quæ frequens hodie est, fuitque etiam à primæva Ordinis Institutione, ut videbimus) nemo scrupulosus, opinor, aut sciolus tamquam errorem notet, aut vitio vertat, quod Sacra Deipara albis splendentibusque omnino vestibus, formaque Habitus, quem gerimus, depingatur. Etenim præterquamquod in aliis, tam eiusdem Sacratissimæ Deiparæ, quam Sanctorum Angelorum apparitionibus nihil verius sit, quàm vestibus albis, fulgentibus atque splendentibus indutos humanis obtutibus se objecisse, ut ex testimoniis irrefragabilibus, &, quod longe majoris ponderis est, Sacræ Scripturæ pers-

perspicuis dissertisque verbis ostendere promptum erat; in tam insigni Divæ Virginis apparitione atque Descensione repræsentanda nihil commodius, immo verius fieri potest, quam eamdem vestibus omnino albis, splendentibus, ac regiam majestatem præ se ferentibus depingere. Enimvero hoc plane modo ornatam fulgentemque se conspiciendam præbuisse Charissimo suo Nolasco, sanctis meditationibus vacanti, utpote candidę fulgentisque sobolis futuro Parenti; res est adeo manifesta, ut nullis egeat rationum ac disputationum auxiliis. Relictis igitur pluribus, quæ ad rem hanc illustrandam congeri possent, duobus tantùm contenti erimus, non quidem vulgaribus, neque dubiæ ac sublestæ fidei. Primum erit testimonium viri ejusdem Ordinis planè antiqui, sacræ ac Civilis literaturæ, necnon & amœniorum disciplinarum studiis ornatissimi (ita planè eum nominat V.Cl. D. Nicolaus Antonius *) Is est *F. Petrus de Cixar*, vel (ut aliis placet) *Sitjar*, qui claruit circa annum M.CDXXII. In Opere enim, quod hoc titulo prænotavit, *Opusculum tantum quinque*, editum Barchinonæ an. 1481. sermonem instituens *de Fundatione Ordinis*, * hæc habet. *Quadam autem vice, cùm sic perseveranter orationibus instaret, apparuit ei illa peccatorum propitia advocata*, vestimentis miro modo candidissimis adornata; *portans in ulnis suis filium suum pretiosissimum humani generis Redemptorem, quę allocuta est ei sic: Charissime mi devote, fletibus tuis, & indesinente oratione tua commotus est animus meus ad compatiendum captivis Christianis, de quorum captivitate afflictus manet & tribulatus spiritus tuus. Quare amodo lætare & desiste à lacrymis: adeo quia à dilectissimo Filio meo obtinui, quod fiet una nova Religio in hac Civitate, cuius fundator erit nobis dilectus Rex Aragonum. Hujus Religionis titulus erit Sanctæ Mariæ de Mercede, cuius Fratres redimient, & liberabunt Christianos Captivos à tyrannica potestate inimicorum fidei orthodoxæ: propter quod magnam consequentur mercedem coram Filio meo.* Hucusque vir præclarus; ut proinde in re hac nullus ambigendi locus remaneat lectori sincero atque pio.

* In Bibliot. Vet. Hisp. t. 2. pag. 200. n. 652.

* Fol. 16 pag. 1.

6 Alterum quod supra indigitavimus est antiquissima eiusdem Sacratissimæ Matris pictura, quæ quatuor circiter abhinc seculis extat Gerundæ in quodam Sacello, quod à priscis temporibus Inclyto Christi Martyri Serapio, eiusdem Ordinis præclaro atque illustri ornamento pia fidelium veneratio construxit. In eo, inquam, sacello super Aram maximam collocata est Pictura Sacratissimæ Virginis Mariæ de Mercede: eo planè modo atque ornatu, quo eam hodie in iconibus atque Imaginibus passim descriptam veneramur: albis nempe vestibus, atque eisdem similibus, quibus eius alumni filiique utuntur; eiusdem Ordinis stemmate insignita, pansis hinc inde brachiis, subque eius pallio plane regio, plures tam eiusdem sui Ordinis filios, quam principum ac Pontificum insignibus ornatos conspicuosque viros benigne fovens ac protegens.

7 Ex quibus omnibus maturo judicio pensitatis plane intelligitur, tum usus, qui à primis Religionis temporibus semper viguit sic depingendi & effigiandi, tam eiusdem Apparitionis, quam alias Sacratissimæ Virginis de Mercede Imagines atque Picturas: tum etiam, quantum ad rei veritatem atque rationem exacti atque periti se gesserint in hac Pictura describenda ipsi Artifices atque Pictores. Hæc tamen cum ita sint, non defuerunt aliqui, etiam non vulgares, qui secus fecerint: quod à me sæpè notatum memini Salmanticæ, atque in hoc Matritensi Cœnobio in quadam sat patenti pictura; ubi Sacra Deipara decenti quidem majestate, sed consuetis prasini atque purpurei coloris vestibus repræsentatur ab elegantis artificis manu depicta, * sed à rei veritate nimis aberrante: nam præter vestium atque Habitus incongruentiam, stemma, sive scutum prædicti Ordinis, qui nondum erat, & de cuius fundatione cum Nolasco agentem Sacram Deiparam repræsentabat, eidem Sacratissimæ Reginę in pectore affinxit bonus alioqui Pictor, sed in hac parte nimium delusus. Aliæ tandem eiusdem Revelationis atque Apparitionis imagines cernuntur, in quibus rei veritas melius atque aptius describitur; ipsa enim Dei hominum-

* Eugenius Caxès.

numque Parens piissima, partem illam vestis quam Scapulare vocamus, manu præfert, Magnoque Parenti Nolasco veluti porrigit: quo non incongruè ostenditur huiusmodi apparitione ac revelatione præmonstratam fuisse Nolasco institutionem, fundationemque Sacri, Regii, ac Militaris Ordinis, quem postmodum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum bono atque optimo jure tanti operis institutrici cognominare placuit.

8 Et quoniam huc devenimus, abs re non erit aliqua saltem perstringere de eiusdem Ordinis equestri ac militari habitu. Etenim præterquamquod huius Instituti Militia à primo nascentis Ordinis exordio toti Christiano orbi luculentissime innotuit non solum rebus præclarè gestis, & antiquitatis monumentis, sed etiam eorumdem equitum Picturis, quas passim, sed non adeo exacte ut par est, descriptas videmus: hodie tamen magis ac magis veritatis studiosis atque amatoribus meridiana luce clarius effulget, ut vix aut ne vix quidem supersit qui sententiam hanc propria consensione atque suffragio non confirmet. Ipsi certe in Apologia quam edidimus pro Religioso statu Sancti Petri Paschasii Valentini pluscula in rem hanc, non tam congessimus, quam selegimus, aut potius gustanda delibavimus, quę satis superque sunt, opinor, ut cordatus quivis, pravisque opinionibus non præventus huic Instituto Militari Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede manus libens det, & assensum. Sed quod bonum, felix, faustumque sit, rem hanc aliunde per se notissimam notiorem fecit Religioso ac literario Orbi vir impensè doctus atque eruditus, & in hujusmodi antiquitatis monumentis, si quisquam alius, optime versatus R. P. M. Fr. Emmanuel Marianus de Ribera, Ordinis Generalis Historiographus, & post alia munia Aragonum Provincię semel atque iterum Provincialis: is enim anno 1727. immortale opus conscripsit, typisque mandavit Barchinonæ, quod prænotavit hoc titulo, *Centuria primera del Real y Militar Instituto de la Inclita Religion de Nuestra Señora de la Merced, Redencion de Cautivos*; in quo quidem sedulo excussis, in lucemque prolatis regiis tabellionum testimoniis, antiquioribusque instrumentis, rem hanc tam accuratè ac feliciter exequitur, productis, æreque incisis iconibus priscorum Equitum atque Sacerdotum prędicti Ordinis, ut nihil supra. Proinde Lectorem aut Pictorem, qui de eorumdem Pictura studiosius & exactius erudiri velit, ad prędictum Librum consultius remittimus, * nobis enim diutius immorari non licet.

* Vide Pręfat. eiusdem lib. prop. fin. & §. 10. p. 59.

9 Cyprianum & Justinam Martyres colunt tam Gręci, quam Latini. In quorum Imaginibus illud præcipue cavendum esse, iam superius annotavimus, agentes de Imaginibus Sancti Martyris Cypriani Antistitis Carthaginiensis; ne scilicet proponatur hic Martyr Cyprianus socius Justinæ cum Pontificalibus insignibus. Tametsi enim Græci non satis gnari rerum Latinorum, hunc Martyrem cum Cypriano Africano Episcopo confuderint, inter quos (nec enim id mirum esse debet) cum aliis lapsus est magnus alioqui vir atque Pater Sanctus Gregorius Nazianzenus: tamen omnino fuisse distinctos, supra aliunde probatum est. Probationes itaque, & quidem evidentes, quæ id manifestissimè evincunt, repetere hic iterum non placet, nobis præsertim, quibus numquam est cordi actum agere, & quod proverbio lepidiori dicitur, bis unam atque eamdem crambem recoquere.

10 Cosmam & Damianum præclarissimos Christi Martyres natione Arabes, professioneque Medicos, & qui, ut de iisdem refertur in Ecclesiasticis Officiis, non magis Medicinæ scientia, quàm Christi virtute, morbis etiam insanabilibus medebantur, nemo est qui nesciat: quippe qui non solum in Ecclesia sed etiam in diversis Christiani Orbis partibus ac locis præcipua religione coluntur: & quod prętereundum non est, in sacrosancto Missæ Sacrificio nominantur. Quare nihil hìc attinet de eorum rebus gestis atque passione disserere. Quod verò ad eorum Imagines spectat, proditor veritatis, illique injurius apud meme-

tip-

tipsum censeret, si absurdi, quod à puero observavisse satis memini, mentionem non facerem. Vidi etenim non uno in loco præclaros hos Christi Martyres hoc fere modo in picturis, immo & in aliis iconibus descriptos. Caput ostendunt obtectum parvo galericulo, quem ornat flosculus sericus aurati coloris aut pallidi: similiterque humeros tegunt caputio illo, quem Hispanicè loquentes nominamus *Capirote*, serico etiam & coloris pallidi: ad eum prorsus modum, quo in nostratibus Academiis professores ac Doctores Medici insignia gestant Doctoratus. Nihil hic moror. Tametsi enim hujusmodi insignia Doctorum recentiora longè sint quàm ferat ætas in qua viguerunt præclari Christi Martyres Cosmas & Damianus: pictores tamen, præsertim ii qui censentur aut non docti, aut eruditi, susque deque habent, facilè respondebunt: hac solùm huiusmodi ratione pingendi denotare velle Sanctos Cosmam & Damianum Medicos fuisse: alia prorsus nihil ad se. Sed non hic sistit absurditas. Pingitur enim eorum alter, instrumentum illud manu preferens, quod ligulam vocant Aromatarii, aut spatulam, magis recepto in vulgus vocabulo, veluti facturus ægro cataplasma. Neque hoc damno: res enim indecens non est: & scimus, veteres Medicos, etiam temporibus heroicis, multò plus studiosos fuisse Artis Chirurgicę, quàm Medicinę, ut eiusdem professores vocant Rationales. Sed quis ferat, quòd eorum alter depingatur, etiam in ipsis aris, gestans matulam rubro lotio, quale consuevit esse eorum qui febribus premuntur, refertam? O somniantis cerebri delirium, & prorsus intolerandam absurditatem! Itane verò, ut denotetur Christi Martyr, prætereaque nobilis, ut Medicinæ scientiâ præcellens, pingenda res est, etiam in ipsis (ut aiebam) altaribus, cuius vocabulum palam usurpare, ne in ipsis quidem colloquiis graviores atque honestiores homines non pronuntiant? Quid? quod vetustiores Medici, immò & ipsi principes Medicinæ, non multam, aut sanè parùm accuratam rationem habuere huius, ut ipsi vocant, indicantis, nempe lotii, sive urinę: quod me audivisse memini à Medicis præstantibus: ipse enim harum rerum aut parùm scius, aut prorsus ignarus? Igitur aliam deberent rationem inire Pictores, ut denotarent, alterum horum Sanctorum Martyrum professione Medicum extitisse.

11 Mutuare lumen Soli, veteri proverbio notatus est is, qui rem per se evidentissimam sermone conaretur ostendere. Quid verò, rogo, aliud ageret, qui Magnum, immo Maximum Doctorem Ecclesiæ Hieronymum extollere niteretur laudibus & encomiis? Nil aliud profectò: ea enim est viri claritas atque præstantia, ut quod de virtute ipsa cecinit non postremus inter Poëtas, de eâdem dici possit,

Nil opis externę cupiens, nil indiga laudis;
Divitiis animosa suis.

Quare ad id quod nostri numeris est succintè ac breviter accingimur. Pingitur communiter Maximus Doctor senex, caducus penè ac capularis. Neque id immeritò: quamquam enim senium illud non attigerit, quod non solum Pictoribus, sed aliis etiam placuit impensè doctis atque eruditis, hoc est annorum duorum supra nonaginta: tamen ad ætatem admodum provectam, & quam decrepitam vulgò vocant, pervenit, vixitque in terris senex cælo dignissimus. Quo tempore, hoc est, cùm esset duobus annis maior nonagenario, scripsisse dicitur præclarum illum libellum *de Scriptoribus Ecclesiasticis*: quod & ipsi aliquando putavimus; re tamen, ut sæpè contingit, plenius ac maturius excussâ, sententiam iuxta sapientis monitum, mutavimus. Igitur ut summatim hanc Chronologiæ rationem (quę suis difficultatibus non caret in Historia Ecclesiastica) attingamus, Maximus Ecclesiæ Doctor Hieronymus obiit anno Christiano CDXXII. ætatis verò suæ anno primo supra octogesimum. Quà de re præclarè ut assolet, disseruit Cardin. Baronius: * post quem videndus venit multæ prorsus lectionis atque eruditionis vir R.P.F. Josę

* Tom. 4. Annal. an. 6. Damasi Papæ. Vide eumd. in not. Martyro. ad die 30 Sept.

Josephus Siguenza in vita eiusdem Doctoris Maximi capite omnino ultimo. Quod satis sit, ut habeatur ætatis ratio, in qua Doctor Maximus decesserit, & cuius fermè debeat ab eruditis Pictoribus depingi.

12 Quod ad alia verò attinet, pingitur Monachus: quod quidem quantum ad rem vocabulo significatam, certo certius est: cùm id ipse de se ipso prædicet, non uno, sed pluribus locis. An verò propter id eo habitu sit depingendus, quem gestant viri Religiosissimi atque observantissimi, qui eius nomen magni atque amplissimi honoris causâ præ se ferunt; qui certè habitus albâ prorsus tunicâ, pallioque caputio atque scapulari (ita enim vocamus) omninò constat: Non id existimo. Etenim ut alia omittamus, quæ certè sunt prolixioris, abstrusiorisque indaginis, non hoc habitu, inquam, usi sunt Orientales Monachi, apud quos commoratus est Maximus Hieronymus. Sed cur hoc multis suadere velimus? Pingitur (quod magis est) vestitus atque ornatus purpurâ, quâ hodie utuntur Reverendissimi atque Eminentissimi D. D. Cardinales: quòd, inquiunt, ipse Presbyter Cardinalis fuit, regente Ecclesiam Sancto Damaso. At quis non videat, multa hîc congeri, quæ si pro merito discutienda essent, severius examen exposcerent? Nos verò non hunc laborem suscepimus, ut videremur acriores Critici, & rejiceremus quæ passim recepta videntur, etiam apud vulgus eruditorum. Ac certè quod Hieronymus Presbyter Cardinalis S.R.Ecclesiæ fuerit, licèt mordicus tueatur atque defendat laudatus supra Author, vitæque Hieronymi Scriptor, (e) non placet eruditissimo Scriptori, quem Cardinalem fuisse nemo est qui dubitet. (f) Sed nolo funem contentionis trahere, neque huius originem dignitatis amplissimæ altius repetere. Sit etiam per me, fueritve Maximus Hieronymus Cardinalis Presbyter: num ideo aliquando vestitus est purpurâ? Quasi verò ignotum sit lippis etiam, quod aiunt, & tonsoribus, quòd purpuræ usum concesserit huius Eminentissimi gradus viris Ecclesiæ seculo tertiodecimo Innocentius Papa IV. anno scilicet Christi MCCLIV. Ita planè. Sed quid hæc (inquiet aliquis) ad Pictores, qui vix aut ne vix quidem indicare possunt, Sanctum Hieronymum fuisse Presbyterum Cardinalem, nisi illum pingant amictu purpureo, aut pendente etiam ex pariete galero purpureo? Dixi nuper iterumque dico, me non hæc studio partium, aut contentionis amore scribere: quare pingatur Maximus Hieronymus ut velint viri docti, atque appingantur illi Eminentissimæ huius dignitatis insignia.

(e) Lib. 3. c. 6. per tot.

(f) Baron. ann. t. 4. ad ann. Chr. 378. & an. 382

13 Sed cur, rogo, pingatur, frequenter tam nudus, atque aliquando penè indecens? Fundarine hoc potest in vera ipsius Historia, aut in abstrusioribus notitiis Ecclesiasticis? Ita etiam, dicet aliquis. Namque ipse Sanctus Doctor se ipsum describens in eremo Bethlehemitica commorantem, (g) *Horrebant*, inquit, *sacco membra deformia, & squalida cutis situm Æthiopicæ carnis obduxerat.* Quæ quidem ut oculis subjiciantur tergi atque pectoris nuditas oculis objicitur. Sed vana excusatio prætenditur: quasi non posset hic mutati coloris habitus in vultu ipso & collo sat ostendi. Sed Pictores Pictorum rationem habent, & non aliorum quorumcumque spectantium. Ita inquiunt! Nam sic pinxerunt nostræ Artis professores præstantissimi. Certè ille Jacobus, dictus ab Italis Tintoretus (& erat hic senilium corporum præstantissimus planè descriptor) non semel Imaginibus expressit Maximum Hieronymum, sed semper eâ nuditate, quę non deceret virum ac Doctorem gravissimū, quamque ego nolo operosius describere; ne dum id non approbo, in idem recidam absurdum. Quare, me monitore, satius erit ut modestus atque eruditus Pictor in iis, de quibus supra in suo loco non pauca, * modum ingenio ponat atque industriæ.

(g) Epist. ad Eust. de Custodia virg. t. 1. ep. 22 non lōgè à princ.

* Sup. lib. 1. c. 4.

14 Quòd frequenter pingatur genuflexus, vultuque multo lacrymarum imbre manante, valideque pectus contundens, probari omnibus potest & debet: desumptum enim est ex loco nuper allegato; qui, quòd dignus sit ut à cunctis habeatur præ oculis, ab re non erit si transcribatur integer: ita enim habet. *O quoties ego ipse in eremo constitutus, & in illa vasta solitudine, quæ exusta Solis ardoribus horridum Monachis præbebat habitaculum, putabam me*

Romanis interesse deliciis! Sedebam solus, quia amaritudine repletus eram. Horrebant sacco membra deformia, & squalida cutis situm Æthiopicæ carnis obduxerat. Quotidie lacrymæ, quotidie gemitus: & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia collidebam. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipse damnaveram, scorpionum tantum socius & ferarum, sæpè choris intereram puellarum. Pallebant ora jejuniis, & mens desideriis æstuabat in frigido corpore: & ante hominem suum iam carne præmortua, sola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio destitutus, ad Iesu jacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia subjugabam. Non depudesco infidelitatis meæ: quin potius plango me non esse quod fuerim. Memini me clamantem diem crebrò iunxisse cum nocte, nec prius à pectoris cessasse verberibus, quàm rediret Domino jubente tranquillitas, &c. Hucusque vir sanctissimus, neque minus eruditione atque elegantiá, quàm pietate & ferventissimo erga Christum amore commendabilis. Pictores autem nostri, ut sunt fermè rerum amplificatores, illa pectoris verbera, aut tunsiones contenti non fuerunt pugno, aut collectis digitis sibimet inflixisse Hieronymum; sed præduro lapide armavisse manum, quo senile pectus tutudisse describunt, idque usque ad sanguinis effusionem: cùm hæc, similiaque longè facilius sit pingere, quàm facere. Cæterùm neque id carpere aut reprehendere ausim: quippe vereor, ne aliquis mihi jure vel injuria succenseat.

15 Denique quod ad ornatum attinet Picturę, risi sæpius, aut potius deploravi, Pictorum inscitiam atque ineptiam; quà factum est ut D. Hieronymum ea causâ quòd illum, aut legerint, aut audiverint, vixisse valde senem, & multum studiis lectionique temporis dedisse; conspicillis ornatum aut armatum depinxerint. Nempe nesciunt machinulam hanc, quæ juvandę oculorum aciei, pręsertim in senibus, aut utilissima est, aut planè necessaria; inventum esse ferme mille annis Hieronymo posterius. Non est hic de re hac minutiori, de qua superius nonnulla delibavimus, opportunus disserendi locus. Hoc interim constanter assero, conspicillorum, aut oculariorum (ita enim sunt qui vocent) usum, aut prorsus ignotum fuisse antiquis, aut saltem minus cognitum, quàm par erat, ut illa appingantur Hieronymo. Verum est, illum in provecta iam senectute minus valuisse oculorum vi, quam in libris inspiciendis ac pervolutandis multum, ut credere facile est, imminuerat. Qua de re ad eamdem Virginem Eustochium scribens, illud habet: (h) *Accedit ad dictandi difficultatem, quòd caligantibus oculis senectute, & aliquid sustinentibus beati Isaac, ad nocturnum lumen nequaquam valeamus Hebræorum volumina relegere: qui etiam ad solis dieique fulgorem literarum nobis parvitate cæcantur.* Verum, inquam, est hoc: sed non idcirco (quæ mea est sententia) appingendi sunt Beato Hieronymo conspicilli; ne eruditiorum hominum oculis (neque enim semper rudibus & rusticis Picturæ proponuntur) paretur offendiculum. Pingitur ei etiam tuba auribus eius, horrendum quiddam insonans: quòd converso ad illam vultu intentum studiis animum terreat. Nulla hoc certè reprehensione dignum: notat enim, quòd quilibet etiam ex rusticis adverterit extremi judicii tubam, quæ in vigilantissimi viri auribus sæpius insonabat, ut ipsemet testatur.

(h) Præfat. lib. 7. in Ezech.

16 Ingens tandem, & bene jubatus Leo appingitur frequentius Imaginibus viri sanctissimi. Circa cuius causam in re hac, in qua versamur, author insignis multa, atque (si dici fas est) nonnihil aliena ab instituto comminiscitur. (i) Censemus itaque, non aliud in Hieronymi Imaginibus appicto leone notari, nisi quod Maximus Doctor fuerit per annos saltem plusculos solitudinis vastęque eremi longè ab hominum commercio sejunctus cultor, habitator, atque incola. Quibus siquis adjiciat vitæ viri maximi austeritatem severitatemque, satis superque notum fiet, qua ratione leo illius Imaginibus adjiciatur. Atque hæc quidem satis videbantur ad illustrationem Imaginum Doctoris Maximi. Verum enim verò quoniam notum est, vel ipsis pueris, quod eidem Hieronymo accidisse traditur; & hoc de-

(i) Mol. lib. 3. cap. 24.

depictum alicubi à præstantis Pictoris manu spectaverimus: liceat in hujus rei narratione nonnihil immorari.

17 Pingitur igitur senex sanctissimus ante tribunal Christi Domini in faciem procumbens, nudato prorsus tergo, quod duo Angeli hinc & inde non segniter verberant. Quâ Imagine illud oculis objicitur, quod de se ipso narrat ille eleganter & luculenter, si quidquam aliud. Cum enim descripsisset prius vehemens atque ardens studium quo tenebatur legendi atque versandi seculares literas illis verbis; (K) *Miser ergo, lecturus Tullium jejunabam, post noctium crebras vigilias, post lacrymas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus eruebat, Plautus sumebatur in manus, si quando, in memetipsum reversus, Prophetas legere cœpissem, sermo horrebat incultus*: subjungit postea malum illud quodcumque erat, suo ipsius luisse damno. Sic enim habet: *Subitò raptus in spiritu ad tribunal Iudicis pertrahor: ubi tantum luminis, & tantum erat ex circumstantium claritate fulgoris, ut projectus in terram, sursum aspicere non auderem. Interrogatus de conditione, Christianum me esse respondi. Et ille qui præsidebat, Mentiris, ait; Ciceronianus es, non Christianus, Ubi enim thesaurus tuus, ibi & cor tuum. Illicò obmutui, & inter verbera (nam cædi me jusserat) conscientię magis igne torquebar, illum mecum versiculum reputans: In inferno autem quis confitebitur tibi? Clamare autem cæpi, & ejulans dicere: Miserere mei Domine, miserere mei. Hæc vox inter flagella resonabat. Tandem ad præsidentis genua provoluti qui adstabant, precabantur, ut veniam tribueret adolescentię, & errori locum pœnitentię commodaret; exacturus deinde cruciatum, si gentilium literarum libros aliquando legissem. Ego qui in tanto constrictus articulo, vellem etiam maiora promittere, dejerare cæpi, & nomen eius obtestans dicere: Domine, si unquam habuero codices seculares, si legero, te negavi. In hęc sacramenti verba dimissus, revertor ad superos, & mirantibus cunctis, oculos aperio, tanto lacrymarum imbre perfusos, ut etiam incredulis fidem facerem ex dolore. Nec verò sopor ille fuerat, aut vana somnia, quibus sępè deludimur: testis est tribunal illud, ante quod jacui: testis judicium triste quod timui, ita mihi numquam contingat in talem incidere quæstionem: liventes fateor habuisse me scapulas, plagas sensisse post somnum; & tanto dehinc studio divina legisse, quanto non ante mortalia legeram.* Hucusque Hieronymus, qui rem tam dilucide, tamque graphicè exhibet obtutui, ut vix aliud penicillo posset peritia Apellis, aut Timantis. Circa quod nihil aliud venit advertendum, nisi quod Pictores sueti non aliter pingere Hieronymum quàm senem, senem etiam in hac tabula depingunt: quod tamen falsum esse & ineptum, facilè evinci potest ex narratione ipsa: ubi dicitur, Adstantes rogavisse judicem, ut daret veniam adolescentiæ.

(K) Tom. 1. Oper. epist. 22. de Custodia virginitat.

18 Sed quoniam huc devenimus, ferreus sim & plumbeus, nisi me moveat ineptior quàm dici possit aliquorum hominum scrupulus. Sunt igitur haud pauci, qui eventum hunc non sine magno supercilio objiciant religiosis viris, qui Sacræ Theologię ediscendæ, aut etiam docendæ dant operam, si quos fortè viderint, qui paulò aptius atque concinnius aut loquantur in disputationibus, aut scribant in codicibus. Quid si videant aliquando, tametsi non frequenter, alicuius veteris quantumlibet opportunè allegari versiculum? Quid si sciverint, hujusmodi studiosos, quicumque illi sint, esse Poesis ac Rhetorices non omninò rudes aut ignaros? Aut furunt, aut cachinnos tollunt, aientes, non prorsus hęc convenire Theologo: qui pro dignitatis suæ ratione, longè debet habere hujusmodi verborum phaleras, quique profundior haberi soleat, quo loquatur incomptius atque rudius: contraque, ob studium elegantiarum, poëtarumque, atque Oratorum lectionem non immeritò Christo pœnas dedisse Hieronymum. Hæc, & his multò urgentiora jacere solent aliqui adversus nonnihil elegantioris & cultioris styli Theologos. Sed bone Deus! qui & quales? Nullos hic nominare, aut apertius traducere est cordi: non enim id fas est, neque opus ad convellendum, immò exsufflandum levissimum absurdum. Nimirum hi sunt qui, non dicam humili, aut pedestri, sed abjecto prorsus utuntur stylo: qui ho-

honoris (& fortasse gloriæ) loco habent loqui, aut scribere, sed ineptè, atque (ut semel dicam) sæpius barbarè: qui denique non putant seriò, graviter, & sapienter, saltem ad Scholæ genium loqui posse aut debere, ni tertio quoque (quod ajunt) verbo solœcissent. Profectò non ii fuerunt neque tales illi, quos olim veluti communes ac primarios Magistros venerabunda olim Schola suspexit: Victorias dico, Canos, Medinas, Basilios, ut nihil interim de magis recentioribus, nihil etiam de Luisio illo Poncio Legionensi; solùm enim hic nomino Theologos Scholæ & disputationibus assuetos: qui omnes facto atque exemplo suo ostenderunt, non adeò inimicam esse solidam ac veram Theologiam eruditioni ac modesto usui amœnioris atque humanioris literaturæ. Sed quoniam mihi videor surdis (quod dicitur) fabulam canere, linquo hæc aliis discutienda, & libens regredior ad Hieronymum.

19 Objecerat penè idem Doctori Maximo illius æmulus Ruffinus Aquilejensis. Verùm Dii meliora piis! adeò enim acriter, & pro ingenii severitate, tam valenter Apologiam hujusmodi argumento, aut potius criminationi venerandus senex reposuit; ut nulli sit dubium hujusmodi facti atque audaciæ pœnituisse Ruffinum. Sed audiatur interim Doctor Maximus hujusmodi cavillationem probè comminuens. (l) *Objicit mihi mixtum perjurium sacrilegio: quod in libro, quo ad instituendam Christi virginem loquor, ante tribunal Iudicis positus pollicitus sim: numquam me literis sæcularibus daturum operam, & nihilominus damnatę eruditionis interdum meminerim.* Cui post nonnulla: *Dixi, me sæculares literas deinceps non lecturum: de futuro sponsio est, non pręteritæ memorię abolitio.* En tibi Lector idem omnino quo vir Religiosus ac Theologus optimo jure posset obtrectatoribus reponere. Sed pergimus ad alia. Cùm enim multis explosisset Ruffini vanum opinamentum, meram esse cavillationem ostendens, sic in eodem loco habet. *Hæc dicerem, si quippiam vigilans promisissem: nunc autem novum impudentiæ genus, objicit mihi somnium meum.* Denique post paucula: *Non tibi sufficiunt quæ de vigilante confingis, nisi & somnia crimineris. Tantam babes curiositatem meorum actuum, ut quid dormiens fecerim, dixerimvè discutias.* Videant itaque qui tam acriter carpunt prægustationem, delibationemvè humaniorum literarum in Theologis, fulti (quod ipsi autumant) ipsius authoritate atque confeisione Hieronymi, non nisi vana somnia sectari atque objicere. Verùm cur mera somnia (reponet importunius aliquis) appellemus; quæ Hieronymus tanti fecit, ut dixerit, quod scriptum supra habes, *Non soporem illum fuisse, aut vana somnia, quibus sæpè deludimur*, quod confirmare & suadere pergit? Ad alios planè possemus remittere quæstiunculam & apparentem in Hieronymi verbis antilogiam. Sed eximamus etiamnum scrupulum. Visio certè, ut mihi videtur, fuit illa per quietem ostensa Hieronymo: sed non statim ob id desiit esse somnium, doctrinæ plenum licet, & pium; & quod, vel ob hoc tantum non debuisset æmulus opposuisse Hieronymo. Sed de his nimis multa, quamvis non abs re, ad illustrationem Imaginum Doctoris Maximi.

(l) Apolog. cont. Ruff. lib. 1. prope fin.

***



CAPUT

LIBER OCTAVUS.

PICTURÆ ATQUE IMAGINES SANCTORUM quos Ecclesia colit in postremo Anni trimestri spatio.

CAPUT I.

IMAGINES SANCTORUM SERAPHICI PATRIS Francisci, Brunonis, Carthusianorum Patriarchæ, & Dionysii Mart.

1 Liqua, opinor, immo nõ pauca etiam in hoc opusculo dicta sunt circa Imagines Seraphici Patris Francisci. Sed quæ talem tantumque virum, omnique humano penè encomio maiorem concernunt, numquam possunt certè videri multa. Et fuit quidem circa has depingendas, etiam in aliquibus Hispaniæ nostræ locis, authore Joanne Molano, (a) non solum error, sed delictum. Fuerunt enim aliqui, aut rerum prorsus imperiti; aut de tanto Dei favore minus quàm par erat persuasi, qui Sanctum Franciscum absque ullo regio, ut sic dicamus, sigillo, sacris dico Stigmatibus depingerent. Fuit, inquam, error aut scelus huiusmodi. Sed jam nullibi est inter Catholicos, neque aliquis, qui absque his divinis characteribus pingere Sanctum Franciscum impunè audeat: & meritò; cum vel ipsi Summi Ecclesiæ Pontifices id ægrè tulerint: & Alexander IV. qui tale ausi essent, validè compescuit, datis litteris ad omnes Castellæ & Legionis Episcopos. *

(a) Mol. lib.3.c.43

* Habetur hoc Decr. in firmam. Fratr. Minorum.

2 Igitur cùm de Sacris Francisci Stigmatibus superius retulerimus nõ pauca, illud tantummodo restare videtur, ut dicamus, quo vestitu, quovè habitu usus fuerit: atque adeo, quo illorum depingendus sit vir planè Seraphicus. Sed (quod dicitur) hoc opus, hic labor est; locum hîc habet, si cuiquam alii rei adaptari potest. Patuit enim viris piis juxta atque doctis latissimus, supra quam dici possit, disputandi ac disserendi campus; immò etiam (venia sit verbo) contendendi, aliis defendentibus Caputium (nam de hoc est præcipua quæstio) acuminatum, sive in pyramidis formam desinens: aliis contrà, brevi quidem & rudi, sed aliquantò rotundiore usum esse. Quibus accedunt aliæ, siquæ sunt, minoris momenti quæstiunculæ. Quę quidem omnia cùm satis per se indifferentia videantur, quid prohibet, ut illud Apostoli tam anxie & solicitè investigantibus semel atque iterum ingeminemus, (b) *Unusquisque in suo sensu abundet*? Illud interim, non mihi solùm, sed aliis severioris judicii viris videtur exploratum, Parentem sanctissimum humanarum ac terrenarum rerum eximio contemptori, non adeò fixam atque firmam in hujusmodi re placuisse formam, ut non aliquando, ut sors ferebat & occasio, à semel accepta discesserit. Exuebat se non semel Christi pauper, ut Christi quemcumque pauperem charitate fervidus obtegeret ea, qua tunc utebatur tunica, simul & Caputio, quod aliquando assutum fuisse tunicæ, veteres Picturæ demonstrant: rursusque, ut nuda contegeret membra ex viliori quacumque materia, aut villoso sacco Habitum sibimet aptabat, longè melior pauperum indutor quàm sartor. Similiter ut suetus erat tenes accingere castis-

(b) Ad Rom. 14. 5.

castissimos, cingebat sese quacumque, ut sors tulisset, chordâ, modò pro paupertatis ardentissimo studio vilis videretur & abjecta. Atque hinc, ut ego existimo, & habitus differentia & Imaginum. Verùm hæc omnia alii minutius prosequantur, operosiusque viderint. An verò Seraphicus vir usus fuerit oblongâ & prolixâ barbâ, necne? decernere non ausim. Illud certum est, utrumque probabiliter videri atque spectari depictum, quamquam frequentius (nam verum præferri semper debet quibuslibet studiis) non admodum oblonga, & quæ pectus attingeret, sed quæ saltem mentum excederet.

3 Varii autem sunt omnino, quibus Patris Seraphici depinguntur effigies, prout eiusdem Vitæ sanctissimæ eventus exposcunt, quibus describendis nobis diutius immorari non licet: duo tantum brevissimè delibabimus. Sublimis à terrâ, atque in purum æthera receptus aut raptus aliquando depingitur: idque meritò; cum ut constanter asserunt eius Vitæ Scriptores, in extasim rapi penè illi familiare fuerit: adeo ut non rarò visus fuerit altissimarum etiam arborum superare cacumina. Qua in re si illam aliquando describi oporteat, Pictoris eruditi moneo iudicium & modestiam ita se gerere, ut nemo in illo aut decorem honestissimum, qui comitari semper debet Divorum Imagines, aut rerum peritiam desideret. Sed quod magis est frequens, pingitur stans alterâ quidem manu Calvariam, alterâ verò Imaginem gestans Domini Crucifixi, aut hanc etiam amplectens inhærentem amanti pectori. Cuius Picturæ significationem non est cur studiosius perquiramus, cùm ipsa per se satis superque pateat. Sed temperare mihi omninò nequeo, quin huiusmodi Imagini subscriptiones duas hic adjiciam, quarum unam Salmanticę olim observare licuit: alteram ipsemet diebus, immo annis abhinc non paucis concinebam: præsertim cum opportunum omninò videatur huiusmodi aut subscriptiones, aut superscriptiones, quas Græci Epigrammata vocant, adscribere in libro, in quo differitur de Imaginibus. Primum igitur Epigramma, quod authoris satis prodit ingenium, sic habet.

In dextra Vitam portas, Mortemque sinistra
Quas Pater Omnipotens solus in arce tenet.
Tune Deus? Non. In membris pia vulnera Christi
Gestas. Tu Christus? Non: Utriusque typus.

Dignum profectò nobili atque exculto ingenio Poemation! Alterum verò, quod memet, ut pręfatus sum, authorem habet, est huiusmodi.

Læva tenet cranium, manus altera figit amantem:
Et querulum strictim pectus ad usque premit.
Igne micant oculi, solvuntur frigore membra;
Et livor graciles occupat ore genas.
Quid rear? extinctum monstrant quem vulnera toto
Contendit stabili fixus ad astra gradu.
Ingenio effigiem tantam quis fecerit? ambo
Mors & Amor certant: jactat uterque suam.

4 Fuit autem (quandoquidem hoc, si quidquam aliud, propius Imaginem refert ac Picturam) dilectissimus Christo Franciscus mediocris, aut paulò infra mediocrem, staturæ, paulò oblongiore vultu, oculis subnigris, quemadmodum etiam erant capilli capitis atque barbæ, æquali naso gracilique, auribus curtis, colore etiam vergente magis in fuscum, quàm in candidum: iuxta quod hæc & alia observant illius Vitæ Scriptores. Sed quod Pictor aut Scriptor nullus mortalium, aut penicillo, aut calamo satis expresserit iis cœli dotibus, virtutibus, & charismatibus, fuit quæ illum totius veræ pulchritudinis protypo, Christo inquam Domino reddiderint simillimum.

5 Brunonem Carthusianorum inclytum Patriarcham silentium, cuius

ius ille fuit mirus planè cultor atque magister, par erat, ut præ omnibus, aut vocibus aut coloribus commodè describeret. Verum, quod ad institutum nostrum propius spectat, quamvis huius præclari atque Sanctissimi Instituti professores Monachi deserta plerumque & solitudines incolant, non nisique raro videantur in urbibus atque hominum frequentia: tamen notus est Habitus quo vestiuntur: atque adeo ille quo semper pingi debeat Sanctus Bruno, illorum Institutor: tunicâ nimirum albâ, scapularique, sed cuius anterior & posterior pars tæniis illigatur: caputio etiam, quod in acuminatam formam desinit, pallioque nigro cum caputio breviori; sed pallium, quod totum hominem contegit, ad plantas pedum usque protenditur. Quæ omnia sunt notissima. Tonsurâ autem adeò grandi, ut tenue capillorum filum, ut apparet, totum caput circumdet. Sed Sanctus Bruno digito indice ori admoto, ac veluti sigillante depingitur. Fuit enim, estque illius asseclis, ut supra indicabamus, silentii admirandus magister.

6 Ad Sancti Patriarchæ Picturas illa præ aliis maximè spectat, quâ eiusdem secessus in eremum, sæculique abdicationis, & severissimæ vitæ causa seu occasio describitur: ut propterea in plerisque ipsorum Carthusianorum Cœnobiis, quæ Carthusiarum nomine vulgò nominant, passim spectetur. Narrant enim illius Scriptores Vitæ, Parisiis eo ipso tempore quo Bruno degebat in terris, contigisse miram atque horrendam historiam, quæ talis fermè est. (c) Cuiusdam Doctoris Parisiensis, viri, ut putabatur, non mediocriter probi, magna adstante hominum frequentiâ funus celebrabatur in templo. Ut verò ventum est ad id, ut illa Jobi verba canerentur, *Responde mihi quantas habeo iniquitates & peccata, &c.* tunc (horrendum dictu!) corpus exanime quod jacebat, repentè cunctis spectantibus, pavoreque attonitis, resedit in feretro, tremendamque edens vocem, *Iusto*, inquit, *Dei iudicio ante eius accusor tribunal.* Dilata tam insolito, tamque attroci casu funebria, atque in sequente die maiori urbis concursu rursus incepta, ut ventum est ad eumdem locum, *Iusto*, inquit ut ante, *judicio Dei de iniquitatibus & sceleribus meis iudicor.* Tertio denique die (nam id conventum inter omnes fuit) dum eadem verba canerentur, resedit rursus resupinus, edensque vocem, aut potius tonitruum omnium terribilissimum, *Iusto*, inquit, *judicio Dei damnatus existo.* Quo horrendo planè casu (ut referunt) Bruno, qui Doctor (etiam ut ferunt) Parisiensis erat, mirandum in modum perculsus omnia mundi missa facere decrevit, atque in vastam secedere solitudinem. Adduntque, quò fides maior habeatur eventui, adstantes sui propositi commonuisse, versibus illis, piis quidem, sed qui etiam sæculi produnt incultam rudiditatem. Sunt autem ii:

(c) Vide Petr. de Ribad. in flore Sanctor. t. 5. ad d. 6. Octob.

Linquo Coax ranis, Cras corvis, vanaque vanis,
Ad Logicam pergo, quæ mortis non timet ergo.

Atque hinc desumptam, inquiunt, esse causam ut Bruno cum aliquot sibi sociis adjunctis Sanctum Hugonem Gratianopolitanum Episcopum adiret, instituereturque tandem talis tantusque Monachorum Ordo, qui Carthusianorum in Ecclesia prælucet.

7 Non nostrum est, neque id in nos recepimus, de rebus non omnino exploratis ferre sententiam: monerem tamen Pictores (nam mihi cum his tatummodo res est) non passim per Artis suæ præclarissimæ industriam amplius posthac rei tam stupendæ repræsentationem divagari. Atque ut ita facerem, duplici consideratione moverer. Prima est quod huius historiæ fidem dubitarunt iam pridem aut illam apertè negaverunt viri authoritate & doctrina præstantes. Secunda verò consequens huic, quæ magni prorsus ponderis est, in eo sistit, quod hic mirandus casus atque eventus in ipso Officio Ecclesiastico reperiebatur, notatus & scriptus in festo magni huius Patriarchæ: cuius quidem rei luculentus ipse testis esse possum. Sat enim memini legisse memet, cum adhuc essem juvenis (quod alibi non importunè moneo) annotatam & dissertè scriptam in Ecclesiasticorum Officiorum Breviario edito Antuerpiæ, hanc

hanc eamdem historiam, quæ postmodum non sine gravibus causis, ut par est credere, est abolita. Et certè quod Ecclesia facto ipso monstravit non sibi placere, satius est, meo judicio, ut nec seriò piis lectoribus aut Pictoribus placeat.

8 Pingi denique posset Sanctus Bruno cum Doctoralibus aut magistralibus insignibus. Tùm quòd ita supponere videantur eius vitæ Scriptores veteres: tùm quod idem docendi munus professus fuisse videatur aliquibus, scripsisseque idem feratur Psalmorum Expositionem, Epistolarumque Divi Pauli. Verùm quod ad primum horum attinet, quod planè connexum est cum nuper enarrata historia; fieri potuit, ut præclarissimus Institutor hoc honore Doctoris Parisiensis fuerit condecoratus: maximè cùm illa celebris semper, ac semper celebranda Academia per illamet tempora admodum inclaruerit, ut testatur Academiarum non indiligens scriptor. * Sed quod ad postremum spectat, labore atque studio eorum qui res huiusmodi diligentius investigarunt, allegata Scripta S. Brunonis Carthusianorum Patris non sunt, sed alius, qui per eadem tempora, vel non longè ab illis, floruit: inter quos primarium locum obtinet Bruno, Coloniensis Presul primariæ nobilitatis, utpote filius Henrici Imperatoris Germaniæ, cognominati Aucupis. Fuit etiam idem impensè doctus, ultra id etiam quod ea ferebant tempora: non enim Latinas tantùm, sed & Grecas (quod miraculi instar habendum est) literas excoluit: de quo aliis operosius disserendi locum relinquimus.

*Jacobus Middendorp. de Academiis lib. 3 pag. mihi 571. & seq.

9 Sanctum Dionysium Primum Parisiorum Episcopum, atque Inclytum Christi Martyrem, propriis manibus caput gerentem, recepto more pingunt. Hoc autem non solum ad mysticas significationes, circa quæ non pauca differit gravis & pius, sepeque allegatus Author, ad historiæ potius fidem videtur referendum. Aiunt enim S. Pontificem, postquam cum sociis obtruncato collo mortalem vitam finiit, caput suum humeris avulsum per duo circiter milliaria gestavisse manibus, immò & reposuisse in manibus piæ & religiosæ feminę nomine Catulę, quæ delusis infidelibus, qui apud eam hospitabantur, honesto loco reponendum, sepeliendumque curavit. Quod idem factum contigisse in aliis Christi martyribus, refertur, ut notavimus agentes de Sancto Martyre atque Episcopo Laureano. Et hæc summatim dicta sint de Sancto Dionysio: namque alia satis multa, quæ non iam Picturam concernunt, sed historiam, accuratius, & magis implexum examen postulant. Verùm hæc omnia relinquimus libenter discutienda atque examinanda iis, quibus magis liceat, aut vacet.



CAPUT

CAPUT II.

PICTURÆ ATQUE IMAGINES SANCTI FRANcisci de Borgia, Ludovici Bertrandi, Seraphicæ Teresię, Petrique de Alcantara.

I 
N Tractatu, quo de Imaginibus agitur, è re videtur esse nonnihil immorari in encomio Sancti Francisci de Borgia, olim Gandiæ Ducis IV. postmodum Sacræ Societatis Jesu Generalis Præpositi, eiusdemque, immò Hispaniæ totius & Ecclesiæ ornamenti nequaquam vulgaris. Is enim fuit, quem Deus ipse miris modis docuit, quàm verum sit quod dicitur in Psalmo, *In imagine pertransit homo*: immò quàm diram atque horrendam interdum sæva mors in eximiam etiam pulchritudinem tyrannidem exerceat. Notus est etiam vulgò casus ille, qui Principi conspicuo, adhuc in seculo degenti cum magnis in Imperatoris aula persungeretur honoribus: cumque adhuc viro, quamquam semper modestissimo, arridere posint seculi pompæ; illũ ad seculi comtemptum amicissimè compulit: jussus enim erat à Cæsare Carolo V. ut regium cadaver sibi dilectissimæ conjugis Elisabethę Granatam usque, veluti eiusdem Imperatricis domus primarius & supremus Administer, qua par erat diligentia ac fide perferret, in manusque traderet eorum, ad quos regium atque augustum corpusculum condigno honore tumulandum attinebat: quibus erat injunctum, ut Borgiam, nondum adhuc Gandiæ Ducem, sed Marchionem Lombadiensem, seu, ut vulgò dicimus, de *Lombay*, adigerent sub juramenti religione, declararet, sincereque patefaceret, esset illud ipsum quod tradebat, non aliud quam Cadaver Elisabethæ Hispaniarum Reginæ, Germaniæque Augustę Imperatricis. Quod quidem postremum, ut dicitur, ausus non est pius ac religiosus Princeps asseverare juramento: illud solum ex Christiani ac nobilissimi viri fide asserens, eam fuisse curam atque custodiam, qua in perferendo regio cadavere usus indesinenter fuisset, ut ne levi quidem suspicioni daretur locus, ut secus posset iudicari. Illas tamen tam dira mortis catastrophe mutatas, immò & fœdatas exuvias Dominæ olim suæ Imperatricis, esse ipsummet corpus, affirmare se non audere. Adeò mors in longè venustissimo antea corpore, vultuque speciosissimo cuncta deturpaverat, tantumque morti ac corruptioni licuerat; ut non aliter vix aut ne vix quidem liceret oculis intuentibus judicare. Aiunt enim, quòd cum primùm, Borgia ipso his rebus intento, reserata fuisset mortualis capsula, remotumque, quo vultus tegebatur, velum; patuerit spectantium oculis, (qui multi erant, dignitateque Ecclesiastica ac seculari conspicui) tam deforme, tam dirum, tamque horrendum planè spectaculum, ut contuentes omnes in fugam ageret, atque unus Borgia rei novitate atque stupore per longum etiam temporis tractum permaneret attonitus. Quo tandem factum est, ut illud Franciscus intentissima cogitatione & cõsideratione contuens, divinâ in corde illius afflante gratiâ, seriò promiserit, immo voverit, numquam deinceps semet deditururn obsequio domini, qui mori posset: sed si aliquando per res licuisset suas, longum vale dicturum seculo atque fortunis. Quod tandem facto pręstitit, ingressus in præclaram, quę tunc incipiebat, Societatis Jesu Religionem. Rem denarrant, ac veluti oculis objiciunt Scriptores eiusdem Societatis, qui facilè adiri possunt. Verum si cui elegantiora placeant, vivaciora etiam & magis graphica, is consu-

sulat (neque enim laboris pœnitebit) Authorem doctissimum atque elegantissimum, Eminentissimum inquam ac Reverendissimum D. Alvarum Cardinalem de Cienfuegos, qui olim Salmanticæ Primarius Antecessor Vitam scripsit Borgiæ; nunc verò inter Ecclesiæ Patres purpuratos elucet. Is enim tam eleganter, tamque concinnè rem totam exequitur, * ut ea non lectoribus enarrari, sed planè geri ante oculos videatur: atque hoc modo depictus cernitur Sanctus Franciscus de Borgia, non uno in loco, quod etiam mihi videre licuit.

* In Vita S. Francisci de Borgia l. 2. cap. 6.

2 Cæterum quod ad Imagines attinet, plures extant, è quibus sat exprimi possit eiusdem vultus atque corporis, adeoque totius hominis optima pingendi ratio. Vivit enim vigetque viri perfectissimi memoria: adeò ut non immerito dici possit *Nondum sua forma recessit*. Pingi etiam potest cum Magisterii Theologiæ insignibus. Etenim præterquamquod plura scripsit, quæ typis iam diu editæ uno atque justo continentur volumine, Academiam sive Universitatem Gandiæ in sua ipsius ditione fundavit, atque ab imis fundamentis erexit, in qua & Philosophiæ & Theologiæ per annos aliquot operam dedit, suscepto ibidem Magisterii gradu.

3 Sed qui sacri, Regii, ac Militaris Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum à plusquam sexto supra quinquagesimum anno Habitum indui, omnium licèt minimus atque indignissimus, ingratus viderer ac planè injurius tantæ Matri, si hic tam commodo atque opportuno loco præterirem indicare Lectoribus, quis fuerit prædictæ Academiæ, quam Sanctus Franciscus de Borgia à primis fundamentis erexit, provexitque ad culmen, & quam primam omnino habuit in Hispania, peneque dixerim in tota Europa, Sacratissima ac sapientissima Societas, primus primariusque Sacræ Theologiæ Antecessor. Hoc autem non oratione mea complecti placet, ne fortè tradere videar legentibus incerta, aut intra domesticos parietes conficta; sed Scriproris inclyti, ex ipsa Societate veteres quosque sequuti maiores atque irrefragabiles testes. Sit igitur is Purpuratus Pater, quem supra retulimus, numquam certè sine amplissimi honoris præfatione nominandus; cujus verba, primum quidem Hispanica libet adscribere, quæ postea Latinè utcumque vertemus, quamquam vereamur non parùm elegantiæ atque styli concinnitati destrahendum. Sic igitur habet. „ Pero el que se debiò llamar „ alma de todos, el de mas fama, el de mas profunda sabiduria, y el que ocupò la Cathedra de Prima, fue el Insigne Maestro Fray Geronymo Perez, veterano ya en las Compañias de Minerva, de la siempre Real Familia, tan victoriosa como Militar Religion de nuestra Señora de la Merced, Cathedratico de Prima, Jubilado en la Universidad de Valencia, Comendador de aquel Convento, y Vicario General de todo su Esquadron glorioso. Era Vassallo de el Santo Borja, nacido en la misma Ciudad de Gandia, que ilustrò con su pluma, y con su vida. Habia escrito yà toda la Theologia con feliz pluma, que cortò en las alas de un Aguila, y aun dado à la estampa ilustres Comentarios sobre las Partes de Santo Thomàs, añadiendo mucha luz al mismo Sol; como tambien al Maestro de las Sentencias, apurando à la Theologia sus mejores maximas, despues de haberle bebido al Principe de los Filosofos los dictamenes mas puros, y dado felizmente à la estampa varias questiones de la Filosofia. Y no podrà ser mal escuchada la quexa, que expressa reverente mi pluma, de que Religion tan exacta, dexasse sepultados en el olvido los buelos de aquel sabio discurso, que oy pudieran servir de texto: pues bien merece llamarse sepulcro de la sabiduria, aquella antigua Impression tosca, en que es un borron mal articulado cada letra, y puede servir de Epitafio al mismo libro. Fue este grande ingenio tan laborioso, que habiendo yà leido passados de veinte años en la Universidad de Valencia, desde las Cathedras de Filosofia hasta las de Pri-

„ Prima ; perseveraba leyendo des-
„ pues de Jubilado ; teniendo por
„ ocio al estudio , y no sabiendo ar-
„ rimar la pluma , mientras durasse
„ la vida. Consagrò sus dos prime-
„ ros tomos à San Francisco de Bor-
„ ja , honrando su exemplo con
„ su pluma ; y lastimando su hu-
„ mildad con su alabanza en la
„ Epistola Dedicatoria. Fue la Im-
„ pression año de quinientos y
„ quarenta y ocho ; en que mere-
„ ciò raro aplauso de España este
„ gran Maestro. Hizo su nombre fa-
„ moso en la Europa ; y fue llama-
„ do Oraculo de el Reyno de Va-
„ lencia : el que habiendo estudiado
„ Theologia en el Colegio de la
„ Vera-Cruz de Salamanca ; antiguo
„ terreno de hombres sabios , nido
„ fertil de plumas ; y de Ingenios;
„ mereciò haber passado à las mar-
„ genes de el Turia ; todas las pre-
„ ciosidades que el Tormes escu-
„ cha en su ribera. Era hombre de
„ mucho espiritu ; y à quien el Du-
„ que habia tratado ; consultandole
„ algunas dudas de el suyo. Pidiò-
„ le ahora ; que viniesse à ilustrar
„ aquella Universidad ; para que
„ ella pudiesse gloriarse de haber
„ recibido de vn Planeta su pri-
„ mera luz , y de haber empezado
„ por el Cenit : que volviesse à di-
„ ctar lo que habia escrito ; pues
„ repitiendo siempre unas mismas
„ luces un Astro ; alumbra al mun-
„ do : que sabia la desazon que aca-
„ baba de tener en Valencia ; por-
„ que su razon persistia en ser antor-
„ cha desde la Cathedra ; no dexan-
„ do libre el passo à la ambicion y
„ à la impaciencia ; y que à veces
„ era discrecion ceder à la embi-
„ dia , no pudiendo llamarse cobar-
„ dia la fuga que hace sossegada-
„ mente la prudencia. Que aunque
„ la Compañia se honraba yà con
„ tantos Varones sabios , y que ha-
„ bian ocupado antes las primeras
„ Cathedras en las Universidades
„ mas ilustres de la Europa ; pero
„ que cada uno de ellos tenia no
„ menos theatro que todo el mun-
„ do ; y no queria aprisionar à una
„ Cathedra en Gandia un espiritu
„ destinado por su instituto à las em-
„ pressas de la mayor gloria ; por
„ mas que el mismo año en Valen-
„ cia se habia decretado , que se
„ diesse el Grado y el Magisterio
„ en aquella Universidad à la Com-
„ pañia , sin que pagassen propina,
„ ni tubiessen gasto alguno : singula-
„ ridad que añadia honor al grado.
„ Señalò considerable renta à su Ca-
„ thedra : y aquel ingenio oculto,
„ que veneraba el Duque como
„ santo , y abrazaba à la Compañia
„ con indecible afecto, rayò en Gan-
„ dia , derramando esplendor desde
„ la Cathedra. Hucusque sapientis-
simus Doctor ac purpuratus Præsul.
Et licet venustè atque concinnè ora-
tionis elegantiam difficile admodum
videatur Latino exprimere characte-
re ; conabimur tamen , atque tenta-
bimus id præstare , in gratiam eorum
qui Hispanicè nesciant , si qui erunt,
quibus hęc attingere , aut perlegere
curæ sit. Igitur postquam de aliis,
qui primi Gandiensem illam Aca-
demiam docendi Theologiam mu-
nere perornarunt , hæc subdit.

„ Sed qui omnium anima appellà-
„ ri debuit , qui ampliori forma, pro-
„ fundiori quoque scientia floruit,
„ quique primarium docendi locum
„ obtinuit, fuit egregius ille Magister
„ *Frater Hieronymus Perez*, in Miner-
„ væ castris iam pridem emeritus ; ex
„ Regia semper Familia , æque vi-
„ ctrici ac Militari Ordine Beatæ
„ Mariæ de Mercede , Antecessor qui
„ fuerat emeritus in Valentina Aca-
„ demia ; ibidemque sui Ordinis
„ Commendator , totiusque Inclyti
„ Ordinis Vicarius Generalis. Edi-
„ tus in lucem erat Francisci nostri
„ Subditus , utpote natus in Gan-
„ diensi ipsa Urbe , quam postmo-
„ dum calamo ornavit , atque exem-
„ plo. Totam iam pridem Theolo-
„ giam Commentariis illustraverat,
„ felici prorsus calamo , quem ut vi-
„ detur , ex grandioris aquilæ alis
„ avulserat : immo Commentationes
„ ediderat in quatuor Divi Thomæ
„ Partes , ut vocant , Summæ Theo-
„ logiæ ; lucem non exiguam Soli ip-
„ si mutuans : in Magistrum pariter
„ sententiarum uberiora Scholia : in
„ quibus hausisse videtur Theologiæ
„ puriora principia : atque , cum iam
„ id Philosophorum Principis ebibis-
„ set puriores latices ; typisque de-
„ disset excussas præcipuas Quæstio-
„ nes Philosophiæ. Neque verò ma-
„ lè excipietur amans atque reverens
„ querimonia , quam hic cogor ex-

„ primere; quòd nimirum virorum „ Ordo tam exactus oblivione se- „ pultos reliquerit conatus illos in- „ genii felicissimi, qui sanè prodesse „ poterant maiorem in modum: ne- „ que enim absurdè appellari potest „ sapientiæ sepulcrum Editio illa ve- „ tus, rudis atque inculta; in qua „ quidem elementa ipsa lituras ap- „ pellaveris, quibus libro toto epi- „ taphium videatur inscriptum. Por- „ rò fuit vir hic labori tam impensè „ deditus, ut non contentus per an- „ nos plusquam viginti Theologicos „ Tractatus publicè perlegisse in „ Academia Valentina, perstabat ad- „ huc idem munus exercens, rude li- „ cèt donatus, atque emeritus; non „ secus ac si sudores tractaret ut otia: „ nescius eruditam pœnam depone- „ re, dum vita superesset. Priora „ duo volumina dicavit, sacravitque „ Sancto Francisco de Borgia, hono- „ re semper debito prosequens in „ Epistola nuncupatoria Divi ipsius, „ quæ ob oculos omnium obversa- „ bantur exempla; simulque illius „ demissam laudibus lancinans mo- „ destiam. Prodiit hæc Editio Anno „ Christi sesquimillesimo quadrage- „ simo octavo: qua factum est, ut Ma- „ gistri Perezii nomen illustre redde- „ retur Europæ; Regnique Valenti- „ ni oraculum passim appellaretur. „ Idem verò qui olim Salmanticę li- „ teris Theologicis navaverat ope- „ ram in Collegio, ut vocant, Verę „ Crucis, fertili semper atque feraci „ magnorum hominum, atque inge- „ niorum solo; coactus tandem est „ ad Turiæ ripas transferre doctrinę „ fluenta, quæ hauserat è Tormi. „ Erat insuper vir multum asceticus, „ & quem ipse Dux in hujusmodi ani- „ mi rebus non semel consulue- „ rat.

Hæc & alia lectu dignissima non semel laudatus Cardinalis luculentissimus encomiastes exequitur, quæ brevitatis causa non transcribimus. Silere verò omnino non possumus illa, quibus tam nobis gratum, quàm cunctis elegans finit ac concludit elogium. Sic enim habent: „ No sa- „ bemos, si quiso aposentarse en „ Palacio, ò si eligiò antes honrar „ nuestro Colegio, viviendo en èl „ como Jesuita en todo, sino en el „ color del vestido: lo que nunca „ podrà negar la Compañia, antes lo „ confiessa agradecida y ufana, „ es haber bebido el candor à la sa- „ biduria en esta vena pura y cauda- „ losa; y que siendo esta de Gandia „ la primera Universidad suya, que „ tuvieron los Jesuitas en la Europa, „ debieron la primera leche de doc- „ trina en ella à esta igualmente sabia „ que Militar Familia; cuyos pe- „ chos son fecundos de gloria y sa- „ biduria, pues fueron Discipulos de „ este gran Maestro, muchos Jesui- „ tas de los mas doctos de aquel si- „ glo, cuyas obras enriquecen oy la „ Theologia Moral y Escholastica, „ y son farol al rumbo de la Sagrada „ Escriptura. El primero debe ser „ contado San Francisco de Borja, „ yà entonces professo en la Compa- ñia. Quę omnia ita rursus ad hunc ferè modum Latinè sonant. „ An in „ Ducali palatio vixerit, an potius „ prætulerit in nostro Collegio diu- „ tius degere, nil à reliquis differens, „ nisi uno externo vestitus colore, „ clam nobis est. Illud certè scit pla- „ nè tota Societas, quod & grata, „ ac penè gloriabunda fatetur, hau- „ sisse illam sapientię candorem „ ex vena tam pura, tamque ubere. „ Cumque exploratum sit hanc Gan- „ diæ Universitatem fuisse omnium „ primam, quam Societatis Jesu „ homines in tota prorsus habuerunt „ Europa; satis putet, suxisse eosdem „ ceu primum doctrinæ lac ex hac sa- „ cra Familia æquè sapienti ac Mili- „ tari: quandoquidem ex eodem me- „ Gandiensi Societatis Licæo pro- „ diere postmodum viri omni pror- „ sus encomio maiores, qui sacram „ Theologiam pleno lumine, atque „ maiorem in modum postea illustra- „ runt. Inter quos primus numeran- „ dus venit ipse Sanctus Franciscus „ de Borgia, iam tum Societati ad- „ dictus Religionis sacramento. Hucusque de re hac laudatus & nunquam sine honoris præfatione laudandus Purpuratus Author. Quæ si Lectori longiuscula fortasse videbuntur honoris tanti causâ, quem prę- teriisse nobis non licuit, æqui bonique consulet. Illis nos (quod unum superest) parem referre gratiam nullam possumus; habere autem, agereque innumeras, numquam cessabimus: sed (quod non inscitè dixit elegans Author) ut apud Deum fieri amat, sentiendo copiosius, quàm loquendo.

Quem-

4 Quemadmodum qui pingere volens virtutem roburque, cùm corporis, tùm animi, non male pingeret Herculem: ita qui vitæ austeritatem severitatemque vellet pingere, recte prorsus faceret si describeret Sanctum Ludovicum Bertrandum, Valentini Regni nobile decus, Prædicatorumque Ordinis haud vulgare ornamentum. Ipse enim fuit, qui implacabile proprio corpori bellum indicens, per totum vitæ spatium severè gessit adeò, ut vix aliquando, idque ex superiorum suorum præscripto, induciarum breve tempus illi concederet, pugnamque, sui semper ipsius victor atque triumphator, intermitteret. Quippe qui inscrutabilium judiciorum Dei semper memor ac pavidus cultor, illud Parentis Augustini frequenter haberet in ore: *Domine, hic ure, hic seca, hic non partas, ut in æternum parcas.*

5 Pingitur autem (nam rursus intra instituti metas contineri satagimus, qui aliquando graves causas easdem nonnihil transilire cogimur) Pingitur, inquam, marcido atque extenuato jejuniis vultu, macerataque austeritatibus carne, defixis humi oculis, absconsis intra habitum manibus, aliisque huiusmodi signis hominis austeritatem vitæ præ se ferentibus: ut propterea haud incongruè dictum possit existimari, quod notavimus supra, hoc est, non male facturum, qui picturus severitatem austeritatemque, quæ ex Christiana poenitentia proficiscitur, pingeret (ut de aliis nunc taceamus) Sanctum Ludovicum Bertrandum. Ceterùm aliis duobus modis eum ni fallimur, vidimus depictum. Primus ille est, quo exserta atque elata tantisper manu, blandè objurgantis in modum conspicitur, virum illum nobilem quidem, sed ausu sacrilego audacem. Sed res est, quæ latere non patitur; atque ita contigit. Cum in Regno adhuc Valentino ageret in loco non omnino obscuro atque ignobili (nomen produnt Scriptores Hispanici: sed satius est ut hoc obvolvamus silentio) atque ex sacro suggestu concionem haberet ad Populum; acriter ac liberè, ut decet Christianum Ecclesiasten, in vitia, præsertim illud, quod tantas animarum edidit strages (libidinem dico atque incontinentiam) ferventer est invectus: & quamquam optimè servata ratione prudentię, omnes argueret, designaret nullum; nobilis quidam, vel punctus stimulis conscientiæ, vel actus vitiorum furiis, in se unum directam illam machinam temere interpretatus est, atque inconsulte. Hinc per famulum hero similem servum Dei commonuit, ut si vita ipsi chara esset, abstineret ab hujusmodi convinciis; præsertim in homine talem, tantumque, qualis ipse esset, nulla ipsius habita ratione jactatis. Neglexit, ut par erat, homo Dei insani hominis voces. Itaque in sequente die cùm Ludovicum ex oppido ad suum Cænobium, quod non longe aberat, revertentem conspicatus esset, citato equo eumdem est aggressus: & , Tune, inquit, vilis homuncio, atque fraterculè prorsus contemptibilis, audes in hominem, qualis ego sum, vanissima atque procacia contorquere verba? Sed bene est (subdidit) quod non tibi factum cedet impune. Et cum dicto æneam fistulam pyrio pulvere oppletam glandibusque plumbeis ad sancti viri pectus impiger dirigit. Sed ô miranda Omnipotentis Dei beneficia! O vivificæ Crucis nunquam mortali sensu comprehensam vim atque efficaciam! In semet dirigi atque armari feralem machinam vix adverterat Ludovicus, cùm signo Crucis super eam facto, quæ mortis instrumentum erat, vitę facta est imago mirabilis. Namque in Crucifixi effigiem subitò transformatâ ipsâ ęnea fistula, pro sanguine, quem ab injustissime impetito elicere largiter debebat, ab aggressore impio, tantæ rei miraculo perculso, pœnitentiæ atque compunctionis excussit lacrymas. Itaque ab equo celerrime desiliens, scelus suum confitens, multis suspiriis à viro Dei veniam flagitat, facileque impetrat, blandè interim ab eodem admonitus, ut à Deo potius ipso, in quem tam attroci tamque immani ausu peccaverat, facinoris veniam & sibi ipsi salutem vitæ mutatione atque emendatione conquirat. Atque hoc quidem modo sæpe vidimus huius Divi depictam Imaginem: in qua non angustus se offert Pictoribus suo modo dicendi atque excurrendi campus.

6 Seraphica illa Mater, honor sem-

semper Hispaniæ, immò Ecclesiæ totius singulare ornamentum Diva Teresia à Jesu, quam nullæ prorsus laudes æquant, ut in ore versatur omnium; ita illius Imagines omnium cernuntur oculis, omnium teruntur manibus: sed raræ sunt quæ illam vel mediocriter exprimant: atque hoc est quod queritur illius Vitæ Scriptor, (a) omnium meo judicio longe gravissimus, atque eruditissimus. Is enim, ut late videri potest loco quem indigitamus in margine, postquam illam, quantum certe fieri potuit, oratione aut scripto vivis, ut sic loquamur, expressit coloribus depingens corporis, vultusque illius venustatem, proportionemque, usque ad ipsas minutias, hęc subdidit, de Hispano idiomate ad Latinum conversa: *Expressa est, inquit, una tantum illius imago illa vivente atque superstite: atque hoc quia illi præcepit illius Superior, seu Provincialis, qui tum temporis erat P. F. Hieronymus Gracian, ut scilicet se permitteret, & sineret depingi: expressitque Imaginem illius Ordinis, nempe Carmelitani Descalceatorum Laicus quidam Dei servus, cui nomen erat Fr. Joannes de la Miseria. Atque quod ad hoc attinet optimè fecerat Pater Gracianus: sed non item in eo quod non quæsierit excellentiorem Pictorum Hispaniæ, qui talem tantamque feminam felicius expressisset, atque fidelius.*

(a) P. Franc. de Riber. in vita S. Teres. lib. 4. c. 1.

7 Pingitur autem, idque frequenter, venusta prorsus facie ac decora: Neque id immeritò: talis enim suapte natura fuit, ut notat, & minutius describit laudatus illius Vitæ Scriptor loco superius allegato. Sed præter id, cum Deus in eius purissimam illabebatur animam, in extasimque rapiebat, eo quandoque impetu, ut corpusculum etiam à terra sublime, perinde ac si terrenæ molis esset expers ferret in aerem; de quo ipsa proprio experimento edocta sæpius loquitur: tunc supra modum humanum ac morem venusta atque emicans videbatur. Quare, etsi senior nonnihil obierit (totos enim septem supra sexaginta annos, insuper sex etiam menses, & dies in seculo vixit, aut, ut ipsa melius loquitur, exulavit) optimè faciet pius atque eruditus Pictor, si eamdem semper venustam expresserit atque decoram.

8 Appingitur tandem Divinus Spiritus auri eius, aut supra caput sub specie candidæ columbæ: Quod non id intelligi datur: quòd illius scriptis, quamquam unctione quadam Divina refertis, & planè cęlestibus certitudinem atque authoritatem Divinarum Scripturarum velimus adscribere. Non id intenditur: sed neque ipsa, ut erat modestiæ atque humilitatis studiosa sectatrix, sibi pateretur attribui, quæ sæpe sæpius cum de Divinis rebus sublimiter disserit, veretur se nil aliud quam ineptias ingerere; immò quæ super Cantica Canticorum sublimissimam ac penè Divinam scriptionem igni tradere nil ambigens aut hæsitans, decrevit; quòd ita iusisset pius fortassè, sed planè ineptus atque inscius Confessarius: quam quidem jacturam ęgrè ferunt factam viri pietate ac doctrina celeberrimi, ut constat ex sępè laudato Vitæ eius Scriptore P. Francisco de Ribera. Sed tamen si huiusmodi ratione pingendi denotari quisquam intelligat Scriptorum illius celsa quædam dignitas ac sublimitas, quæ sæpè legentis mentem in sublime extollat, mirisque modis afficiat moveatque, ac ferè supra humanum captum assurgat: nil corruptus aut ignarus judex statuet. Sin minus, quid est, obsecro, quod cum Paulus Apostolus feminam vetet in Ecclesia docere, ipsa postmodum Ecclesia uni Teresię (quod de alia nusquam prorsus legitur) magisterium attribuat atque doctrinam, eamque cælestem appellans illis verbis; *Ita cęlestis eius doctrinæ pabulo nutriamur, &c.*

9 Verum habet preterea hæc pingendi ratio, ut scilicet supra Teresiæ caput Spiritus Sanctus depingatur sub columbę purissimæ specie, non vanum, sed firmissimum fundamentum: quod ut plenius cognoscatur, non aliis placet verbis, quàm ipsius Seraphicę Matris exponere: quæ quidem ad verbum (neque enim tam benè sonabunt aut suadebunt, quàm suo ipsius Hispanico charactere) sic post alia, quæ hic omittimus, habent: *Estando en esto, vèo sobre mi cabeza una paloma bien diferente de las de acà; porque no tenia estas plumas, sino las alas de unas conchicas, que echaban de si gran resplandor. Era grande mas que paloma: pareceme que oìa el ruido*


ruido que hacia con las alas : estaria aleando espacio de un Ave Maria. Ya el Alma estaba de tal suerte, que perdiendose assi de si, la perdiò de vista. Sosegòse el espiritu con tan buen huesped. Quæ verba ita Latinè sonant: *Dum hæc mecum ipsa reputarem, en supra meum caput columbam supervolitantem conspicio, non parùm his, quas passim cernimus dissimilem; neque enim plumis vestiebatur, sed veluti squammulis aut conchulis maiorem in modum splendentibus. Erat insuper columbis usitatis maior: ac mihi quidem videbatur, memet sonitum quem alis edebat, percipere: perseveravitque involitans spatio quo recitari posset Angelica salutatio. Sed iam animus ita erat absorptus, ut vix illam amplius videre potuerit. Sedatus itaque spiritus est tam bono hospite, &c.* Hucusque Seraphica Mater: ut satis ex his pateat, quàm bono iure eius Imagini Spiritus Sanctus sub columbæ specie soleat, atque possit appingi.

10 Non eâdem (si ita loqui liceat) usus est fortunâ vir ille mirificus, qui eiusdem Seraphicę Virginis & Institutum promovit, & probavit spiritum; nimirum Sanctus Petrus de Alcantara: cuius res gestas scripserunt iam plurimi; & cuius vitæ sanctitatem atque austeritatem nullius lingua satis expresserit. Is enim (ut taceam de eximiis Pictoribus) ipsam Seraphicam Virginem Teresiam nonsolum morum encomiastē habuit, sed etiam totius penè corporis uno tractu delineavit effigiem. Videantur quæ fusius illa de viro hoc, immortali semper laude dignissimo, & quem viventem adhuc perpetuo sanctum appellaverat, scriptum reliquit variis in locis, sed præsertim Libro eiusdem Vitæ cap. 22.

11 Sejungendi non erant hi duo sublimes rerum divinarum contemplatores Petrus ac Diva Teresia à Jesu: alioquin locus jam occurrisset nonnihil loquendi de magno atque eximio, ut perhibent, Pictore Divo Luca Evangelista, circa cuius Imagines (alia enim aliis libenter discutienda relinquimus) duo tantùm perstrictim notare placuit, quæ rursus accuratiori examine forent pensitanda, si vellemus aggredi huius rei prolixiorem imaginem. Statuto igitur, & veluti (ut par est) de Fide Divina supposito Divum Lucam Evangelistam fuisse (nam utrum fuerit unus ex septuaginta duobus Christi Discipulis, à peritis Ecclesiasticæ Historiæ controvertitur) Scriptoremque, non solum Evangelii, quod illius nomen præfert, sed etiam libri, qui Actus Apostolorum titulo prænotatur; fuisse eumdem professione Medicum; non solum exploratum est; sed etiam roboratum certitudine Fidei: quod satis indicant illa Pauli: * *Salutat vos Lucas Medicus charissimus*: fuisse etiam Pictorem non ignobilem, præsertim Imaginum Christi, atque Deiparæ, tam communi multis abhinc seculis plausu receptum est, ut vix aut ne vix quidem liceat secus opinari scriptori Catholico atque pio. Quare si viri Catholici, & ab omni prorsus alieni notâ secus insinuasse videantur, asserentes, piam tantùm fidelium persuasionem effecisse ut D. Lucas Pictor vulgò credatur; * id solum evincere videtur, ut non id ita certò teneatur, quàm quod fuerit Medicus: cùm id postremum, ut vidimus, ex Sacra Scriptura constet; primum verò ex plurium etiam seculorum traditione atque fama sumpserit originem.

* Coloss. 4. 14.

* Vide Continuationem Bolland. Mens. Maii t. 1. pag. 463



CAPUT

CAPUT III.

IMAGINES SANCTORUM HILARIONIS ABBAtis: Ursulę & sociarum eius: Petri Paschasii Martyris; Vincentii, Sabinæ, & Christetæ Martyrum: Apostolorum Simonis, & Judæ; atque Narcisi Episcopi & Martyris.

1 
Ilarionis Eremitæ, & postmodum Abbatis luculento atque eleganti, ut par erat, eloquio atque stylo descripsit Maximus Hieronymus. * Sed quod ad Imaginem attinet, satis indigitare est, non solum senem debere depingi, sed omnino intonsum, hispidum, immò sordidum, & ornatûs nihil, aut mundiciarum sectatorem; quales erant veteres illi Monachi, qui placere Divinis oculis summopere studebant, humanis verò aut seculi, non item. Quod enim senex describi debeat, exinde patet, quòd totos septuaginta annos in Eremitæ, aut Monachi professione Deo inservierit: quòd verò eo quem diximus modo, hispidus, incultus, atque horridus, abundè probant illa (ut omittamus interim verba Hieronymi) quæ in eius Ecclesiastico Officio referuntur: * *Nec verò saccum, quo semel amictus est unquam aut lavit, aut mutavit; cum supervacaneum esse diceret, mundicias in cilicio quærere.*

* Tom. 1 oper. pag. mihi 128. & seqq.

* Ad diê 21. Oct.

2 Sanctarum Ursulæ & sociarum Virginum & Martyrum celebris in Ecclesia memoria est: Circa quarum gesta atque martyrium tam adeo multa feruntur, & passim sparguntur, ut illorum vel perstrictim etiam meminisse pigeat ac tędeat: ut proinde meritò dixerit harum rerum non postremus Scriptor, * inesse multa in huiusmodi Actis, quæ certa ac probabilia videri possint; alia autem incerta, dubia, ac planè apocrypha. Statuit ac veluti certum supponit hic Author, fuisse easdem non minus numero, quàm undecim millia: quod à plerisque ægrè concipitur: neque historiis, quæ eumdem numerum statuunt, habetur ab illis certa atque explorata fides. Certè me olim legisse memini, quamquam locus memorię non succurat, in Hispani Scriptoris Opusculo, notato specioso vocabulo *Hiericonosphalmata*, in quem libellum rursus indicere non licuit; tractum errorem fuisse ab eo quòd in veteribus libris repertus fuisset titulus sub hac forma: XI.M.VV. qui cum legi simpliciter debuisset: *Undecim Martyres Virgines*, lectus tamen, & intellectus est: *Undecim millia Virginum.* Ac sanè, si quot per universum ferè Christianum Orbem crania existunt & circumferuntur, æstimata atque habita tamquam unum aut plura ex sociis Sanctæ Ursulæ, in unum locum cogerentur; non iam undecim, sed plusquam viginti duo millia numerarentur: ad eum ferè modum, quo in una tantum Italię parte collecti dentes, ut ferebatur, Sanctæ Apolloniæ Martyris inventi sunt facili negotio, quot humanæ buccæ ora vix mille caperent. Sed quidquid sit de hoc, quod ad Picturam spectat, lepidum ac facetum est Pictoris responsum, qui iussus ut in tabula pingeret undecim millia Virginum, depinxit ampli palatii, aut urbis portam, ex eaque egredientes aliquot laureatas, ac palmis ornatas puellas: rogatusque, ubinam essent reliquæ? sunt, inquit, ille multæ: jamjam prodeunt, prodibuntque ulterius.

* Petr. de Ribad. in Flor. Sanctor. ad d. 21. Octobr.

3 Divum Petrum Paschasium Valentinum, Episcopum Giennensem, Sacri mei Regii ac Militaris Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum præclarum potius & non postremum ornamentum: qui Valentinus cognominatus est à patria urbe; quòd nempe per illam et eadem tempora extiterit alius in Ordine

ne eiusdem cognominis, sed natione Catalanus: sat celebrem notumque reddiderunt, non solùm eius olim prę clara gesta, virtutúmque ac dignitatum, quas obivit summa cum laude, merita atque insignia; sed plurimorum etiam elogia: inter quos meum etiam profiteri nomen non est cur recusem, aut verear. Ipse enim, cùm vir quidam impensè doctus, aut dubitasset scriptis editis, aut apertius abnuisset, fuisse Petrum Paschasium adnumerandum inter Regulares, optimo, ut puto, zelo commotus; Apologiam edidi, lucique publicæ tradidi sub hoc titulo: *Examen diligente de la verdad. Demonstracion Historica del Estado Religioso de San Pedro Pasqual de Valencia, Obispo de Jaen, Glorioso Martyr de Christo, y Doctor ilustrissimo*, quæ prodiit Matriti Anno MDCCXXI. tam felici, favente Deo, & suffragante bonitate, causæ successu, ut meus ipse optimus Antagonista, ut ille est egregius veritatis sectator, atque amicus, lecto libello, manus dederit; ut constat, tum ex privatis literis, quas plenas officii & amoris ad me dedit; & quæ in Tabulario Generali hujusmet Conventus servantur authenticæ: tum etiam ex præfatiuncula eiusdem, præfixâ tomo VIII. suę Chronologicę Historiæ.

4 Verùm quod attinet ad eiusdem Picturas atque Imagines, nulla alia frequentior est illâ, quâ pingitur grandævus senex (erat enim septuagenario maior, cum subiit pro Fide Martyrium) Pontificalibus, queis domi utuntur Episcopi prædicti & nunquam satis laudati nostri Ordinis perornatus insignibus, gladióque collo immerso; per hæc enim, aliaque, quæ ornatûs causâ à Pictoribus adjiciuntur, satis indicantur, & doctrinæ meritum, & martyrii dignitas. Ceterùm cum frequenter etiam depingatur sermonem miscens cum Divinæ & augustioris formæ puerulo; non abs re erit eius Picturæ atque Imaginis rationem exponere, quæ eiusdem Divi vitæ Scriptoribus referentibus, ea fermè est. Cum enim per id temporis, quo captivus Granatæ detinebatur, & quo paulo ante captivus detineri maluit, quàm puerulos quosdam in turpi captivitate relinquere, non sine, aut fidei abjurandæ, aut (quod fœdum est dictu) pudicitiæ aut castitatis amittendæ discrimine, die quadam rei Divinę perficiendæ teneretur studio, atque ob hanc causam ministrum, qui eidem assisteret, ut mos fert Ecclesiæ, huc illucque discurrens quæritaret; adfuit statim votis eius optatus eventus: obvium enim habuit puerum duodennem, ut videbatur, qui humana quidem, sed augusta plane majestate celsius quiddam, ac supra hominem maius, fulgere videbatur.

Sic roseis stat forma genis, sic frontis honoræ
Fulget apex, tales accendunt lumina flammæ.
Humanum ne crede decus: non pulcrior altos
Phœbus agit currus; non unquam sidere tanto
Oebalii micuere Dei.——————

Lætatus igitur opportuno occursu Paschasius; Vin', inquit, Puer optime (nam quantum ex habitu formaque eleganti conjicio, scire te autumo) mihi sacerdoti Divina peracturo mysteria minister esse? Et scio, (respondit ille) Pater; ac volo lubens. Nec dilata res est. Sacra mysteria peregit Antistes, eâ animi exultatione, puraque voluptate, ut facile intelligeres; insolito quodam miraculo præsentissimum adesse Numen, quod celebranti Præsuli tantum dulcedinis, tantum veræ pietatis instillaret. Quin immò cerneres illic, quamvis in angusto ac tenebricoso loco, fulgere sidera; ac mira quadam nec mortali arte comparabili redolere.

Quidquid thuriferis spirat Panchaia silvis,
Quidquid odoratus longè blanditur Hydaspes,
Quidquid ab extremis ales longęva colonis
Colligit optati referens exordia secli.

Peracto demum sacrificio, gratiisque Deo de more actis, facer Anti-

tistes ministrum suum blandè compellat: & qui tam probè tamque exactè novit (inquit) Sacro celebrando minister esse, profectò noverit, opinor, Divinæ atque Christianæ Fidei dogmata, institutionemque. Novi (refert ille) sin minus, Pater, huius rei actutum periculum facito. Faciam, inquit: Et quot Divinas dicis esse Personas? Tres, Pater, respondit ille: Pater & Spiritus Sanctus. Hæ vero duæ sunt, refert Paschasius. Atque ubinam est Filius? Filius, inquit (ò cœli atque hominum stupor!) Filius, inquit, ego ipse sum, Petre, qui pro pueris, quos tu tuæ libertatis dispendio è barbarorum istorum manibus atque imperio redemisti, captivum me habes. Et cum dicto è Sanctissimi Præsulis aspectu se subducens, eiusdem animum suavissimo amore oppletum undique reliquit, quem non quivis facilè expresserit, qui Divini Amoris caruerit ingenio. Atque hæc est Paschasium satis usitata pingendi ratio, quam sæpius variis in locis vidimus atque aspeximus.

5 Præclaros Martyres Vincentium, Sabinam, & Christetam Hispanos fuisse, nemo est qui dubitet, quamquam de ipsorum natali loco plures inter nos pia contentione disceptent. Alii enim asserunt fuisse Eboram in Lusitania, alii Talabricam; quæ etiam dissensio suborta est circa sepulturæ locum, ut paulò post indigitabimus. Et quidem (ut rem nostram agamus) qui pro insignibus martyrii eorumdem telis uteretur, aut gladio, erraret contra fidem historiæ. Ferunt enim, positis atque aptatis super durum lapidem capitibus, alio saxo aut lapide grandi comminuta sparsis hinc & inde cerebris fuisse capita. Ita enim furentibus Gentilibus in Christi athletas debacchari fuit promptum. Et licuit certè hominibus insanis quidquid libuit.

6 Quod verò ad Picturas eorum spectat, hoc annotari hìc operæpretium duxi, quod in ipsa Urbe Abulâ, ubi passos esse constanter creditur, indubitata fermè traditione refertur. Inhumata enim Sanctorum corpora cùm ethnici reliquissent, ut vel à volucribus, vel feris discerperentur, æterni Numinis providentia factum est, ut illæsa atque integra servarentur. Quod ita gestum esse, passim traditur. Serpens ingentis atque horrendæ magnitudinis circa eamdem urbem degebat in latebris, qualis à Latino Poëta describitur, qui post plura in eamdem rem, ita loquitur.

Postquam exhausta palus, terræque ardore dehiscunt,
Exilit in siccum, & flammantia lumina torquens,
Sævit agris, asperque siti, atque exterritus æstu.
....
Arduus ad solem, & linguis micat ore trisulcis.

Georg. 3. v. 432.

Talis igitur tantusque custos datus à Deo est Sanctorum Martyrum corporibus: quod munus ipse fideliter præstitit. Vix enim aut ne vix quidem fuit qui ad interfectorum cadavera propius auderet accedere, præter hominem unum divitem atque opulentum, Judæum professione & sectá. Hic enim animo, seu nimis interrito, seu etiam illusorio, ad sacra conspicienda corpora cùm proximius accessisset, non quidem malo suo, ut ipse tunc putavit, sed bono planè, propter eventum rei inde consequutæ, expertus tandem est, esse curæ Deo sanctorum cadavera Martyrum. Nam draco ille, velut muneris sui memor, Judæum nihil prorsus tale cogitantem,*

* Æneid. 2. v. 217.

Corripuit, spirisque ligat heu! ingentibus: & jam
Bis medium amplexus, bis collo squamea circum
Terga dabat, superat capite & cervicibus altis.

Quid ergo faceret miser homo, talibus tantisque pressus angustiis? Sed bonum factum! pia & salubris, favente atque juvante Deo, menti eius incidit cogitatio. Conceptis enim verbis Deo vovit, si se eriperet è tanto discrimine, Christi baptismum suscepturum: insuper & Sanctis Mar-

Martyribus honestum sepulchri locum daturum. Quæ vix finierat, cùm ereptus è tam manifesto periculo, cuncta quę promiserat exequi statuens, nihil omnino distulit: sed sacro lustratus Baptismate, sacram ædem sive templum extrui suis impensis curavit: quod quidem illud esse quod hodie extat, constanter incolæ & cives Abulenses affirmant. Quo jacto fundamento, communiter astruitur Sanctorum Martyrum reliquias non alibi, ut hinc & inde plerique disceptant, quàm in ipsa Urbe Abula conquiescere. Et sanè totus rei eventus haud modicam præberet materiam sese expatiandi Pictori cuivis erudito.

7 Ut magna est fuitque semper hominum aviditas & studium, non solum sciendi, sed in publicum efferendi quod non satis unquam sciri potuit; ita in rebus gestis, prę sertim Sanctorum Apostolorum satis superque contigit. Certè Sanctorum Simonis & Iudæ res gestæ parum aut nihil exploratæ fuerunt primævis Christianis Scriptoribus. Sed venit his postremis seculis ignotus antiquis Scriptor, nomine Abdię Babylonici, editus non sine hominum communis, aut potius vulgaris doctrinæ plausu. Sed bene habet quod cognita fluxę ac sublestę fidei historia, prædictum librum Paulus Papa IV. inter apocryphos recensuit, immo & vetuit, ut habet Bibliothecæ Author Sixtus Senensis. Quâ de re aliqua nonnulla, ni fallor, supra scripsimus. Reliquum est igitur, ut quod ad Imagines spectat Apostolorum Simonis & Judæ res exigatur ad communes regulas; ut scilicet depingantur inter ceteros Apostolos velut martyrio affecti, insuper & unusquisque cum libro: non solum id quia Apostoli omnes tam Fidei, quàm vivendi regulas tradiderunt mundo; sed quia Judas Taddæus unam ex Epistolis Canonicis scripsit, ut D. Hieronymus annotatum reliquit, quæ ab universa Ecclesia recepta est in Synodo ipsa Tridentina; nihil obstante quòd Sanctus Apostolus in hac ipsa Epistola narrationem habeat desumptam ex Libro Henoc planè apocrypho. Ex quo planè fit optimè cohærere quòd Liber aliquis multa vera contineat, licèt numeretur inter apocryphos.

8 Sanctus Narcissus Episcopus Gerundensis, Sanctorum, quæ in Octobri mense celebrantur agmen claudit. Historia eius satis est nota, & qua ratione Fidem prædicaverit Augustæ Vindelicorum, traxeritque ad fidem Christianam in eadem urbe non paucos, & præcipuè illos qui postea præclari fuerunt Christi Martyres: inter quos celebris habetur Afra, primùm quidem impudica meretrix, postea verò Fidei Christi testis præclarissima ac ferventissima; adeò ut eius Acta inter sinceriores notæ Martyrum gesta recensuerit horum Scriptor diligentissimus. * Sed quod ad Imagines attinet, pingi certè debet Sanctus Narcissus cum tribus sibi vulneribus inflictis, altero quidem circa humerum, altero verò circa guttur ipsum, altero denique in tibia circa suram. Occubuit enim tumultuario impetu, cùm rei Divinæ faciendæ daret operam. Atque hæc quidem satis esse debent Pictori. Nam illud quod spectat ad ultricium muscarum examina, quæ ex ipso Martyris tumulo prodeuntes stragem haud modicam ediderunt copiis Philippi Francorum Regis, quamquam seriò id & graviter referatur à multis: tamen quia res est, de qua etiam non pauci subdubitant, silentio hîc obvolvere censemus fortassis opportunius.

* Theodor. Ruinart. in Act. select. Martyr.



CAPUT IV.

PICTURÆ ATQUE IMAGINES SANCTORUM OMnium, prout frequenter unâ tabulâ describuntur: Sanctor. insuper Caroli Borromæi: Martini Turonensis Ep. atque Didaci Complutensis.

1 

Um Sanctorum omnium Curiæ Cælestis Pictura oculis exhibetur plura certè dicenda atque annotanda occurrerent cuicumque, qui memor semper non esset instituti, quod hoc Opere suscepit illustrandum. Tractari enim hîc nec omninò importunè poterat de magni olim Templi, quod quia in honorem deorum omnium non Domitianus, ut putavit lapsus errore Beda, * sed Marcus Agrippa Tert. Conf. ipsius Octaviani Augusti tempore erexit, dedicavitque, Pantheon appellari placuit: itemque de huiusmodi institutione festi per Papam Bonifacium IV. plura quæ commodius atque opportunius alii congerunt, hîc congeri, immo & coacervari possent: sed hæc, aliaque huiusmodi aliis omninò Scriptoribus differenda relinquimus: nosque ad præfixum scopum oculos ac nervos intendimus.

* De Gestis Anglor. lib. 2. cap. 4.

2 Pinguntur igitur frequenter in Cælesti Beatitudine Sancti, ita ut uno veluti aspectu infra thronum excelsum Trinitati Sanctissimæ; prope quem, & quidem meritò, depingitur Purissima atque Immaculata Deipara: videantur in suas classes distributa Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, atque Virginum agmina. Quod quia jam apud Sacrarum rerum Pictores felicissimè invaluit, non est cur rerum huiusmodi descriptio nos moretur. Huiusmodi est elegans & accurata, si qua alia, Pictura peritissimi Artificis, quem, quod esset è Luca nobili cum primis Italiæ Urbe atque Republica Luchetum communiter appellarunt. Exhibet hæc Sanctorum gloriam in Chori Regii, mirandique Cænobii Sancti Laurentii Scorialensis, ea rerum varietate atque elegantia, ut vix reperiri fingivè etiam possit illustrius. Narrantur autem dicta ab spectatoribus nonnulla, quæ si hîc scriberentur, fortassepossent Lectorem allicere: verùm nobis res serias gravesque, non jocos, aut facetias scribere est cordi.

3 Qualis quantusque vir, immo Princeps, tùm claritate sanguinis, tum etiam zelo Ecclesiasticę disciplinę, tum denique vitæ præcipua sanctimonia fuerit Sanctus Carolus Borromæus, S. R. E. Cardinalis, Archiepiscopusque Mediolanensis, alii fusè tractarunt, ad quos libenter remittimus huiusce Lectorem Opusculi. Quod verò ad eius Imaginem spectat, parum certè est quod hoc loco annotare videatur operępretium. Etenim ornamenta Cardinalitia & Pontificalia ea etiamnunc sunt quæ illius omninò tempore; pręsertim etiam cùm adhuc supersint eiusdem Divi expessæ ad vivum Imagines. Quare hoc solùm mihi brevissimè notandum superest, pingi non debere neque admodum juvenem, ut factum aliquando observavimus, neque simpliciter senem: quippe qui ex hac mortali vita migravit anno M.D.LXXXIV. ætatis verò suæ vix incepto quadragesimo septimo: quamquam ita extenuato jejuniis & austeritate vultu, ut plerumque pluribus videretur exsanguis. Quo etiam factum est, ut nasum viri Sanctissimi, qui aliquanto pro vultus ratione fuit oblongior, Pictores aliqui nimium, immo supra modum augeant: adeo ut memoriæ occurrant illę facetię, quibus ingenioso nostræ Nationis homini, nec sine eruditorum plausu ludere placuit in hominem prominentioris & longioris nasi.(a)

(a) Quevedo, Mus. 6. Sonet. 2.

4 Si de præclaris gestis Beati Martini Turonensis Episcopi, immo San-

Sanctorum Episcoporum (si ita loqui licet) archetypi, aliqua vel summatim hic recensenda essent; maioris operæ volumen exposcerent. Nos quæ nostri muneris sunt brevius attingemus. Et quidem si Vir Sanctissimus veniat depingendus ætate illa qua è terris excessit; omnino senem satis constat debere depingi. Abiit enim ex hac mortali vita ætatis suæ anno sexto supra octogesimum: quod benè probat Cardinalis Baronius, (b) nisus authoritate Sulpicii Severi, qui in re hac pluribus aliis est præferendus, utpote eiusdem D. Martini Socius atque comes: quòd hîc opportunè annotatum volumus, propter aliquos, qui aliorum supputationibus non ita quidem exactis confisi, non ita exacte rem hanc ad Chronologiæ calculos exegerunt.

(b) Bar. in Not. ad Martyrolog. ad hanc diem, & plurib. loc. Annal.

5 Verum cum frequentior Beatum Martinum depingendi ratio ea jam pridem in valuerit, qua juvenis adhuc, & adhuc catechumenus describitur gladio, quem gerebat mediam scindens chlamydem, quę pauperrimum de plebe hominem penè omnino nudum obtexit; quod ea ceteris aliis potior probetur ac præferatur; nihil repugno: sed paucula circa id subnotare non desinam. Primùm, quòd eques semper pingitur; cùm tamen de hoc nulla mentio sit in Sulpicio ipso Vitæ Scriptore, rerumque Sancti Martini investigatore diligenti. Secundum, quod nimium pręferatur juvenis, immò penè puer: cùm tamen ut ex eodem scriptore constat, ætatis annum decimum octavum per id tempus ageret, quo adhuc sub Juliano Cæsare militabat: tametsi non me lateat esse viros eruditione præstantes, qui in his Sancti Martini Vitæ chronologicis rationibus describendis non parùm olei atque operæ multo cum judicio & studio impenderint.

6 Fuisse verò, ut credere omninò par est, Christo Domino summopere gratum hoc servi sui, adhuc extra Ecclesiam militantis obsequium, Ecclesia ipsa verbis à laudato Scriptore desumptis concelebrat. Sunt verò illa hęc quæ hîc non gravabor transcribere: (c) *Nocte insecuta, cùm se sopori dedisset, vidit Christum chlamydis suæ, qua pauperem texerat parte vestitum. Intueri diligentissime Dominum, vestemque quam dederat, jubetur agnoscere. Mox ad Angelorum circumstantium multitudinem, audit Iesum clara voce dicentem: Martinus adhuc catechumenus, hac me veste contexit.* Hucusque Sulpicius. Ex quibus facilè intelligi potest sensus verborum illorum, quæ etiam in Ecclesiastico Officio referuntur, qui non adeò congruus esset, si dicta verba conciperentur veluti dicta à Christo ipsi Beato Martino: cum tamen directa fuerint Angelis, qui in dicta visione Christum Dominum comitabantur reverenti prorsus obsequio.

(c)Sulp. Severus de VitaB. Martini, cap.2.

7 Communiter, immò vulgariter depingitur, aut effingitur Vir Sanctissimus vestitus Cucullo Monastico, cujus usus est Monachis Sanctissimi Parentis Benedicti. Verùm si in rigore sumatur, lapsus, & error est. Etenim pręterquamquod nihil hujusmodi reperitur in Sulpicio ipso, rerum Sancti Martini Scriptore omnino diligente; alio etiam ex capite rejici aut impugnari potest. Etenim cucullus is in usu non fuit ante Regulam Magni Parentis Benedicti, ut facile ostendi potest: obitus autem Beati Martini multò antè contigit, quàm ortus ipse Parentis Benedicti, in omni vera & satis explorata eventuum & rerū Chronologia: quare nec fuit, nec potuit esse usus Beato Martino rei aut habitus, qui nondum eius ętate admissus erat aut introductus. Nam cogitare Beatum ipsum Martinum Instituti fuisse Benedictini (quod tamen à viris, de quibus anachronismum huiusmodi cogitare non poteram, ipsemet audivi) error manifestus est, & plusquam oscitans ignorantia.

8 Didacus, qui quanvis Natione Bæticus, ob loci diuturnam habitationem sepulturæque, Complutensis audit; vix est ob quod, (quantum ad rem nostram attinet) huic inseratur catalogo. Et quidem notum est vixisse toto vitæ suę decursu in statu humillimo Laicorum in Seraphico Ordine. Quare hoc modo, & non alio, depingi debet, quin aliquem movere possit, quod vir humillimus Præfectus Monasterii, aut Guardianus fuerit in una ex patriis Insulis Fortunatis: quippe prudentia atque sanctitas nullis prorsus dignitatis adminiculis eget: nec ipse adeò Minorum Pater Sanctus Franciscus, quan-

quanvis multis nominibus idoneus, ut ad Presbyterale culmen ascenderet, cogi aut suaderi potuit. Complexus etiam rudem & satis magnam è ligno Crucem, pingi potest ac debet: hanc enim ipsam trahens animam utraque ulnâ complexus, tenerrimo salutavit affectu, illis usus verbis: *Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera, &c.* quæ quidem ab ipsius ore prolata, non modicam adstantibus admirationem incussere, qui nunquam humillimum Laicum audiverant Latina verba proferentem. Decessit autem ipse non omnino quidem senex, quamquam corpus immensis propemodum laboribus & peregrinationibus fractum, paulò provectiorem senectutem ostenderet.

CAPUT V.

PICTURÆ ATQUE IMAGINES SANCTORUM Acisculi & Victoriæ: Elisabethæ Viduæ: Cæciliæ Virgin. & Mart. & Clementis Papæ & Martyris: Catharinæ Virgin. & Martyr. Andreæque Apostoli.

1 

Cisclum & Victoriã fratres veluti proprii soli germina jure colit Hispania, sed præcipuè Ecclesia Cordubensis. Cordubæ enim, gentilitatis adhuc tempore passi referuntur; quamvis eorum Acta quæ supersunt atque leguntur, pietatem redolere videantur, ferventem illam quidem, sed non satis peritam atque excultam, qua Sanctorum Vitas atque Acta miscere atque augere cum rebus non satis cognitis atque exploratis, pro pietatis studio fuit habitum. Ajunt enim sub Romanis Principibus, cùm Cordubę præesset Dion. En primum contra historiæ fidem offendiculum: neque id novum aut mirum: consuetum enim fuit illis seculis, cum præfecti, præsidis, aut proconsulis ignoraretur nomen, confingi quodcumque volebat Scriptor; atque pro Romanis nominibus subrogare quandoque Græca; quod planè insolitum fuisse apud Romanos nemo est qui nesciat; immo etiam pro Græcis (quod magis stupendum est) subrogare magis extranea. Hujusmodi est Paschasii nomen in Actis Sanctæ Luciæ Virginis & Martyris. Hoc enim non solum Latinum non est, sed neque Græcum, quanvis Hellenistis utcumque adjungi possit: derivatur enim ab illo nomine *Pascha*, in quod mutarunt Hellenistæ nomen Hebræum *Pesach*, aut *Phase*, secundum alios. Sed nos pergimus ad alia. Is igitur, qualiscumcumque fuit, cum Cordubæ prǽesset, conquisitos & facile inventos Acisclum & Victoriam germanos fratres pro more compellere tentat, ut relicta Christiana Religione, deos venerentur: quod illi facinus detestantes, exquisitis decrevit urgere suppliciis, quorum omnium victores, coronati sunt glorioso martyrio. Mirum est quod refertur de rotis, quibus subjecto igne sanctorum fratrum oleo atque adipe peruncta corpora volvebantur. Sed tamen sub hoc pœnæ acerbissimæ genere congruum erit Sanctos Martyres piosque fratres depingere, quamquam Acisclus ipse gladio cervicibus adacto, finierit temporalem vitam, & Victoria verè victrix confixa sagittis: ultra quod nihil hìc occurrit adnotandum.

2 Pœnitentiæ Christianę, Charitatisque præclaris insignibus effloruit Sancta Elisabeth, Andreæ Regis Hungariæ filia, quæ in triplici statu, nempe virginali, nuptiali, & viduali admiranda reliquit posteris virtutum exempla. Atque illa quidem purioris vitæ strictiorem semitam sequuta, innupta permansisset: sed parentum voluntati humiliter ob-

obtemperans, nuptui tradita est Ludovico Hasiæ & Thuringiæ Principi; seu, ut vocant Germani, Lanzgravio, quo planè Christiano Principe atque pio non post multos annos orbata, viduæ sanctæ, qualem scilicet describit Apostolus, vitam amplexa est: in qua ea virtutum signa, immò ostenta, dedit; ut non immeritò de eadem dici possit id quod de Sanctis Viduis canit Ecclesia, *Multæ filię congregaverunt divitias: tu supergressa es universas.* Et quod ad eius Imagines attinet, nil est de quo simus soliciti: ajunt enim constanter Scriptores Ordinis Seraphici, quos alii etiam sequuntur, illam defuncto conjuge, Tertii Ordinis pœnitentium induisse habitum, coloris nempè birri, qui magis accedit ad nigrum. Quare si cum hoc & velorum capitis signis depingatur, non ludet operam cordatus atque eruditus Pictor.

3 Cæciliam Virginem & Martyrem satis celebrem atque conspicuam Pictores exhibent sedentem, & manibus pulsantem eam sonoram machinam; quam ex tubis varię magnitudinis vento oppletis constantem, Organum quasi per antonomasiam vocamus. Quod ita facere videntur, quòd in Ecclesiastico Officio hujus præclaræ Virginis illud disertè habeatur: *Cantantibus organis Cæcilia Domino decantabat &c.* Non defuerunt autem (sat scio) quibus hoc displiceret, putantibus hujusmodi sonoram machinam inventum esse recentius, quàm ut congruerit temporibus Sanctę Cæciliæ. Verùm falsi sunt in hoc, & delusi: Organa enim, sive hydraulica, sive pneumatica, antiquiora sunt, non solum Cæciliæ tempotibus, sed etiam vetustioribus aliis: quandoquidem de his conspicua mentio est, ut alios taceam, apud Vitruvium & Athenæum. Videat cui vacet Guidonem Pancirolum * & ibi etiam Henricum Salmuth; ut propterea mirandum non sit, si Organorum; præsertim eorum quæ hydraulica vocantur, mentio sit elegans apud Claudianum, versibus illis, qui certè fluunt satis modulatè atque harmonicè. (a)

* Rerum memorabiliũ lib. 1 de Music. tit. 11.

(a) Claudian. in fine Panegyr. Theodori.

Et qui magna levi detrudens murmura tactu,
Innumeras voces segetis moderatur abenæ.
Intonat erranti digito, penitusquè trabali
Veste, laborantes in carmina concitat undas.

Sed neque ob id improbanda est aliorum Pictorum ratio depingendi Sanctam Cæciliam pulsantem digitis aliud musicum Instrumentum; sive illud sit, quod testudinem appellare possemus, vulgò verò *Laùd* nominamus, sive etiam illud, quod *Harpam* Hispanicè loquentes nominamus, cujus est apud nostrates insignis peritia: omnia enim hæc aptè conjunguntur sub communi nomine Organi, sive instrumenti musici: ut cuivis constare poterit nulla etiam authorum lectione.

4 Imago Sancti Clementis Papæ & Martyris satis erit conspicua, si fiat adiuncta propè illum anchora, cum qua fertur in mare demersus. Etsi enim de hujusmodi Sancti Actis, aut de illorum sinceritate non desint qui plurimum dubitent, insanus ego essem, si his referendis immorarer, atque ad id quod muneris suscepti pars est pręcipua multum videatur conducere.

5 Sanctę Catharinę Virginis & Martyris celeberrimæ historia, resque gestę obscura; si qua alia, res est in ipsis narrationibus Ecclesiasticis. Non tamen idcirco omittenda hic est eius Imaginis, aut pingendi, aut effingendi ratio. Illudque in primis tenendum videtur, quòd depingatur cum rota illa, aut machina gladiolis acutissimis obarmata, quô Virginis corpus crudelissimè dilaceraretur: aliter enim vix aut ne vix quidem erit qui Imaginem Sanctæ Catharinæ & non alius esse cognoscat. Quod autem proponatur cum ipsius patris capite ad pedes jacente, commune planè ac receptum est: non quòd per id Maxentius Romanus Imperator denotetur, ut bene vidit harum rerum non indiligens Scriptor; sed fortè aut ipsiusmet Pater, aut Maximinus, aut quivis hujusmodi tyrannus.

6 S. Andreæ præclarissimi Apostoli vulgata apud cunctos Fideles effigies (nam de illius Actibus rebusque gestis silere hìc, quàm determinatè ali-

aliquid asserere malumus) Crucem præfert, quæ angulos hinc indè efficit partim acutos, partimque obtusos. Quare, me judice, semper hoc modo proponenda erit, quidquid notet, præcipiatque Molanus sæpè à nobis citatus, (b) asserens Crucem Divi Andreæ ad Sanct. Victorem Massiliensem eamdem cum Cruce Christi figuram habuisse, lignumque ligno affixum repræsentare, quorum intersectio est ad angulos rectos.

(b) Lib. 3. cap. 51.

CAPUT VI.

PICTURÆ ATQUE IMAGINES SANCTORUM Francisci Xaverii, Barbaræ Virginis & Martyris, Nicolai Episcopi, atque Ambrosii item Episcopi.



1 SAncti Francisci Xaverii, cui labor Apostolicus illustre cognomen adjecit Indiarum Apostoli, satis recepta in Christianorum & Catholicorum populis, atque frequens Imago est. Circa quam vix aut ne vix quidem occurrere potest quidquam, quod notationem exposcat: eâ enim curâ ac diligentiâ rem pertractarunt Patres Societatis Jesu, de quorum numero, aut quorum etiam præcipuum ornamentum fuisse, quidquid alii imprudēter, aut etiam impudenter garriāt, pro comperto tenendum est, ut labor videatur supervacaneus. Illud tantummodo leviter dicēdum occurrit, quod frequentius pingitur ornatus Stolâ, & etiam amictu illo, quo in pluribus Europę partibus utuntur, qui Conciones ad Populum habent: quod quidem etsi in Hispania nostra non vigeat; tamen recedendum non est ab hac consueta & usu recepta ratione pingendi.

3 Historia Sanctæ Virginis & Martyris Barbaræ pleraque continet, quæ examine apud nasutos homines indigerent. Nihilominus pingenda erit recepto usu atque modo, cum turri, aliisque admissis passim ornamentis.

4 Nicolaus Episcopus, præclarus atque omnino mirandus, is profecto est, quem Deus decorare atque illustrare voluit multis & præclaris miraculis, præcipuè regnantem iam cum Christo: quod Ecclesia ut præcipuum elogium eiusdem magni viri canit atque celebrat illis verbis: *Deus qui beatum Nicolaum innumeris decorasti miraculis.* Quæ res habenda est prę oculis ad rectam peritiam, atque etiam ad intelligentiam Iconum & Imaginum viri tanti. Multæ enim, illarumque ornatus innituntur quibusdam ex hujusmodi pręclarè gestis. Hujusmodi est illud, quod ejus sæpius Imagini appingitur; puer videlicet elegans decennis, aut duodennis, altera manu gestans urceum aureum, vel deauratum, alterâ malluvium. Quod quidem desumptum esse, nullus ambigit, ex miraculo quo Deus illustrare voluit Magnum Antistitem: quod tale fuit. Ductus erat captivus apud barbaros puer quidam, qui, quòd venustus esset atque elegans, cessit Regi, aut magno illarum regionum domino. Atque hic quidem die ipsa, qua Nicolai solemnitas celebratur, animadvertit, ephebum suum solitò tristiorem esse, & magis mœrore perculsum. Causam rogavit atque sciscitavit à puero; qui, *Ne mireris,* inquit, *Domine: namque apud meos celebratur hodierna luce festum viri Deo pręcipua amicitia conjuncti, in quo quidem genere multa nobis referuntur patrata mirabiliter: Ego verò hic captivus maneo.* Cui Rex aut Dynasta ille: *Si tam potens est, quem prædicas, age videamus, an te de manu mea ac servitute possit eripere.* Atque hęc quidē dixit, cùm puerulus urceum gestaret, cujus aquâ rex manus ablueret. Sed non impunita fuit barbaro Regi jactantia: illicò enim sublatus est ab oculis ejus puerulus, qui apud suos eodem

dem penè momento apparuit gerens in manibus urceum atque malluvium. Quare rectiſsimè adjicitur hic ornatus Iconi præclariſsimi Nicolai. Atque alia hujuſmodi poſſent hìc annotari: ſed non omnia minutius atque exactius perſequenda ſunt, ne quis nobis objiciat id quod in Protogene deſiderabat Apelles, nempe quòd neſciret manum amovere de tabula.

5 Pingitur autem colore fermè nigro, & omnino fuſco, quod facile crediderim, ex eo promanaſſe; non quòd in Lycia ubi majorem partem vitæ tranſegit, homines nigri naſcantur aut exiſtant; ſed vel ex eo quòd Orientales, Imagines ſuas frequenter repræſentent colore, vel nigro omnino, vel qui vergat in nigrum: quod non ſolum apparet in Imaginibus Divorum, ſed in ipſis quoque Chriſti Domini atque Mariæ Matris ejus, quæ paſsim adhuc videntur.


6 Jam quod ad ornatum ſpectat, recepta conſuetudine pingitur veſtitus veſte illa Sacerdotali, quam vel Colobium nominare non inepte poſſemus, ſeu illâ planè, quam vulgò nominamus *Caſullam*: eſt enim hæc propriſsima Sacerdotum, ſive illi ſint Epiſcopi, ſive non ſint. Nullibi autem memini, me vidiſſe depictum cum Mitra: & meritò, cum priſcis temporibus ornatus ille omnino prorſus fuerit incognitus, & ſolum introductus multis poſt Nicolaum temporibus, in uſuque receptus apud Latinos ſive Occidentales. Quę omnia facillimo negotio cognoſcet quicumque in Eccleſiaſticis rebus fuerit mediocriter verſatus. Atque hæc quidem ſunt, quę velut in tranſcurſu occurrunt annotanda circa Imaginem ac Picturam præclariſsimi Antiſtitis Divi Nicolai.

7 Denique quod ad Imaginem ſpectat D. Ambroſii, illud annotare fuerit operæpretium: depingi illum cum alveario; quod certè ex eo videtur deſumptum, quod Eccleſia ipſa, uti obſervatione dignum, in eius Eccleſiaſtico Officio commemorat, illis verbis: ***In huius infantis ore examen apum conſediſſe dicitur: quæ res divinam viri eloquentiam præmonſtrabat.*** Quod tamen velim non ita intelligi, ut ſuſpicetur aliquis, Ambroſium omnino tantum fuiſſe ſuavem atque melleum, & nullo modo acrem atque pugnacem: cùm hoc ſatis ſuperque oſtenderit, non ſolum in factis, ſed in verbis, ſemper atque res ita tulit. Namque eius tempore (ut omittamus alia) Romanus Symmacus, vir diſertus, ſcripſit grandem Apologiam pro Ara Victorię, contendens, reponi debere, & coli, ut antea fiebat: cui Scripto Ambroſius reſpondit ita nervosè atque eleganter, ut occaſionem dederit acclamationi eruditorum, quam ſatis expreſſerunt illi verſiculi:

> *Dicendi palmam Victoria tollit amico:*
> *Tranſit ad Ambroſium: plus favet ira Deę.*

8 Dignus ſemper laude Author Joannes Molanus conſtanter aſſerit, aut ſupponit, in aliquibus partibus depingi Sanctum Ambroſium cum flagello. * Cujus rei cauſam aliam atque aliam profert. Primam ex ingenua loquendi libertate, quâ nec Theodoſio Principi pepercit: ſecundam, quòd Arianam perfidiam expulit prorſus ex Italia; ad eum fermè modum, quo Chriſtus vendentes atque ementes expulerat olim è Templo. Tertiam denique, quę fortè eſt probabilior, ob memoriam beneficii, quo ab ipſo Ambroſio affecti ſunt Mediolanenſes, partâ ex hoſtibus victoriâ anno MCCCXXXVIII. Sed res non eſt univerſaliter recepta: ac proinde non eſt cur in ea confirmanda plurimum immoremur. Et hęc quidem ſunt, quæ circa D. Ambroſii Imaginem aliquâ notatione digna videntur. De Pictura verò ſpectante ad Conceptionem Beatiſsimę Virginis, iam in ſuperioribus egimus, *lib.4. c.2.*

*de Imagin. lib. 3. c. 54.





CAPUT VII.

IMAGINES ET PICTURÆ SANCTORUM Damasi Papæ, atque Luciæ Virginis & Martyris.

1 I non essent tam audentes in scribendo plurimi, quàm sūt Pictores in oculis exhibendo ac repræsentando, certe non esset causa, ob quam diceremus aliquid de Pictura Sancti Damasi Papæ & Confessoris: Sed sunt certè plurimi, qui fortassis audebunt, non picturâ solum in quantum possunt, sed etiam scriptis probare nitantur, Sanctum Damasum Pontificem Romanum, fuisse, non solum Hispanum, quod libenter admittimus, sed Matritensem. Hoc enim modo putant urbium & civitatum augeri gloriam, quæ certè fictionibus atque commentis hujusmodi augeri non potest, sed minui. Igitur Sanctus Damasus Matritensis non fuit, quamquam fuerit Hispanus: immò neque Castellanus; sed planè ortus in Lusitania illa, quæ modò strictius sumpta dicitur Portugallia, in Bimaranensi urbe provincię interamnensis, quam Lusitani ipsi appellant *Guimaraens*. Quod totum elegantissimè, & prudentissimè pro more suo tenet atque probat vir nulla non laude dignus D. Nicolaus Antonius.* Oppositum autem nullo probabili fundamento affirmari aut dici potest: desumptum enim est ex Pseudo-Flavio Dextro (præclaram si Deo placet originem!) qui hoc, ut plurima alia, ex suo ipsius cerebro conficta nobis obtrudere studuit, quæ vel solùm referre, impugnavisse evidenter est.

* In Bibliot. veteri lib. 2. c. 6. n. 184.

2 Scitè atque prudenter dictum est à viro, quamquam Poëta judicii atque ingenii nomine commendabili, plurima esse, quę pueri, & ipsi etiam postmodum viri credunt, & tuentur, non alia ratione, quam quòd ita à parentibus acceperint. Ita enim habet:

Juven. sat. 14.

Plurima sunt, Fuscine, & fama digna sinistra,
Et nitidis maculam, ac rugam figentia rebus,
Quæ monstrant ipsi pueris, traduntque parentes.

Quod quidem in re, de qua agimus nō postremum locum obtinuit. Pingunt enim, & describunt Pictores Sanctam Luciam Virginem Syracusanam hoc fermè pacto. Palmam, laureolamque martyrii ei tribuunt: & hoc quidem rectissime. Fuit enim præclara Virgo Martyrque, & quæ ob sui nominis celebritatem non indigebat, ut fictionibus fieret celebrior; sed, ut prodigi Pictores sunt honorum, quos sæpè confingunt, pingunt Divam hanc cum parva paropside, in qua sunt ejusdem oculi violenter eruti: existimantes illam esse, quæ impuro amatori erutos oculos sibi eidem miserit. Et hoc sibi tam persuasum habent, non pueri solùm, sed etiam viri aliquot, ut ne dubitare quidem audeant. Verùm rem esse apertissimè falsam & planè erroneam, & præter, aut contra historię fidem, facilè demonstrare est. Primò quidem ex profundo silentio quod apparet in ejus Actis, & scriptis etiam, non solùm veterum, sed etiam non ita veterum, sed recentiorum Authorum: qui omnes, nullo prorsus excepto, rem tam per se admirandam nullo modo, vel etiam leviter, tetigerunt. Qui verò (imprudenter certè) cogitaverint hoc argumentum non transilire metas negativi; præterquamquod aliis argumentis statim refellentur, ignorare videntur, aut dissimulare, quę sit vis in casu hujusmodi argumenti negantis. Deinde rationibus & authoritatibus quibus statim probaturi sumus atque ostensuri, quænam fuerit hæc Sancta Lucia.

3 Vidit certè hoc non obscuri no-


nominis Author P. Petrus de Ribadeneyra, (a) cujus verba hîc subjungere placuit, quæ sic habent: *Comunmente pintan à esta preciosa Virgen con sus ojos en un plato, que tiene en sus manos. La causa de pintarse assi, su historia no lo dice; ni tampoco, que se haya sacado los ojos, por librarse de un hombre lascivo, que la perseguia, como algunos escriben: Y el Prado espiritual, que es libro antiguo, y que tiene authoridad, atribuye este hecho à una doncella de Alexandria.* Quod verò statim addit experimento esse comprobatum, plurimos qui firma fide ac devotione in Sanctam Luciam moti, eidem se commendaverunt, non pauca, neque parva, etiam circa corporalem visum, beneficia à Deo Optimo Maximo impetrâvisse, ut verum admittimus: negamus verò id provenisse ex errore præconcepto, sed ex fide ipsa devotioneque promanavisse. Sed iam aliis argumentis agendum est, quæ evincant Lectoribus (modò cæci non sint, aut obstinati) idem assumptum.

(a) Ribadeneyr. in Flor. Sanctor. 13. Decemb. tom. 6.

4 Et quia de Imaginibus agitur, opponamus falsis Imaginibus veras & rationabiles Picturas atque Imagines. In Conventu quem vocant *de la Pasion*, qui hospitio deservit Patrum Dominicanorum frequenter spectavi Imaginem Divæ cujusdam Sanctimonialis ejusdem Ordinis; quæ in parvâ paterâ gestat erutos sibimet oculos: eademque frequentia audivi, eam esse Imaginem Divæ Luciæ Bononiensis, ejusdem Prædicatorum Ordinis Sanctimonialis, quæ facinus illud petegit, quod in Lucia Martyre ex rerum crassâ ignoratione confingitur. Sed audiamus de re eadem alios: sintque Patres Societatis Prædicatoribus Fratribus subsidio. Pater Henricus Engelgrave, (b) eruditus Belga, hanc eamdem rem commemorans, ita reliquit scriptum. *Elucet hîc D. Dominici alumna Lucia, quæ facinus supra sexus conditionem forte, ausa est: sollicitata frequenter à viro nobili ad mutuos amores; tandem quid est, inquid, quod in me tantopere ames! Lumina, inquit, tua*, oculique tui, quibus ignea cedunt sidera. (c) *Irata sibi ipsi intacta virgo, itane? Ego meis oculis lędo mortalium animos, & perdo? Sequor consilium Magistri mei*, Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te. *Expunxit ergo utrumque, & oculos emissitios transmisit amasio: qui quatuor oculis, à Lucia tantum lucis accepit, ut oculos suos vanitati clauserit, panderit veritati, & mundo spreto, sua ac se in familiam S. Dominici asservanda tradiderit.* Hucusque pius atque eruditissimus Scriptor. Quo nihil certe expressius atque elegantius dici, aut excogitari potuit. Cui omninò subscribit alius eiusdem Societatis eruditus Author Matthæus Raderus: * ut proinde ex tam claris testimoniis ediscant vulgares atque inerudîti non venditare proprias imaginationes, sed cum judicio scribere: manebitque hoc pacto statutum doctis hominibus, virginem illam, quæ sibimet oculos eruit, non virginem Syracusanam & Martyrem, sed Sanctimonialem Dominicanam extitisse.

(b) Engelg. Lux Evãgelic. embl. 19. §. 6. pag. 182.

(c) Ovid. ep. 19.


*De Sanctis Cęcil. c. 3. §. 8.



CAPUT VIII.

CIRCA PICTURAM ATQUE IMAGINEM SANCTI Thomæ Apostoli varia, & non injucunda adnotatio.



1 On omninò vulgaria, neque pauca sub notari possent circa Imaginem atque Picturam Sancti Thomæ Apostoli. Et quia, ut sæpè diximus, non absurdè comparantur cum libris imagines; notare hic prius oportebit, quid circa Imagines Beati Thomæ Apostoli inscienter plerumque commiserint Pictores; quos etiam secuti sunt, inscienter etiam, scriptores aliqui. Pingunt enim frequenter S. Thomam inter postremos Apostolorum. Quod certè est absurdum: ipse enim Sanctus Apostolus numeratur in Evangelio Marci, capite tertio, in loco octavo;&inLucęEvangelio,cap. sexto,loco septimo:& inActisApostolorum, cap. primo, loco sexto: quodque præcipuum est, in Sacrosancto Canone Missę etiam sexto recensetur loco, ut facilè patebit hæc nomina memoranti: *Petri, Pauli, Andreæ, Iacobi, Ioannis, Thomæ*. Hanc verò loci assignationem excusatione quadam & simul reprehensione carpit sæpe nominatus à nobis Molanus,* notandis verbis: *Non facerem, inquit, huius situs mentionem, nisi putarem Pictores ex pravo quodam judicio minorem existimationem habere de Sancto Thoma Apostolo, quia de Resurrectione Christi dubitavit.*

* Lib. 3. c. 56.

2 An autem idem beatissimus Apostolus Christi Domini à mortuis cùm iam resurrexisset, non solus eius Carnem impassibilem, sed etiam vulnera palpaverit, quamquam res videatur communius indubitata Evangelium accuratè legentibus; non desunt, aut defuerunt qui vocaverint in dubium. Circa quam rem opportunum censeo Lectoribus commemorare narrationem non inutilem aut injucundam. In urbe quadam eiusdem S. Apostoli advocatione nominata, in insula *Madrastapatan* in Indiis Orientalibus Imago Sancti Apostoli qui in eadem affirmatur prædicavisse, ab omnibus cernitur, non eodem modo quo apud nos, (a) sed alio prorsus diverso: hoc est junctis ante pectus manibus. Quod ortum traxit ex eo quod in eadem urbe prædicaverit Sacerdos quidam Regularis natione Gallus, qui non impiger decertavit, ut Sanctus Apostolus Thomas hoc modo proponeretur: existimans, eumdem Apostolum numquam, sive carnem impassibilem, sive vulnera Christi tetigisse. Adeò sunt sæpè distorta hominum judicia: in quæ nihilominus incidunt viri, magni quandoque nominis. Quo ut manifestius appareat, non erit incongruum magnorum virorum sententiam circa rem hanc, quanvis admodum succintè, proponere.

(a) Vide Illust. & Rev. Navar. t. 1. de Rebus Sinicis tract. 6. c. 20. pag. 379.

3 Cardinalis Franciscus Toletus, vir planè primi subsellii, hanc eamdem rem diligenter pro more pertractans: (b) *Inconfesso est*, inquit, *apud omnes, Thomam secundum Domini præceptum, vulnera Christi tetigisse: hoc enim jussit Christus, ut argumentum efficax suæ resurrectionis, non tantum Thomæ, sed & omnibus fidelibus perpetuò relinqueretur.* Quod quidem eodem prorsus modo intellexerunt, non solùm alii Expositores, sed, quod magni ponderis est, totus Ordo Prædicatorum, adeoque etiam Expositorum; in cuius Officio Ecclesiastico, quod recitatur in festo Sancti Thomę, illud habetur: *O Thoma, qui meruisti Christum tangere.* Quod de Christo, eiusque purissima carne à mortuis jamjam excitati intelligi necesse est: alias enim dum in vita mortali existeret ipse Dominus, se promiscuè omnibus palpandum: sed quid dico palpandum? injuriosè tractandum, alapis cædendum, & denique crucifigendum exhibuit. Quare relin-

(b) Tolet Commét. in Ioan. c. 30.

linquatur hæc opinatio, aut potius error, inter paradoxa, quæ placent hominibus, res non cum judicio debito legentibus, aut meditantibus: nosque pergamus ad alia.

4 Liberales quidem Pictores, cum quibus mihi sæpe res est, multa dant, sed plerumque non bono neque recto examine discussa. Inter hæc profectò numerari debet Sancti Thomæ Apostoli martyrium, sive, ut pressius loquamur, genus mortis: quod tamen scire possent etiam vulgares ex Romano Martyrologio, quod (ne ullus relinquatur excusationi locus) etiam Hispanica lingua aut dialecto versum omnium teritur manibus. Verba autem Latina Martyrologii hæc omnino sunt: *Calaminæ natalis beati Thomæ Apostoli, qui Parthis, Medis, Persis, & Hyrcanis Evangelium prædicavit, ac demum in Indiam perveniens, cum eos populos in Christiana Religione instituisset, regis jussu lanceis confixus occubuit.* Quæ, ne omnino Lectoribus relinquantur intacta, libet summatim & in transcursu brevissimè attingere. *Calamina* igitur, quæ hic assignatur, urbs est in ipsa India, quam nuper vocabant communiter Geographi atque indigenæ *Meliapor*: hodie verò ex confluente incolarum & Lusitanorum numero vocant Urbem Sancti Thomæ. In quâ certè beatissimus Apostolus consummavit martyrium, necemque gloriosam occubuit, transverberatus, non ut videtur, pluribus jaculis, sed uno. Quæ omnia, ut alia, notata exactissimè habent Indicarum rerum Scriptores, quos vel tantum nominasse laudasse est: nulli enim esse dubium potest, tales esse Hieronymum Osforium Episcopum Sylvensem, Ioannem de Barros, (c) aliosque eiusdem fermè nominis.

(c) Barros Decada 3. Asiæ lib. 7.

5 Verùm cùm laudatus & numquam satis laudandus Osforius rem hanc non solum descripserit, sed planè illustraverit, liceat illius narrationem, veluti exemplar quoddam Historicæ elocutionis hic adjungere, quæ sic habet: (d) „Anno à Christo „nato MDLXII. Pontifex Cochi„mensis misit ad Henricum Cardina„lem testimonium publicis literis „consignatum, quod historiam com„memotatione dignam continebat. „In ea civitate, quam diximus ap„pellari Malipurem, & nunc post„quam à Lusitanis frequentari cæ„pit, Sancti Thomæ civitas appella„tur, erat in colle sacellum ædifica„tum, eò quòd affirmarent incolæ „in eo loco Thomam fuisse à Reli„gionis hostibus interfectum. Erat „autem hoc solemniter institutum, „ut in eo sacello octo diebus ante „diem natalem Christi res divina „fieret, & omnes Christiani eò con„venirent. Fuerat quoque ante qua„tuordecim annos in illo colle in„venta Crux, in lapide incisa, in cu„ius fastigio columbæ imago inside„bat: basis verò erat in specie qua„dam herbarum, quæ diffundi latis„tissimè videbantur, collocata, & „tam fastigium, quàm basis & bra„chia in liliorum formam desine„bant. Arcus eam ex eodem lapide „factus undique muniebat. In arcu „erant incisæ literæ, quas nemo le„gere poterat. Totum hoc opus „integrum, quod erat satis magnum, „fuit super altare eiusdem sacelli „multorum operis statutum. In Cru„ce eminebant notæ sanguinis insig„nes. Accidit autem die, quo Chri„stiani conveniebant, ut in eo fano „salutationem ab Angelo factam „sanctissimæ Virgini octo dies ante„quam dies Christi natalis adveni„ret, celebrarent; cùm Sacerdos, „qui rem divinam faciebat, Evan„gelium inchoaret, ut Crux in ni„grum colorem verteretur, & li„quor ex illa incredibili copia di„manaret: deinde color cæruleus „pro nigro subiret. In locis autem, „ubi notæ sanguinis extabant rosei „coloris splendor eluxit. Sequenti„bus deinde annis eodem die sem„per eveniebat. Nec enim alio die „(quod magnam admirationem „commovebat) id in illa Cruce cer„nebatur. Fuit tamen aliquo tem„pore eius rei, quæ admirabilis om„nibus videbatur, intermissio. Anno „autem MDLXI. cum Christiani in „eumdem locum cum eadem pompa „& celebritate convenirent, eo die „quo Crux, dum sacrificium fieret, „stillare solebat, & Sacerdos Evan„gelium inchoaret (id enim etiam „admirandum videbatur, quod num„quam prius quam Evangelium legi „cæpisset, ea Crucis mutatio fieret) „Crux repentè nigris miraculis, „splendidis tamen, inficeretur, do„nec tandem aliis atque aliis subeun„ti-

(d) Osfor. de rebus gestis Emmanuelis lib. 3. ad fin.

„ tibus tota nigresceret. Ita verò „ splendebat, atque si fuisset oleo „ delibuta. Dum instar roris guttæ „ defluere cęperunt, quæ paulatim „ grandiores effectæ, totam Crucem „ humorem largissimum compleverunt. Peregit Sacerdos cum multis „ lacrymis, & crebro singultu sacrificium. Deinde ascendit in altare, „ & linteis quibus in rebus sacris de „ more procurandis uti solebat, Crucem extersit. Lintea maculis sanguineis tincta repentè sunt. Civitatis pręfectus, & reliqua multitudo, „ quę convenerat, manus in cœlum „ tendere, Christi numen implorare, „ flagitiorum veniam postulare & ad „ studium ardentius Religionis excitari. Crux autem postquam multo „ liquore fluxit, clarius splendere „ cæpit, & color sanguineus evidentius eluxit. Hoc signum commovit & præfectum urbis, & primarium Sacerdotem, ut diligenter „ inquirerent, ecquis esset qui literas illas interpretari posset. Aiunt „ incolæ, in Narsingæ regno esse Brachmanam, inter omnes Brachmanas „ literis & eruditione præstantem, „ qui varias linguas tenebat. Hominem continuo accersunt, & interrogant, an illas literas nosset. Respondit, literas esse priscas, quibus antiqui sapientes utebantur: „ negligentia verò hominum factum „ esse, ut earum cognitio interiret. „ Quin etiam linguam, qua erant „ descriptæ, à paucis admodum teneri. Admonent illi Brachmanam, „ ut in altare ascendat. Restitit ille, „ & nefarium facinus esse dixit, altare, in quo res divina fieret, humanis pedibus conculcari. Invitus tamen subiit, & literas perlegit; quarum vim eam esse dixit, ut una nota „ decem, & quindecim, & viginti literarum officio fungeretur. Sententia „ verò literarum in summa hæc erat: „ ThomāDivinum virum fuisse à Dei „ Filio, cuius erat Discipulus, in eas „ orasSagami Regis tēpore missum, ut „ Dei summi notitia gentes illas erudiret. Ibique templum extruxisse, „ & res admirabiles effecisse: atque „ tandem cùm genibus flexis ad Crucem illam affixus, orationem ad „ Deum funderet, à quodam Brachmana fuisse hasta transfixum. „ Crucem verò eiusdem viri sanctissimi cruore tinctam, ad memoriam virtutis illius sempitenam relictam fuisse. Hęc erat sententia „ quæ literis continebatur. Fecit autem maiorem fidem alius eiusdem „ sectæ vir, aliunde accersitus, grandis admodum natu, & sapientiæ „ opinione præstans, qui literas in „ eamdem sententiam interpretatus „ est. Hujus autem Crucis exemplum in eodem ligno, ex quo templum ædificatum perhibent, insculptum, cum literis publicis multorum virorum testimonio consignatis, retineo: cujus fides tantis „ tunc argumentis explorata fuit, ut „ nemo posit de tam claris atque testatis viri divini monumentis ambigere.

6 Hucusque doctissimus Episcopus. Ex quibus memoriæ atque iudicio occurrit tradere exactam atque accuratam rationem Picturæ, & Imaginis proponendę Sacratissimi Apostoli: quæ quantum sapio atque capio, hoc modo describenda erit. Sanctus Thomas proponetur orans ante Crucem genibus flexis; atque iuxta illum unum ex illis sacrificulis, sive Brachmanis, qui illum acuto jaculo perfodiat. Quod sanè rei gestæ mirè quadrat, ut patebit inspicienti singula, & cum verbis descriptioneque relata conferenti atque comparanti. Neque ad aliud quidquam annotandum transirem, nisi fuissent, qui minutiora etiam observassent. Hujusmodi sunt, aut ex huiusmodi numero, quæ Sanctus Antoninus carpit ac reprehendit in Pictoribus propter cingulum Deiparæ Virginis ipsi Apostolo ab ipsa in sua Assumptione relictum, propter dubitationem Apostoli de Resurrectione Divini Magistri. Verba Antonini ea sunt: (c) *Neque etiam laudandi sunt Pictores, cùm apocrypha pingunt: ut obstetrices in partu Virginis, & Thomæ Apostolo cingulum à Virgine Maria in Assumptione sua propter dubitationem illi dimissum.*

(c) D. Anton. 3. p. c. 4. §. 3.





CAPUT

CAPUT IX. ET ULTIMUM.

PICTURÆ ATQUE IMAGINES SANCTORUM Stephani Protomartyris, Joannis Apostoli & Thomæ Cantuariensis Episcopi.

1 
Loriosi ac preclari supraquam dici potest Stephani Protomartyris omnino nota est historia, omni modoque vivis, quod aiunt, coloribus expressa in actibus Apostolorum; ut proinde nihi necesse sit in eius gestis immorari; quandoquidem (quod semper præ oculis habendum est) hic non rerum gestarum seriem, atque ut uno verbo dicamus, historias teximus; sed versamur circa Picturas atque Imagines. Atque hoc quidem supposito, videndum est, qualis, & quali modo describendus sit præclarus Protomartyr Stephanus, ut ab omni vel erroris, vel inscitiæ nota illius Imago libera evadat & immunis.

2 Aio igitur primò, describendum esse, non senem, neque omninò parvulum, sed potius juvenem, viribus adhuc validum, potentemque exequi munera, ad quę erat ab Apostolis ordinatus Diaconus: quę sanè munera vires integras exigebant, ut patebit facile Actorum Apostolicorum Historiam perlegenti. Deinde curandum est; pingi eum debere forma modesta, sed venustiori: quod constat ex illis verbis: (a) *Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius tamquam faciem Angeli.* Visionem autem illam, qua vidit Stephanus cęlos apertos, quamquam alii depingant in ipso lapidationis actu, & martyrio eius, non ita fieri oportet. Vidit enim illam sacratissimus Protomartyr, cùm adhuc esset in concilio Judæorum. Quod totum patet ex illis verbis: (b) *Cum autem esset plenus Spiritu Sancto, intendens in Cœlum, vidit gloriam Dei, & Jesum stantem à dextris Dei.*

(a) Act. 6. 15.

(b) Ibid. 7 55.

3 Quapropter ut res hujusmodi, quæ magni certè sunt momenti, non ita ineptè confundantur, hoc modo velim prodire depictas. In ipso autem lapidationis eius martyriique actu, non erit inconveniens ut describatur gloria eidem ostensa, & præmium iamiam paratum Sacratissimo Testi Divinitatis. Hoc enim, præterquamquod frequentissimè vidimus in pręcipuis Imaginibus & Picturis, ut patet in Pictura insigni, quæ existit in magna domo Patrum Prædicatorum Salmanticensi, & opus est Pictoris Regii Claudii Coello; satis apposite conjungi potest cum aliis paulò antè enarratis ab Scriptore Divino texente historiam Sancti Stephani, passionis, eiusque martyrii. Ornatus autem cumquo pingi debet ac decorari, quanvis frequenter esse soleat is quo in præsenti tempore Diaconi ministerio sacro in Ecclesia deservientes ornantur: velim tamen, non ita illum exactius describi, ut ab aliquibus solet, sed tamen qui ab illo non admodum abhorreat: cùm satis constet, Dalmaticam, torquem, aliaque huiusmodi posterioribus sæculis usitata fuisse, & non visa esse in tempore quo passus est beatissimus Protomartyr. Et hoc dicimus, quanvis aliunde sciamus Christiano Populo, rudibusque Fidelibus nullomodo satis ostendi posse Picturam esse Sancti Stephani, nisi aliquo modo proponatur ornatus & vestitus velut Diaconus. Lapidantes autem eum rectè describuntur robusti ac musculosi homines: hoc enim apprimè congruit historiæ quæ describitur: sicut & quòd Stephanus non stans, sed flexis terræ genibus depingatur: hoc enim de fide est, & constat ex illis verbis: (c) *Positis genibus clamavit voce magna.* Quæ si observentur ut par est, in nullo reprehendenda veniet Imago præclari Protomartyris Stephani.

(c) Ibid. cap. 7. 59.

4 Ioannem Evangelistam, virum (si ita illum appellare fas est) omni hu-

humano maiorem encomio, frequenter Pictores exhibent imberbem, ut in superioribus iam annotavimus, & rejecimus. Aliis autem non ita visum est, quorum unus est Petrus SurorCarthusianus Parisiensis in libro quidem erudito, quamquam non boni prorsus argumenti, id est eius, qui annotatur in margine: * qui quidem rem ita defendit: *Pictores*, inquit, *ipsi in hac parte potius laudandi sunt; quippe qui depingant prudenter, aptè, & accommodatè Joannem juvenem, & imberbem; partim propter ætatem, quia adolescens erat tempore cœnæ partim propter perpetuam virginitatem: partim denique ad proponendum juvenibus exemplum, ut instar Ioannis florem juventutis Christo consecrarent, & Divinis obsequiis se ipsos dedere studeant.* * Hæc ille. Sed videat Lector quę diximus supra lib. 4. c. 6. & lib. 5. cap. 1. n. 8.

* De triplici connubio Annæ cap. 5.

* Apud Mol. lib. 3. c. 58.

5 Describitur autem calicem in manu habens; tum propter Christi verba; (d) *Calicem quidem meum bibetis*: tum etiam, quia ut scribit Sanctus Isidorus, * bibens lethiferum haustum, evasit incolumis, conformiter ad promissa Christi, *Si mortiferum quid biberint, non eis nocebit.* Immò è calice pingitur prodiens parvus serpens, aut vipera: ad denotandum lethiferi poculi qualitatem. Alia autem quæ à multis notantur circa festum pręcipuum Ioannis Apostoli & Evangelistæ, quòd pressius accepta non attineant ad rationem Imaginis, libenter intacta relinquimus.

(d) Mat. 20.

* In Lib. de Partibus novi Testam. cap. 74.

6 Circa Picturas atque Imagines martyrii atque occisionis Sanctorum Innocentium, suis locis sat plura diximus, quę recolere potest quicumque volet, immò vellet hic sæpius ac sæpius eamdem rem usque ad fastidium repetitam. Circa Imaginem verò Sancti Thomę Martyris atque Archiepiscopi Cantuariensis, illud tantummodo annotare oportebit, scilicet non debere depingi ornatu solemni ac Pontificali, qui constet mitra, baculo, aliisque hujusmodi: cùm satis ex eius rebus gestis constet occisum fuisse, aut cum iret, aut cum interesset Officio Ecclesiastico, quòd canitur ad Vesperas. Non omittatur verò vulnus ingens in capite, ex quo fluens copiosus & gloriosus sanguis erupit quoque cerebrum, quo respersum est etiam templi pavimentum. Et hęc dicta fuerint satis pro toto nostro argumento. De aliis enim sanctis, qui supersunt mense Decembri, nil attinet dicere, cùm in eorum Picturis atque Imaginibus occurrat speciale nihil: sæpiusque admonuerimus, nos hic Sanctorum historias non texere, sed tantummodo annotare, quæ observatione digna sunt circa eorum Imagines atque Picturas.



APPENDIX,

APPENDIX,

CONTINENS NOTATIONES IN RERUM SACRArum Imagines attinentes ad vetus testamenmentum.



I tam frequentes essent sacræ Imagines in rebus pertinentibus ad testamentum vetus, quàm sunt in rebus attinentibus ad novum, atque ad Historiam Ecclesiasticam; multa essent, & fortè paria, iis, quæ hucusque observata sunt, atque annotata, quæ dicenda occurrerent. Quæ sanè omnino intacta relinquere, meo judicio, foret absurdum; præcipuè desiderantibus materiæ hujus tractationem integram. Quam tamen exhibere, argumenti poscit, non solùm proximitas, sed identitas. Notabimus igitur, quæ notatione magis digna videntur, & errores, aut ineptias, quæ irrepserunt atque irrepunt inter pingendum res ipsas scriptas in veteri instrumento. Quod quidem ut methodo semper debita exequamur, materiam dividemus: atque in primis annotabuntur res quę continentur in priori Scripturę libro, nempe Genesi: acturi postmodum de aliis, quæ ordine præfixo in sacris Bibliis continentur; sitque totius rei, ut par est,

CAPUT I.

DE ERRORIBUS ADMISSIS CIRCA RES LIBRI Geneseos pingendas.

I



Ui viderit, ut certè nos vidimus, Imagines in tabulis æneis incisas, ad declarandum rudioribus res, quæ in ipso sacro textu scribuntur; facilè convincetur erroris atque imperitiæ, tantùm si conferat, aut committat scripta cum depictis. Atque, ut jamjam exordiamur: depinguntur primi Parentes à paradisi felicitate ejecti à Deo per ministerium Angeli, qui huic formidandæ sententiæ strenuus insistit: (a) *Ejecitque Adam, & collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.* Sed nudi pinguntur ejecti. Quod tamen falsum est: constat ex præcedentibus, relatisque illis verbis: (b) *Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & uxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Non igitur ejecti sunt omnino nudi, ut semper, aut saltem frequentius depinguntur. Et licet difficultatibus non careat explicare, quænam & quales fuerint relatæ in textu *tunicæ pelliceæ*: tamen id exponere pertinebit ad Sacræ Scripturę Expositorem; Pictori verò munus incumbet objiciendi oculis rem, prout in textu simpliciter refertur.

(a) Gen. 3.24.

(b) Ibid. v. 21.

2 Signum & indicium Divinæ acceptationis in sacrificiis Abel justi, & reprobationis sacrificiorum Caini, variè pro Pictorum arbitratu depingitur. Pingunt enim frequenter fumum procedentem ex rebus super altare collocatis vergentem ad terram in sacrificiis Caini; ad cœlum verò rectà procedentem in sacrificiis sive in oblationibus Abelis: immo parum fumi, & multum flammæ, in his quæ libata erant ab justo Abele. Quod

paucis expressit textus Divinus illis verbis: (c) *Et respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Ad Cain verò, & ad munera illius non respexit.* Hanc autem Divinam acceptationem, aut illius effectum expresserunt Pictores modo quo iam diximus: sed totum hoc asseritur ab illis conformiter ad illorum imaginationis ideas: quod paucis ostendemus. Ergo dicimus, indicium litationis numinis illud esse, quod munera collocata super altare, igne cælitus demisso incendebantur: secus autem in iis, quæ non placebant numini. Hujus rei, tam in sacris quam in profanis possemus indicare documenta, quæ patebunt ex discursu dicendorum. Interim tamen satis sit quod ab ipsis profanis asseritur: ex quibus legatur Servius: (d) *Apud majores,* inquit ille, *aræ non incendebantur, sed ignem divinum precibus eliciebant, qui incendebat altaria.* Quod idem omninò miro modo confirmat Græcus atque eruditus Author: * *Qui divinæ rei,* inquit, *operantur, ligna vitea super aras struunt, nec ignis apponitur in hanc congeriem, cùm porricias intulerint. Si adest Deus (sic sacrum probatur) sarmenta licet viridia, ignem sponte concipiunt, & nullo fragrante, à litato numine fit incendium.*

(c) Gen. 4. 4. 5.

(d) Servius in 12. Æne.

*Pausan. in Eliacis lib. 1.

3 Itaque indicium in sacrificiis Abel fuisse hoc, & non aliud, plùs quàm probabiliter asserimus: cuius rei contrarium evenisse in Caini oblationibus, convincitur, non solùm ex narratione textùs, sed quòd ita censuerint veteres ipsi Ecclesiæ Patres; apud quos sententia hæc recepta fuit atque communis; ita enim existimarunt Cirillus, (e) Hieronymus, & Procopius, aliique passim, qui videri possunt apud recentiores ScripturæInterpretes Pererium, Corneliumque. Immò patent luce clariora ex narratione ipsius Divini textùs locis allegatis in margine.* Quorum omnium, quæ fidelissimè allegantur, verba non hic transcribimus, quòd esset operosum nimis nobis, qui non tantùm doctrinæ, sed, quantum fieri potest, consulimus brevitati. Ex quibus patet, discrimen inter oblationes Caini, & victimam Abelis, approbationisque, aut reprobationis, rectè posse atque debere depingi; si altare Caini proponatur nullo prorsus igne succensum: altare verò fratris; cùm victima; nempe agno, igne cælitus ardente, cuius flamma rectà ad Deum, sive in altum conscendat. Et hac ratione aliæ imaginationes ineptæ, quas supra indicavimus, rejicientur.

(e) Cirill. lib. 2. in Gen. Hier in qq. Hebraicis. Procop. in Genes.

* Levit. 9. 24. 1. Paral. 21. 26. 2. Paralip. 7. 1. 3. Reg. 18 24. 38.

4 Quamquam ab aliquibus pingatur Abel occissus à fratre lapide vel ligno, quod improbari facilè non potest: tamen frequentissimè describitur occissus à Caino mandibulâ, aut maxillâ asini: quod nihil aliud videtur, quàm quærere, quod proverbio dicitur, nodum in scirpo. Allusio enim est manifesta ad historiam Sampsonis, qui mandibulâ asini neci dedidit Philisthinorum mille, ut constat ex textu: (f) *Inventamque maxillam, id est, mandibulam asini, quæ jacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros.* Verùm cum nihil hujusmodi referatur in Genesi, eadem prorsus facilitate, quâ admiserunt imaginationem Pictores, eâdem, nullo etiam suffragante, rejicitur.

(f) Judic. 15. 15.

5 Vix aut ne vix quidem aliquid notandum occurrit usque ad Noeticæ Arcæ descriptionem. De quo argumento uberrimè tractavit N. Pelletier Rhotomagensis, eà prolixitate, ut non defuerint qui festivè dixerint, eumdem fuisse unum ex habitatoribus Arcæ. Quam tamen in pretioso opere tantum verbis descripsit, nullà adjecta icone, in quâ oculis quodammodo objiceretur. Suppleverunt autem alii defectum hujusmodi, sed non benè, cùm Arcam non acuminatam, ser fermè planam pingunt. Quod præterquamquod ineptum per se est, adversatur verbis Scripturæ dicentis: (g) *In cubito consummabis summitatem eius*: & ita debet intelligi, ut scilicet ab ipso extremo Arcæ molliter exurgeret tectum acuminatum, quod unius cubiti, ex illis qui ibi referuntur, altitudine comprehenderetur; quod necesse erat ad lumen cœleste accipiendum, quod aliunde in arcam non erat facile diffundi.

(g) Gen. 6. 16.

6 Non solùm prolixus, sed morosus omnino esset, qui annotare vellet res, quæ minoris momenti videri possunt, incisas in tabulis, & ex veteri testamento desumptas. Sin minus, rogo, quale est, quod in tabula, qua repræsentantur Abrahæ milites, nempe trecenti illi decem & octo, qui omnes erant nati domi suæ; quod propriè significat vox illa

illa * *vernaculos*; pingantur militares bestiæ; hoc est elephanti, dorso sustinentes castella, turresque munitas? Hoc ut libere dicam; insanire potius, quàm pingere est. Et sunt quidem hujusmodi tabulæ campus, absurditatum plurium ferax; quas proinde commemorare, nec licet, nec vacat. Quare relictis his, valereque jussis, veniamus ad alia, quę & magni ponderis videntur, & facilius atque felicius refelli possunt, errorisque convinci. Cujusmodi est facinus illud ingens, quod penè perfecit Abraham in immolatione filii. Atque in hoc quidem in pluribus tabulis & Picturis proponitur Isaac, non vir jam robustus, neque aliquando juvenis, sed puer. Quod certè videtur intolerabile: neq; opus est multâ & profunda eruditione, ut erroris convincatur; sed satis omnino est simplex textus narratio, ut sciant Pictores, Abrahamum non jussum esse puerum immolare; sed virum. Imprimis enim dicitur onus jumenti, quod ferebat in dorso, quo scilicet onere lignorum offerendus erat in holocaustum, ut constat ex illis: * *Tulit quoque ligna holocausti: & imposuit super Isaac filium suum: ipse verò portabat in manibus ignem & gladium.* Eratne, quęso, puer, aut tener adolescens, qui dorso ferebat jumenti onus, lignorum scilicet, quibus usque ad omnimodam absumptionem (hoc enim denotat vox *holocaustum*) consumendus erat ille, qui offerebatur in holocaustum? Non ego credo, sed neque credet quicumque ad hæc adverterit mentem. Non opus hic exactis & Chronologicis supputationibus, quamquam nec hæ deessent, sed solum rei gestę propositione. Verùm adhuc in Picturis maius observatur absurdum. Plures enim Isaac immolandum in holocaustum, non juvenem, aut adolescentem, sed planè puerum depingunt; ex illis verbis moti, quòd ibidem tali nomine Isaac appellatur: *Ego & puer illuc usque properantes.* Quod quidem quàm absurdè proponatur, satis, ut puto, constat ex dictis. Prætereo enim, quòd sit, aut parvus juvenis, aut planè puer esset Isaac, cùm jussus pater est à Deo, ut illum offerret in holocaustum; non esset in quo tanta exhiberetur obedientia erga parentem, immò erga ipsum Deum, quæ typus esset illius, quam exhibuit Christus Dominus æterno Patri, quando immolatus est victima super Crucem. Permisit enim se alligari, insuper & imponi super struem lignorũ: * quibus, usque ad miraculum, proponitur summa Christi Domini erga æternum Patrē obedientia. Quod totum hic ipse Deus commendatum voluit & celebratum. Pingat ergo quisquis delirare nolit, Isaacum, non puerulum, non imbecillum adolescentem, sed virum, in quo eximium erga æternum Patrem repræsentetur & proponatur obsequium, & obedientia.

* Gen. 14. 14.

* Gen. 22. 6.

* Ibid. v. 9.

7 Pinxerunt etiam, atque etiam num pingunt Pictores, non quidem Artis, sed rerum imperiti, Ephraimum atque Manassem, Josephi filios, nepotesque Jacob, pueros, ubi oportebat viros depinxisse robustos. Cum enim Jacob in Ægypto postremâ esset oppressus ægritudine, ex qua tandem est mortuus, adduxit Joseph ad illum ægrotantem duos filios suos Ephraim atque Manassem. Quęsivit autem sanctus senex, quinam illi essent? Cumque responsum esset à Joseph, non alios esse quàm filios suos, illis verbis; (h) *Filii mei sunt, quos donavit mihi Deus in hoc loco*: subjungit Patriarcha, *Adduc eos ad me, ut benedicam illis.* Notissima res est, atque historia; quam nemo est qui nesciat: quod adeò certum existimo, ut vel Laici ipsi, qui Divinæ Scripturæ, aut nihil, aut certè parùm legerunt, non ignorent: & saltem ex libro vernaculâ lingua, conscripto, quem appellant Hispanicè *Patriarcas y Prophetas*, res sit illis admodum perspicua. In hoc igitur casu proponuntur Ephraim atque Manasses propè lectulum avi stantes, conformiter ad Pictoris imaginarionem, qui pueru-los existimavit, sed maximâ repugnantiâ ad rei gestę veritatem. Depinguntur, inquam, stantes: cùm, ob reverentiam aliasque causas, potius deberent pingi genuflexi: &, quod ad rem attinet, pueri depinguntur: cum satis constet, illos per illud tempus non solùm jam attigisse, sed excessisse ætatis suę annos vigesimum quintum, aut vigesimum sextum respectivè. Rem totam dilucide proponit atque demonstrat exactâ Chronologicâ ratione Jacobus Salianus (i) S. I. ita ut legentibus nullus dubitandi relinquatur scrupulus. Verùm id ex

(h) Gen. 48. 9.

(i) Salian. Annal. Eccl. t. 1. ad ann. 2343. p. 394.

ex illâ causâ proficiscitur, quam sæpè notavimus; Pictores nempe (& quidem sæpè magni) felicissimos fuisse in pingendo quod volebant; sed ob imperitiam rerum gestarum, in imaginando sæpenumero fuisse infelicissimos. Atque in re hac assueti cogitare senem atque avum cum nepotibus non viris jam, sed adhuc pueris, delusi sunt atque lapsi depingentes venerandum avum ad quem accedunt nepotes, non viri, sed adhuc pueruli. Quod totum statuimus, ut sine dubitatione aliqua intelligatur, errorem esse pueros depinxisse, ubi oportebat depinxisse viros.

CAPUT II.

ERRORES ADMISSI, ET NON ANIMADVERSI IN rebus contentis in reliquis libris spectantibus ad Pentateuchum.

1 UM totus noster scopus in id tendat, ut coarguantur errores, qui sæpè admittuntur circa pingendas Sacras Imagines, animus est, non amplius immorari in minoris momenti rebus, sed solùm in iis, quæ erroris nota coargui & convinci possunt. Harum autem non multæ sunt, quæ scribenti, aut dictanti se offerant, licet in aliis passim subnotentur ineptiæ, quæ tanti non sunt, ut serio labore refellantur. Itaque ut id tantùm agamus, omissis minoris momenti reculis, severiora, magisque seria consignabimus. In narratione ergo rerum, quæ continentur in Libro Exodi, illud imprimis nos detinere cum fructu poterit, quod spectat ad visionem illam ostensam Moysi rubi ardentis atque incombusti. Pingunt enim hîc, non rubum, sed arborem proceram, quæcumque illa sit, cum magno circum splendore, sed nulla in igne expressa figura. Non in uno solùm Pictores insaniunt. Nam imprimis Scriptura dissertè non aliam quamcumque arborem, sed fruticem illum, quem rubum appellamus, hic nominat: nam ibi dicitur: *Videbat quod rubus arderet & non combureretur.* (a) Et idem prorsus Philo Judæus oculatius inspexit: cujus verba digna sunt quæ legantur. (b) *Vidit*, inquit, *visionem horribilem: Rubus erat frutex spinosus & invalidus: is nemine ignem admovente, subitò incensus est, correptusque totus à radice usque ad cacumen, flamma in modum fontis scatente; manebat integer & illæsus, quasi non esset incendii materia, sed ipse ab igne aleretur.* Quod idem, quamquam non tam bonæ notæ Judæus alter confirmat. (c) *In eo*, ait, *monte mirabile vidit prodigium: ignis enim rubi fruticem depascere visus, nec frondes, nec flores, nec ramos quidquam læsit; cùm tamen inde maxima & flagrantissima flamma emicuisset.* Rubus ergo erat visionis locus, sive, ut sic loquamur, theatrum, frutexque, non arbor; quod elegantissimè panxit Sedulius.

(a) Exod. 3.2.

(b) Philo lib. 1. de Vita Moysis.

(c) Josep. Antiq. l. 2. c. 7.

Ignibus innocuis flagrans apparuit olim
Non ardens ardere rubus, *nec iuncta calori*
Materies alimenta dabat; nec torrida vivens
Sensit damna frutex, sed amici fomitis æstu
Fronde blanditæ lambebant robora flammæ.

Quibus, ut par est, suppositis, quid attinet, non fruticem depingere, sed arborem? Nihil ut ego arbitror, totum hoc est, nisi Divinam Historiam susque deque confundere.

2 Deinde apparuisse dicitur Moysi Dominus (d) *in flamma ignis de medio rubi.* Quod vel mente ipsa concipi non potest, quin ostensa sit de medio rubi forma aliqua, aut figura vi-

(d) Exod. 3.2.

visibilis: atque hæc, & non alia, expressa sententia est viri magni, harumque rerum satis periti. (e) *E medio*, inquit, *promicabat forma quædam pulcherrima, nulli visibili similis, divinum simulacrum, luce fulgens clarissima; ut suspicari posset Dei esse imaginem: vocemus eam Angelum, quandoquidem futura prænunciavit, quando magnificentior erat visio.* Pingat ergo quisquis errare nolit, in media ipsa flamma rubi formam aliquam, sive figuram pulcherrimam, quâ denotetur, vel ipse Deus, vel Angelus omnino excellens, apparens visibiliter Moysi: atque hac ratione planum fiet, apparuisse Moysi Deum, miscuisseque cum illo colloquium de medio rubi ardentis, sed incombusti.

(e) Philo lib. 1. de Vit. Mosis.

3 Absurdior his omnibus est forma atque figura, qua depingitur Moyses. Proponitur enim cum splendoribus non quidem à tota facie, sed à posteriori capitis parte, seu ab occipitio prominentibus, ita dispositis, ut cornuum formam repræsentent. Quod quidem error est omni absurdo major. Quocirca ut totum clarius fiat, pro omni loco, in quo sub hac forma Moyses depingatur, firmare hoc oportebit, adductis magnorum virorum judiciis, quæ observavisse placuit Scriptori notissimo. * *Aloisius Lipomanus Episcopus eruditissimus*, *in* Catena ad cap. 34. Exodi, *Non habetur*, inquit, *in contextu Hebraico, faciem Moysis fuisse cornutam, sed radiantem.* Ex hoc ergo laudatus semper Molanus subjungit: *Emendari potest prava vulgi consuetudo, qui duobus cornibus pingunt Mosen: non enim cornua è fronte egrediebantur, sed & frons, & nasus, & os, & mentum radiabant.* Eodemque modo disserit Augustinus Stheucus Eugubinus, * qui illud addit: *Rident itaque nos & execrantur Iudæi quoties Mosen in nostris templis cornuta facie depictum aspiciunt: quasi nos eum diabolum quemdam, ut ipsi stultè interpretantur, esse putemus.* Et hæc dicta sint satis circa hujusmodi Picturam: qui verò plura velit, recolat quæ in superioribus diximus, agentes de Transfiguratione Domini, *lib.3.cap.13.n.4.*

*Molan. lib.4.c.25

*Ad eûd. loc. c. 34. Exodi.

4 Ut pingatur atque designetur ubertas terræ promissionis, ab imperitis, aut etiam non sincerè fidelibus (nam de hoc etiam subit mihi suspicio) pingitur racemus, aut uva, non certè illius magnitudinis, sed longè minoris illâ, quam describit Divinus textus. Pingitur, inquam, racemus, quem non quidem duo viri, sed unus solus pendentem ex pertica oblonga portant: Mala profectò & subdola fide. Sin minus legantur verba textus illa: (f) *Pergentesque usque ad torrentem botri, absciderunt palmitem cum uvâ sua, quem portaverunt in vecte duo viri.* Jam si non uno tantùm, sed duobus viris opus fuit ad portandum non quemlibet, sed in vecte suspensum cum uva sua palmitem, manifestè convincitur fuisse prægrandem, longeque majorem illo, qui describitur à pessimis Pictoribus. Atqui hoc contigisse, manifestis verbis exprimitur in textu per illa: *Quem portaverunt in vecte duo viri.* Ergo aut illusus aut illusor est, qui prædicto modo depingit. Quem locum accuratè pro more versans insignis Scripturæ Interpres, (g) primum quidem magnæ quantitatis uvas, quæ in diversis mundi partibus enascuntur narratione exequens, rem proponit semper ut mirabilem, sed non omnino incredibilem, ut videtur, aut videbitur incredulis. Deinde planam facit & congruentem narrationem textûs. Illius verba libens transcriberem, sed longa sunt, & moris mei non est, aliorum scripta plenis manibus expilare. Satis sint hæc, ut convincatur erroris Pictura, qua proponitur botrus ab uno solùm homine, & non à duobus viris portatum ac pendentem in vecte.

(f) Num. 13.24.

(g) Corn. Alap. ad hunc loc.



CAPUT

CAPUT III.

ERRORES NON CASTIGATI, ET parùm animadverſi in reliquis veteris Teſtamenti Picturis.

1 Uę hucuſque dicta ſunt atque annotata, ſatis eſſe videri poſſent, ut omnino conſtaret de erroribus admiſsis ab imperitis, aut etiam non bonę fidei Pictoribus. Verùm addere caput hoc propterea placuit, ut argumenti dignitas atque veritas plenius illuſtretur. Qua in re prius annotabuntur aliqua magis peculiaria, quæ proprius argumentum noſtrum attingere videntur. Atque ut methodi ratio ſervetur, ubi opus fuerit, annotabimus aliquas veluti generales regulas, quæ deſervire poterunt, inſpectis Iſraelitarum legibus & moribus, ad dignoſcendum, ubi admiſſus ſit notabilis error, aut ubi non item.

2 Pingitur ergo (ut ab hoc incipiamus) projectum per murum urbis Abelę abſciſſum caput Sebę, ut habetur in *lib. 2. Regum cap. 20. v. 22.* illis verbis: *Qui* (id eſt cives urbis Abelæ) *abſciſſum caput Seba filii Bochri projecerunt ad Ioab; & ille cecinit tuba, & receſſerunt ab urbe.* Nullus hîc error in præcipua facti deſcriptione, quemadmodum nec in Pictura: ſed ineſt certè non parvus in facti deſcribendo adjecto. Pingitur enim Joab ipſe, non pedes, aut ſtans, ſed inſidens equo valido ac generoſo. Quod quidem errorem eſſe dubitabit nemo, qui vel tantiſper norit Iſraelitarum veterum, etiam ipſius tempore Davidis, mores, leges, atque inſtituta. Non probaverat Deus in Populo ſuo, vel florente Republica, vel jamjam primis regnantibus Regibus, equorum uſum: quòd ſcilicet ſpiritus ſuperbiores quodammodo ingereret in iis, qui proprius erant ſub Dei Omnipotentis regimine. Notum illud eſt: *Hi in curribus, & hi in equis; nos autem in nomine Domini Dei noſtri invocabimus.* Neque erit qui, vel tempore Reipublicæ vel primorum Regum, coactum exercitum ex peditibus & equitibus apud Hebræorum Populum oſtendat: adeo ut jam regnante Saule, exercitus deſcribatur conſtans ſolùm pedeſtribus copiis, ut probatur: (a) *Præcepit Saul populo, & recenſuit eos quaſi agnos: ducenta millia peditum.* Neque aliud erat, aut permiſſum ipſis etiam regibus: qua de cauſa non equis utebantur, ſed mulabus aut mulis. Cujus rei ſexcenta facile producentur exempla. David non equum aut equos habuiſſe ſed mulam, notius eſt, quam ut hîc probari opus ſit. Filios ſuos mulabus uſos eſſe attentus lector facilè diſpiciet: & conſtat, cùm Amnone interfecto, juſſu Abſalon ad patrem regreſsi ſunt feſtinantes: (b) *Surgentes omnes filii regis, aſcenderunt ſinguli mulas ſuas, & fugerunt.* Et quod ſtupore dignum eſt, mulis & mulabus utebantur duces, immò reges, in ipſo fervore certaminis, ut monſtratum eſt in pugna exercitus Abſalon contra exercitum David parentis; (c) ubi contigit, ut ipſe Abſalon occurreret ſervis Davidis, ſedens mulo. Succeſsit Davidi Salomon: qui non diverſam tantùm viam, ſed contrariam atque oppoſitam iniit; in hoc, ut puto, permittente, aut connivente Deo conformiter ad ipſius Dei verba. Qui cum Salomoni per noctem apparuiſſet, probaviſſetque, quod non petierit divitias aut gloriam, illi dixit (d): *Sed & hæc quę non poſtulaſti, dedi tibi: divitias ſcilicet & gloriam, ut nemo fuerit ſimilis tui in regibus cunctis retro diebus.* Quod facto ipſo pręſtitit atque oſtendit: & quod ad rem præſentem ſpectat, facto prorſus mirabili teſtatum eſſe voluit. Habuit enim Salomon, non ſupputatis equis equeſtribus, ſed tantum curribus trahendis, (e) *quadraginta millia pręſepia equorum currilium*

*Pſ. 19. 8

(a) 1. Reg 15. 4.

(b) 2. Reg 13. 29.

(c) Ibid. c. 18. 9.

(d) 3. Regum 3. 13.

(e) Ibid. 4. 26.

vilium; quæ summa humanæ rationis imbecillitatem exsuperat. Sed jam amovemus manum de tabula in re notissima: memores, plura circa rem hanc observavisse agentes de Conversione Divi Pauli Apostoli.

3 Ex Divino textu constat, septem ex proximis posteris Saulis, quas Sacra Scriptura enumerat, (e) traditos esse à Davide Gabaonitis, ut in illos, quantum ipsi vellent animadverterent: illi autem hac potestate sibi facta, severè admodum usi, non alio mortis genere puniviſſe, quàm crucifixionis. En sacri textus verba: *Et dedit eos in manus Gabaonitarum, qui crucifixerunt eos in monte coram Domino.* Hoc autem factum, non ineptè solùm, sed pessimè propositum est à Pictoribus. Depicti enim sunt, non crucifixi, sed suspendio affecti: quod verbis Sacræ Scripturę manifeste repugnat. Pingendi enim erant juxta contextus verba, non suspendio enecti, sed omnino cruci, aut crucibus affixi: sive illarum unaquæque duobus constaret lignis, sive uno tantum: qui modus satis in usu fuit apud veteres, ut multis ostendit eruditus Scriptor Justus Lipsius. (f) Abigatur itaque procul, non inepta solùm, sed erronea cogitatio, quæ censet, relatos in textu de cognatione Saulis posteros strangulatos esse, & non, ut simpliciter dicitur, cruci suffixos. Adde insigne maledictum illud, quo dicitur, (g) *Maledictus à Deo est, qui pendet in ligno*, quod allegat Apostolus celebri & vulgato loco verbis illis: (h) *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno*: solutum esse, & in gloriam conversum per Christum Dominum, non alio mortis genere, quam Crucis. Hoc enim Deum ipsum placavit, mundumque totum Deo conciliavit; non strangulatione, sed crucifixione: quod probari non eget, sed credi, immortalesque ipsi habere gratias. Cùm igitur de his, in quorum versamur supplicio, eodem prorsus modo dicatur crucifixos esse in monte coram Domino, quid attinet pingere, periisse illos strangulatione, & non simpliciter tueri, illos, ut sonat litera fuisse crucifixos?

(e) 2. Reg 21. 8.

(f) Lips. de Cruce cap. 5.

(g) Deut. 21. 23.

(h) Galat. 3. 13.

4 His igitur transcursim, & veluti per transennam annotatis, ad alia pergimus: quæ alia profecto non erunt nisi illa, in quibus deprehendatur error manifestus: minutiora enim persequi, nec volumus, nec possumus. Qui Sacri textus verba legerit, & viderit Picturam Holofernis, atque Sanctę Judithæ cum eo loquentis, (i) errorem ipsemet animadvertet, si non omnino fuerit stipes atque truncus. Pingitur enim Holofernes cum belli primoribus stans; ipsa autem Judith genuflexa, non verò, ut par erat, humi prostrata. Quod quàm absurdè fiat, Divini ipsius textus verba demonstrant, quæ sic habent: (j) *Videns itaque Judith Holofernem sedentem in conopeo, quod erat ex purpura, & auro, & smaragdo, & lapidibus pretiosis intextum: Et cum in faciem eius intendisset, adoravit eum, prosternens se super terram.* En igitur, prudens lector, belli imperatorem sedentem, Judithamque, non utcumque genuflexam, sed humi prostratam, & tute ipse discernes, quàm à narratione textus discordet rei ipsius Pictura. Quod quidem ex ipsis principiis oritur, quæ sæpè carpsimus, nempe ex Pictorum ignoratione, aut inadvertentia.

(i Judith 10. 19.

(j) Ibid. v. 19. 20.

5 Nihil adhuc notavimus circa ornatum atque vestitum, qui sanè spectabilis est in Pictura. Nunc verò satis dixisse sit, absurdi continere nihil, quod veteres Israelitæ vestiti depingantur, ad eum ferme modum, quo sæpius videmus vestitos Orientales, Armenos, aut Turcas, quando aliud non succurrit probabilius. Sed quis ferat magni nominis Pictorem, nempe Albertum Durerum, Davidem Regem depinxisse vestibus illis strictis, quibus suo tempore Germani utebantur, nempe ad medium seculi XVI. quo vivebat & pingebat Albertus? Hoc certè, meo judicio, non pingere, sed ludere est. Ad id ferè genus spectat, quod jam depictum observavimus, nempe ducem illum & ductorem Hebraici populi Josuah, aut Jesum de Navè insidentem equo forti ac valido, ipsumque equum miris modis ornatum. De equo, atque de ejus usu jam diximus, quæ non-

nonnullis, & fortaſsè meritò uberiora videbuntur quàm opporteret. Ornatus verò equi talis erat. Pendebant ab ephippio inſtrumenta illa, quæ recentiores Latini, ob vocum penuriam, vocant ſtapedas, & nos Hiſpanicè *Eſtrivos*, in quibus equitantis pedes innituntur. Hoc verò quàm abſurdè factum ſit, noverit quivis mediocriter eruditus. Inſtrumenta enim illa non ſolùm fuerunt incognita antiquis Iſraelitis, ſed ipſis etiam Romanis, quorum equeſtres copiæ nullo hujuſmodi inſtrumento utebantur: quin immo ruſticanorum more inſidebant equis, numeratis etiam ipſis Cæſaribus atque Imperatoribus; quod apertè demonſtrant equeſtres, quæ adhuc ſuperſunt, ſtatuæ; ſive ex ære factæ, ſive ex lapide. Tales igitur res quamquam revinci non poſsint Scripturæ Sanctæ teſtimoniis, facilè tamen rejiciuntur & refelluntur ex mediocri, ut diximus, antiquitatis cognitione. Et verò ſi hujus generis errores evitare velit cordatus & eruditus Pictor, conſilio meo, non ægrè poterit id aſſequi, aut lectione, aut conſultatione virorum, qui magis videantur harum rerum pollere notitiá. Quare hoc prudenti monito ceſſabit hic, quem ſuſcepimus, ſi non omnino fructuoſus, ſaltem implexus & prolixus labor.



INDEX

INDEX RERUM NOTABILIUM.

A

B

Bartholo-
mæi.

S.

C

S.

In-

La-

L

M

N

O

P

R


S


T

U

V









A FD/258

UNIVERSIDAD DE SEVILLA

600711234
i27891288

